

TRACTATUS
THEOLOGICI
QUOS
In Scholis Sorbonicis dictavit
D. CAROLUS WITASSE
Doctor Sacræ Facultatis Parisiensis, Socius Sorbonicus, Regiusque Theologiæ Professor

IN SEPTEM TOMOS DISTRIBUTI.

TOMUS QUARTUS.

DE AUGUSTISSIMO
EUCHARISTIÆ
SACRAMENTO.

VENETIIS, MDCCXXXVIII.
APUD JOANNEM BAPTISTAM RECURTI.
SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.

TRACTATUS

DE

AUGUSTISSIMO

EUCHARISTIÆ

SACRAMENTO.

PRÆFATIO.

AB Incarnatione Verbi divini, de qua anno superiore dictum est, ad sacram Eucharistiam hodie accedimus, par alteri sane argumentum, & certa quadam connexione ita cohærens, ut una alterius Series & complementum esse videatur.

Nempe in Adamo primo parente nostro ita cecideramus, ut nec nostro lapsui aliter quam per Dei descensum ad nos, nec nostræ superbiæ nisi per illius exinanitionem, nec inobedientiæ nisi per ejus obedientiam succurri posset. Hæc autem inchoavit Incarnatio; Eucharistia vero mirum in modum magnoque cum fructu aucta, & amplificata nobis exhibuit.

In Incarnatione nimirum ſic (*a*) Deus dilexerat mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ac (*b*) pro nobis omnibus traderet illum; in Euchariſtia autem idem ille Filius longe provectus ultra, (*c*) cum dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilexit eos, ſeque in ea non tantum pro nobis, ſed etiam nobis dedit. In priori Chriſtus, ſic volente Patre, (*d*) cum in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinaniverat, formam ſervi accipiens: in altera novo exinaniendi ſe modo hoc etiam adjecit, ut non ſolum divinitatem velo obſcuraret, ſed &, quam acceperat ſervi formam, aſcita viliori, & penitus extranea occuleret, & quaſi obliteraret. In illa (*e*) humiliaverat ſemetipſum factus obediens (Patri) uſque ad mortem: in hac ſe quoque poſt mortem hominibus ſubjecit, quoties ſacerdos loquitur, (*f*) obediente Domino voci hominis.

Decebat enim vero ut (g) qui unus erat mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus, ad explendas has partes non tantum Deum conjungeret cum homine quem gerebat, ſed etiam cum ſingulis quos redemerat. Par erat ut quia homines peccatis ſuis, & a Deo, & a ſe invicem miſerabiliter erant divulſi, (*h*) poſtquam reconciliaverat eos in uno corpore Deo per crucem interficiens inimicitias in ſemetipſo, eoſdem & inter ſe & cum Deo arctius adhuc uniret Euchariſtia, qua (*i*) unum reipſa corpus multi ſumus qui de uno pane participamus, (*l*) & membra ſumus corporis ejus carne ejus & de oſſibus ejus.

Quid denique convenientius, quam cum (*m*) ejus deliciæ ſint eſſe cum filiis hominum, & aliquando tamen rediturus eſſet ad Patrem, id nova amoris arte ad ſubſidium noſtræ infirmitatis efficere, ut ſimul non ſpiritu modo, ſed etiam corpore nobiſcum eſſet omnibus diebus (*n*) uſque ad conſummationem ſeculi?

Hoc pacto noſtræ reparationis opus abſolvitur. Qui enim animo pariter corpore perieramus, utrimque reſurgimus, dum hinc quidem mens noſtra pignus accipit & fontem ſalutis æternæ, illinc caro noſtra paſta Deo, ſemen illius, quæ exciderat, im-

(a) *Joan.* 3. 16. (b) *Rom.* 8. 32. (c) *Joann.* 13. 1. (d) *Philipp.* 3. 7. (e) *Philipp.* 2. 8. (f) *Joſue* 10. 14. (g) 1. *Tim.* 2. 5. (h) *Epheſ.* 2. 6. (i) *Cor.* 16. 17. (l) *Epheſ.* 5. 30. (m) *Prov.* 8. 31. (n) *Matth.* 28. 20.

immortalitatis. Ita diremptα dudum Deum inter & hominem societas restituitur ac firmatur, dum hinc quidem Deus, & ad hominem & in hominem venit, illinc homo jam munus semper præ manibus habet, quo, prout usus exigit, & Dei iram placet, & provocet benevolentiam, & pro infinitis beneficiis ei pares gratias agat, ac (si ita loqui fas est) etiam referat.

Atque hoc illud est augustissimum mysterium, quod jam pro viribus exponendum suscipimus. Ut autem sequentis operæ nostræ ratio in antecessum constet, omnem hanc materiam, quæ late diffunditur, novem omnino quæstionibus concludemus.

I. Erit de Eucharistiæ Existentia.
II. De ejus Essentia.
III. De Materia.
IV. De Forma.
V. De ejus Proprietatibus.
VI. De ejus effectibus.
VII. De Ministro.
VIII. De Subjecto.
IX. De necessariis ad eam suscipiendam dispositionibus.

IN-

INDEX.

Ap-

QUÆSTIO PRIMA.

De Eucharistiæ Existentia.

Quæstionem hanc in tres articulos partiemur. In primo varia exponemus sacrosanctæ Eucharistiæ nomina: in secundo disputabimus an veri nominis sit sacramentum: in tertio quandonam institutum fuerit expendemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De variis Eucharistiæ nominibus.

Eucharistia pro varia sui consideratione multis nominibus insignitur, quæ ut omnia commemorare longum fuerit, ita nonnulla notare operæ pretium sit.

1. Itaque a tempore, quo primum a Christo instituta est, & aliquando a Christianis celebrata, Coena nuncupatur. Ita a nonnullis accipitur Apostolus 1. *Cor.* 11. 20. sic enim usurpant hanc vocem ex Græcis Chrysostomus *in hunc locum*, Theodoretus, Dionysius vulgo Areopagita *cap. 3. eccles. hierarch.* Maximus Martyr *ibidem*, Hesychius *in Leviticum*, Photius, Pachymeres *ad eccles. hierarch.* & Nicolaus Cabasilas: e Latinis autem Tertullianus *de corona militis*, Hieronymus, seu quis alius, *in Paulum*, Augustinus *epist. ad Januarium*, Humbertus Silvæ-candidæ Episcopus *in opere contra Græcos*, & si

qui forte alii. Hoc porro nomen, quod neque omnium est apud Patres frequentissimum, neque omnium maxime proprium, fere in desuetudinem jam pridem abiit. Eo autem unice delectantur hæretici hujus ætatis, quibus id visum est, & ad elevandam sacrificii eucharistici vim, & ad tollendam jejunii omnibus ad Eucharistiam accedentibus indicti necessitatem longe opportunissimum.

2. Ab eo quod continet, Eucharistia nominatur CORPUS, CARO, SANGUIS CHRISTI, in Scripturis passim, & apud sanctos Patres.

SANCTA in liturgiis Græcis, & in canonibus Laodicenis, & apud Maximum Martyrem *ad cap. 3. ecclef. hierarchiæ*.

SANCTA SANCTORUM apud Chrysostomum *in epistola ad Innocentium*, Hesychium *in Leviticum*, & in concilio Remensi apud Gratianum *de Consecratione*.

SANCTUM DOMINI apud Cyprianum *de lapsis*.

IPSUM BONUM, τὸ ἀγαθὸν, apud Basilium *in epist. ad Amphilochium cap.* 55.

IPSUM PERFECTUM, τὸ τέλειον, in concilio Ancyrano.

3. A materia ex qua Eucharistia conficitur, dicitur

PANIS *Joan. 6.* 52. & ab auctore operis *de cœna Domini*, apud Cyprianum.

PANIS SUPERSUBSTANTIALIS ab Ambrosio, Cyrillo, Chrysostomo, & aliis verba hæc orationis Dominicæ exponentibus de Eucharistia.

PANIS VITÆ, *Joan. cap. 6.* & apud Chrysostomum *homil. 27. in 1. Cor.*

PANIS SANCTUS in Græcorum liturgiis.

PANIS ANGELORUM in opere *de cœna Domini*, & in hymnis Ecclesiæ.

4. A forma consecrationis EULOGIA seu BENEDICTIO appellatur 1. *Cor.* 10. 16. *lib.* 8. *constit.* apud Cyrillum *in epist. ad Calosyrium*, & *lib.* 12. *in Joan. cap.* 39. Maximum Martyrem *in cap.* 3. *Ecclesiast. hierarch.* Vide & epistolam 36. Augustini *ad Casulanum*, vitam sancti Melanii Redonensis, Bollandum *ad eam vitam*, & chartam Fulconis Andegavensis comitis apud Sammarthanos fratres *in Abbatibus Roncerii*. Sæpe tamen Eulogiæ ab Eucharistia distinguuntur, ac de particulis panis vulgaris in ecclesia benedicti accipiuntur: de quo imprimis synodus Laodicena *cap.* 15.

5. Eucharistia a proprietatibus suis NOVUM TESTAMENTUM nuncupatur, *Lucæ* 22. 20. quod videlicet novi cum hominibus a Deo sanciti fœderis pignus sit & instrumentum.

6. Ab effectis nominatur VITA, quod Pœnis maxime usitatum erat, idque ab Apostolorum ætate, teste Augustino *lib.* 1. *de peccatorum meritis cap.* 34.

Eu-

EUCHARISTIA, id est gratiarum actio, quod gratiis Deo agendis inserviat. Non tantum enim in ea memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, dans escam timentibus se; sed etiam in ea munus excellentissimum constituit, quo oblato pro acceptis a Deo beneficiis dignas gratias, quibus alioqui impares omnino eramus, referre semper possimus, ut notat de hoc disserens Chrysostomus *homil.* 25. *in cap.* 8. *Matth.* Quanquam dici potest quoque EUCHARISTIÆ nomen ex eo profluxisse, quod illa instituta sit a Christo gratias agente Patri, ut memorant evangelia. Quidquid sit, hoc vocabulum est antiquissimum, & apud veteres maxime reperitur, apud Ignatium, Justinum, & alios subinde sine numero.

VIATICUM, quod nobis ad patriam pergentibus maximo sit subsidio in via. Ita fere Gaudentius Brixianus *tract.* 2. *liturgiæ Græcæ*, Paschasius *de corpore*, *&* *sanguine Domini cap.* 19. sanctus Thomas 3. *parte*, *quæst.* 73. *art.* 4. & speciatim ita vocatur cum datur jamjam morituris, de quo concilium Nicænum *can.* 13. Paschasius *supra*, & libri rituum.

COMMUNIO & COMMUNICATIO, quod Christianos arctissime secum invicem, & cum Christo ac Deo conjungat. 1. *Cor. cap.* 10. *vers.* 16. Chrysostomus in hunc locum, Dionysius *cap.* 3. *ecclesiast. hierarchiæ*, Damascenus *lib.* 4. *rectæ fidei*, *cap.* 14. Pachymeres *ad Dionysium*.

7. A loco in quo sumitur, MENSA DOMINICA, CŒLESTIS, MYSTICA dicitur, apud Apostolum 1.*Cor.*10. 21. Optatum *lib.* 5. Augustinum *lib.*1. *de peccat. meritis*, Chrysostomum *in* 1.*Cor.*10.1. Theodoretum *serm.*10. *de providentia*, Leonem Magnum *ser.*6. *de jejunio primi mensis*, & alios.

8. A figuris, quibus est adumbrata, PASCHA vocatur ab Isidoro Pelus. *lib* 4. *epist.*162. Augustino *contra litteras Petiliani lib.*2. & ante utrumque, a Gregorio Nazianzeno *orat.* 42.

9. A cœtu in quo conficiebatur, SYNAXIS seu COLLECTIO dicitur apud Dionysium *cap.* 4. *ecclef. hierarchiæ*, Pachymerem *ibidem* & alios passim: quanquam nonnulli sic hanc vocem intelligant, ut inde manasse affirment quod Eucharistia cum Deo homines jungat: de quo Dionysius & Pachymeres *supra*. Notandum vero est Synaxim sæpe apud antiquos ab Eucharistia distingui.

10. A modo, quo distribuebatur olim & nunc quoque apud Græcos distribuitur, appellatur

FRACTIO PANIS, Luc.24. Actuum 2.42.

PARTES, μερίδες; Augustino apud Bedam *in* 1. *Cor. cap.* 10. & Gratiano *de consecratione distinct.* 2. *cap.* 58. Evagrio, *lib.* 4. *histor. cap.* 36.

MICA, Paschasio *libro de corpore*, *&* *sanguine Domini*, *cap.*17.

11. A charitate Christi, unde ad nos manavit, nominatur

GRATIA, Cypriano *de lapsis*; Cyrillo *catechef. myftag.* 4. Optato *lib.* 5. Auguftino apud Bedam & Gratianum *fupra*.

DONUM feu DONA, τὸ δῶρον, τὰ ἅγια δῶρα, auctori conftitutionum *lib.* 8. *cap.* 13. Patribus Concilii Nicæni *cap.* 5 S. Epiphanio *in Phyfiologo*; quibus adde liturgias Græcas, Balzamonem *ad cap.* 9. *Concilii Carthaginenfis*; Canonem miffæ noftræ, & alia hujufmodi monimenta.

12. A fymbolis quibus Corpus Chrifti tegitur, Euchariftia appellatur.

MYSTERIUM, & plurali numero MYSTERIA ab auctore liturgiæ Jacobi, Chryfoft. *hom.*44. *in Matth.* & aliis vulgo.

MYSTERIA TREMENDA a Chryfoftomo *hom.in cap.*11. 1. *Cor.* & in illud *Oportet hærefes effe*, a Gregorio magno apud Gratianum *de confecratione*, *dift.*2. *cap.*73.

MYSTERIUM FIDEI a Gregorio *ibid. & in canone Miffæ*.

MYSTERIUM CORPORIS DOMINI a Jona Aurelianenfi *lib.* 3. *de cultu imaginum*.

MYSTERIUM PACIS, & UNITATIS ab Auguftino apud Gratianum *fupra*, *cap.*36. 58. & 62.

SACRAMENTUM feu SACRAMENTA ab Innocentio I. *epift.* 1. *ad Decentium*, *cap.*3. Auguftino *epift. ad Cafulanum*; nomen commune propter excellentiam fuam proprium fibi faciens.

SACRAMENTUM DOMINICUM a Patribus Concilii Toletani XII.

SACRAMENTUM CORPORIS CHRISTI a Gregorio *in lib. facramentorum*.

SACRAMENTUM ALTARIS in codice Africano *can.* 41. *tom.* 2. *concil. pag.* 1069. in Concilio Carthaginenfi *cap.* 30. *ibidem pag.* 1181. ab anonymo contra Græcos *tom.* 4. *bibliothecæ Patrum*, Stephano Eduenfi *in opere de eo peculiari*, & Hugone a S. Victore *in fpeculum ecclefiæ*, *cap.*7.

SACRAMENTUM PRETII NOSTRI ab S. Auguftino *lib.* 9. *confeff. cap.*13.

SACRAMENTUM CALICIS ab S. Auguftino *lib.* 4. *de doctrina Chriftiana*, *cap.*21.

SACRAMENTUM EUCHARISTIÆ a Tertulliano *de corona Militis*, *cap.* 3.

13. Denique dignitate qua cætera facramenta fupereminet dicitur SACRAMENTUM SACRAMENTORUM cum apud Dionyfium *cap.* 3. *ecclef. hierarchiæ*, tum apud Bernardum *in ferm. de cœna Domini*.

AR-

ARTICULUS II.

An Euchariſtia ſit Sacramentum.

DUo ſunt quæ hic in controverſiam veniunt, primum, an Euchariſtia ſit reipſa verum quoddam novæ legis ſacramentum divinam gratiam hominibus per ſe impertiri efficax. Alterum, in quo præciſe poſita ſit Euchariſtici ſacramenti ratio.

SECTIO I.

An Euchariſtia ſit veri nominis ſacramentum conciliandæ gratiæ idoneum.

SACRAMENTUM eſt ſignum quoddam externum & ſenſibile a Deo inſtitutum ad gratiam ſanctificantem hominibus largiendam.

Ejuſmodi autem eſſe ſacram Euchariſtiam catholica Eccleſia ſemper profeſſa eſt; quin etiam ipſi paſſim hæretici agnoverunt.

Nonnulli tamen in eccleſiaſticæ hiſtoriæ monimentis inveniuntur, qui id negaverint.

Ac 1. quidem Gnoſtici, Manichæi eorumque aſſeclæ, qui communem nobiſcum Euchariſtiam non habuerunt, de quibus infra.

2. Meſſaliani, Archontici, & alii ſuperioribus affines, qui omnia e medio penitus ſuſtulerunt ſacramenta: de quibus ubi de ſacramentis generatim.

3. Tandem etiamnum Sociniani contendunt Euchariſtiam non eſſe ſacramentum gratiæ divinæ producendæ vi inſtructum. Sic enim Catecheſis eccleſiarum Polonicarum *ſect. 6. cap.* 4. docet Euchariſtiam eſſe tantum a Chriſto inſtitutam ipſius commemorandi ſeu mortem ejus annuntiandi cauſa; nullam vero eſſe aliam cauſam inſtitutionis illius, etiamſi alii dicant eam a Deo inſtitutam, ut uſu ipſius conſequamur peccatorum remiſſionem & fidei confirmationem, " Nam, inquit, cum „ is finis ritus uſurpandi ſit ut beneficium a Chriſto nobis præſtitum „ commemoremus ſeu annunciemus, nec ullus alius præter hunc ſit a „ Chriſto indicatus finis, apparet non eo inſtitutum eſſe ut aliquid „ illic beneficii aliter, quam quatenus digne obſervatus pietatis Chri„ ſtianæ pars eſt, a Chriſto ſumamus. Præterea, quod ad fidei con„ firmationem attinet, tantum abeſt ut per ipſum panis & vini uſum fi„ des in nobis confirmetur, ut is qui digne iis uti velit, de remiſſio„ ne peccatorum ex parte Dei certus jam eſſe debeat: quantoque cer„ tior eſt, tanto dignius eum ritum obire poſſit.

ASSERTIO.

Eucharistia est verum novæ legis sacramentum.

Probatur 1. auctoritate sacrarum Scripturarum, quæ Eucharistiæ ascribunt omnia ad sacramentum necessaria. 1. Enim illa est ritus quidam externus ac sensibilis, ut apud omnes constat. 2. A Deo instituta est ac præcepta, Lucæ 22. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*. Quod & Apostolus refert 1. *Cor.* 11. 24. 3. Denique gratiam impertitur & vitam, & utramque habet sibi annexam ex promissione Christi Joan. 62. 51. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*: v. 55. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*: versu 59. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. 1. Cor. 10. 17. *Unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus*. Ibi enim sacræ Eucharistiæ ut proprius effectus attribuitur, quod omnes unum inter nos corpus simus. Id autem certe non efficitur, nisi gratia & Spiritu-sancto.

Probatur 2. Traditione, cujus quidem argumenta sunt: 1. Quod nulla unquam lis ea de re in Ecclesia fuerit: contra vero ubi hæretici controversiam circa id novando movere voluerunt, omnes ubique Ecclesiæ, quamvis ab antiquissimis temporibus inter se disjunctæ, & a se invicem alienatæ, in eamdem fidem conspirare deprehensæ fuerint. 2. Quod in omnium gentium liturgiis Eucharistia semper commendata fuerit ut mysterium a Christo institutum, quod omni gratiæ genere abundaret, imo ipsum gratiæ fontem complecteretur. 3. Quod ab omni ævo in fidei formulis ac professionibus tam apud Latinos quam apud Græcos & Orientales editis, quoties facta mentio est sacramentorum, Eucharistia in eorum numero statim ut præcipuum inter ea locum tenens recensita fuerit.

De Latinis vide inter cætera concilium Lateranense IV. *cap. firmiter, de summa Trinitate*; decretum Eugenii IV. post synodum Florentinam; concilium Tridentinum *sess. 7. de Sacramentis in genere, can.* 1. & *sess.* 13. & 21.

De Orientalibus vide Allatium *de concordia utriusque ecclesiæ*, & adversus Creygthonum; nec non & Arcudium *de sacramentis*: speciatim vero

De Græcis, ac potissimum iis, qui patriarchæ Constantinopolitano subduntur, Jeremiam patriarcham Constantinopolitanum *in responsis ad Theologos Wittembergenses, tomo 2. perpetuitatis fidei, lib. 4. cap. 4. pag.* 357. Ligaridium metropolitanum Gazensem anno 1666. *ibid. pag.* 60. 62. Nicolaum Spadarium Moldavo Laconem in Enchiridio suo, *ibid. in append. pag.* 52. *col.* 1. anno 1667. septem archiepiscopos Græcos in formula fidei anno 1671. *tomo 3. perpetuitatis fidei, pag.* 169. & 570. patriarcham Constantinopolitanum anno 1672. in confessione fidei ecle-

clesiarum Orientalium, *ibid. pag.* 623. *&* 687. alios *ibid.* & iisdem annis *pag.* 572. 577. 578. 580. 582. 584. 589. 645. 664. 802.

De Moschis Ligaridium eundem, *ibid.*

De Ruthenis Olearium anno 1667. *tomo* 1. *perpetuitatis fidei*, *pag.* 56.

De Armenis eundem Olearium *ibid.* Haviadorum archiepiscopum Armenorum *ibid. tomo* 1. *pag.* 77. Usbanum episcopum Erivanensem *ibid. pag.* 78. archiepiscopos Armenos *tomo* 3. *pag.* 772. Gaspardum presbyterum Armenum *ibid. pag.* 776. alios archiepiscopos, episcopos, presbyteros, nomine totius Armenæ gentis *ibid. pag.* 781.

De Colchis professionem fidei ab ipsis editam anno 1672. & relatam *tomo* 3. *perpetuitatis fidei pag.* 634.

De Cypriis synodum ab ipsis habitam anno 1668. *cap.* 1. *tomo* 1. *perpetuitatis fidei pag.* 87.

De Ægyptiis, Cophtitis aliisque patriarchæ Alexandrino subjectis, Metrophanem patriarcham Alexandrinum *in confessione fidei*, *cap.* 9. edita Helmestadii anno 1561. Matthæum patriarcham Cophtitarum *tomo* 3. *perpetuitatis pag.* 763. Vanslebium *in historia ecclesiæ Alexandrinæ*, 2. *parte*, *cap.* 19.

De Syris, qui patriarchæ Antiocheno in Oriente parent, professionem fidei ab iis editam anno 1668. & relatam *tomo*, 1. *perpetuitatis in append. pag.* 55. Macharium patriarcham Antiochenum anno 1671. *tomo* 3. *pag.* 723. Neophytum patriarcham Antiochenum anno 1673. *ibid. pag.* 743. episcopum Damascenum *ibid. pag.* 758.

De Palæstinis, qui subsunt patriarchæ Hierosolymitano, Nectarium patriarcham Hierosolymitanum *tomo* 3. *pag.* 653. & Dosithæum alterum patriarcham *ibid. pag.* 704.

PROBATUR 3. suffragiis Patrum & Ecclesiæ doctorum ab omni ævo, quod non leve etiam est traditionis indicium.

1. Enim Eucharistiam *sacramenti* nomine donant Tertullianus, Innocentius I. concilium Carthaginense, Augustinus, Dionysius vulgo Areopagita, Gregorius magnus, concilium Toletanum XII. Paschasius, Stephanus Eduensis, Bernardus, Hugo Victorinus, & alii *supra*.

2. Quoties Sacramenta plura enumerant, Eucharistiam iis passim accensent. Sic Tertullianus *lib.* 1. *&* 4. *contra Marcionem*, *lib. de corona militis*; Cyrillus *in Catechesibus*; Ambrosius, seu quis alius, *de sacram. lib.* 3. *cap.* 2. *& de iis*, *qui mysteriis initiantur cap.* 7. Dionysius vulgo Areopagita *in lib. de eccles. hierarchia*; Isidorus Hispalensis *lib.* 6. *Etymol. cap.* 19. Rabanus Maurus *de institutione clericorum cap.* 24. auctor sermonum *de operibus Christi cardinalibus*, inter opera Cypriani.

Instar omnium erit Augustinus variis in locis, *Epistola* 54. *ad Januarium num.* 1. *tomo* 2. *pag.* 124. " Tenere te volo, inquit, Dominum nostrum Jesum Christum, sicut ipse in evangelio loquitur,

„ levi jugo suo nos subdidisse & sarcinæ levi : unde sacramentis nu-
„ mero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantis-
„ simis, societatem novi populi colligavit. Sicuti est baptismus Trini-
„ tatis nomine consecratus, communicatio corporis & sanguinis ipsius
„ &c. *In psalm.* 103. *num.* 9. *pag.* 1136. *litt.* B. *tomo* 4. " Respice „
„ inquit, ad munera ipsius Ecclesiæ, munus sacramentorum in baptismo,
„ in Eucharistia, in cæteris sanctis sacramentis, quale munus est ?-
" *Lib.* 3. *de doctrina Christiana cap.* 9. *num.* 13. *tomo* 3. *pag.* 49. *litt.*
„ B. " Quædam pauca pro multis, inquit, eademque factu facillima „
„ & intellectu augustissima, & observatione castissima ipse Dominus
„ & apostolica tradidit disciplina : sicuti est baptismi sacramentum &
„ celebratio corporis & sanguinis Domini.

Probatur 4. omnium scholarum ab ipsis incunabulis unanimi doctrina, quod alterum est idque non obscurum in rebus ad fidem pertinentibus signum traditionis. Magister enim sententiarum *lib.* 4. *dist.* 2. septem esse sacramenta docet & in his Eucharistiam reponit. Magistrum autem omnes theologi in eo secuti sunt.

Probatur 5. ipsorum etiam hæreticorum, quos pro auctoribus habent Sociniani, consensione.

1. Enim Valdenses septem sacramenta & Eucharistiam imprimis agnoscebant, ut ex variis monimentis probat illustrissimus Bossuetus *lib.* 2. *variationum*, & testatur Lutherus in libro ad eos scripto.

2. Joannes Hus ejusque discipuli, quod patet ex concilio Constantiensi *sess.* 15. *art.* 8. & diserte probat ex ipsis Calvinianis idem Bossuetus *ibid. lib.* 2. *num.* 164. & 179.

3. Lutherani. Tria enim admittit Lutherus sacramenta *in lib. de captivitate Babylonica*, Baptismum, Panem & Pœnitentiam, & quamvis exinde turpiter variaverit, semper tamen Eucharistiam inter sacramenta collocavit. Ita etiam Melanchon *in locis theologicis*; Kemnitius 2. *parte examinis concilii Tridentini, cap. de numero sacramentorum.* Baptismum, Cœnam, & Absolutionem, tria esse vera sacrameta pariter pronunciant Lutherani *in apologia cap. de numero sacramentorum*, *art.* 12.

4. Zuingliani duce Zuinglio *in lib. de vera & falsa religione cap. de sacramentis*.

5. Calviniani auctore Calvino, *institutionis lib.* 4. *cap.* 18. & *in antidoto concilii Tridentini, ad sess.* 7. *can.* 1.

6. Anglicani *in confessione fidei* sub Henrico VIII. apud Burnetum. *pag.* 391.

Probatur 6. duplici ratione theologica.

Prima est, quod ritus, qui omnibus instructus est conditionibus ad veri nominis sacramentum requisitis, is certe genuinum sit novæ legis sacramentum. Atqui hujusmodi est Eucharistia. Tria enim tantum necessaria sunt ad sacramentum, ac 1. quidem, symbolum sensibile : 2. divi-

divina institutio: 3. gratiæ promissio. Atqui cuncta hæc in Eucharistia reperiuntur, ut ex his constat quæ hactenus disputavimus. Ergo.

Secunda est, quod videatur fuisse Christi sapientiæ ac providentiæ, ut post Baptismum, quo renascimur ad vitam, & Confirmationem, qua ad hujus vitæ perfectionem perducimur, tertium subministraret sacramentum, quo velut cibo & alimento, in accepta vita & adjuncto robore perseveraremus. Scilicet sacramenta ideo sunt instituta, ut ad instar veteris hominis novus homo generetur, crescat, & vivere pergat in terris, donec in cœlum transferatur. Ut ergo ad vitam vulgarem ac naturalem non satis est homini nasci, nisi augeatur; nec augeri profuerit, nisi utrumque alimento conservetur; sic ad vitam spiritalem, quam nobis attulit Christus, ut nihil deesset, tria hæc provideri oportuit. 1. efficit Baptismus, 2. Confirmatio, 3. Eucharistia. Ergo. Ita S. Thomas 3. *parte*; *quæst.* 73. *art.* 1. *in corpore*.

Objicies cum Socinianis. Quando Christus Eucharistiam instituit, unum tantum instituti sui finem assignat, ut scilicet fieret in sui memoriam. Ergo.

Respondeo 1. mentionem fieri remissionis peccatorum: 2. etiamsi in Eucharistiæ institutione mentio gratiæ facta non fuisset, satis fuisse, si in ejusdem promissione facta fuerit. At certe cum Christus Eucharistiam a se instituendam promisit *Joan. cap.* 6. gratiam vitamque ei fore annexam manifeste prædixit. Ergo.

SECTIO II.

In quo Eucharistici sacramenti ratio sit ponenda.

Duæ sunt difficultates omnino a se invicem disjunctæ hic agitari solitæ: prima inter catholicos e schola theologos, in quo præcise consistat Eucharistici sacramenti ratio: altera catholicos inter & hæreticos, an Eucharistia sit tantum sita in actione qua consecratur ac sumitur, an contra sit quidpiam ex sese stabile ac permanens etiam extra ipsius usum.

Primam tantum expendemus hoc loco: alteram omittemus in illud tempus quo de Eucharistiæ proprietatibus sermonem habebimus.

Observandum igitur est ex dictis 1. sacramenta esse signa quædam externa a Christo instituta, ut gratiam largiantur.

Observandum est 2. sacramenta rebus veluti materia, & verbis tanquam forma perfici.

Observandum 3. cætera sacramenta in actionibus consistere, & quidem in iis quibus forma applicatur ad materiam, & gratia homini confertur: sic Baptismus situs est in ablutione simul & verbis a ministro prolatis, quibus nova vita inditur; sic Confirmatio in impositione manuum & oratione ipsi adjuncta qua Spiritus-sanctus invocatur &c.

Ob-

Observandum 4. in Eucharistia celebranda plura distingui posse: ac 1. quidem varias actiones, quibus illa conficitur ac suscipitur: 2. panem & vinum ex quibus conficitur: 3. verba, quibus conficitur & consecratur: 4. species panis & vini, quæ post consecrationem remanent: 5. corpus & sanguinem Christi in quæ panis & vinum conversa sunt.

Observandum est 5. ex his enatas esse sex theologorum opiniones.

Prima est eorum, qui putant sacramentum hoc in consecratione materiæ consistere: quia nimirum actio est qua forma ad materiam applicatur. Ita sentire videntur sanctus Thomas 3. *parte*, *quæst.* 73. *art.* 1. *ad* 3. & *quæst.* 78. *art.* 1. *in corpore*; Cajetanus *ibid.* Durandus *in* 4. *dist.* 8. *quæst.* 2.

Secunda est nonnullorum, qui existimant Eucharistiæ Sacramentum in ipsa Eucharistiæ sumptione seu usu positum esse, quod nempe ex omnibus, quæ in Eucharistiæ celebratione reperiuntur actionibus, sola sumptio gratiam homini largiatur.

Tertia est Aureoli, *ibidem art.* 1. & olim S. Thomæ, cum junior in sententias scriberet, *ad lib.* 4. *dist.* 8. Gabrielis *ibid.* &c. qui iisdem de causis consecrationem simul & sumptionem conjungunt ad constituendum Eucharistiæ sacramentum.

Quarta est Magistri sententiarum *ibid. litt.* D, qui totam sacramenti Eucharistiæ rationem reponit in speciebus panis & vini post consecrationem superstitibus, quod illæ solæ sint & esse possint signum visibile invisibilis gratiæ.

Quinta est Thomæ Valdensis *lib.* 2. *de sacramentis cap.* 22. qui statuit corpus & sanguinem Christi habere proprie rationem sacramenti, quod sola gratiam tribuere queant.

Sexta est vulgaris aliorum plerorumque omnium, qui existimant sacramentum Eucharistiæ constare ex speciebus simul & corpore & sanguine Christi quæ sub eis latent.

Observandum est 6. Eucharistiam considerari posse duplici modo, in fieri nempe, & in facto esse, ut scholæ loquuntur: spectatur in fieri, cum panis & vinum verbis consecrationis mutantur in corpus & sanguinem Christi ad spiritalem fidelium alimoniam: in facto autem esse, cum corpus & sanguis Christi consecratione peracta sub speciebus panis & vini superstitibus in eumdem finem posita esse jam intelliguntur.

Observandum est 7. Eucharistiæ sacramentum hoc posteriore modo, id est, in facto esse, solere potius considerari.

ASSERTIO I.

Consecratio non est Eucharistiæ sacramentum.

Probatur. Illa actio non est sacramentum, quæ gratiam homini per se non confert. Atqui consecratio gratiam homini non impertitur, sed est tantum veluti via ad conficiendum Christi corpus, quod proprie illam ex se in animos effundit. Ergo.

Obji-

Objicies 1. Cætera ſacramenta in iis ſita ſunt actionibus quibus forma applicatur ad materiam. Ut enim ait Auguſtinus, *Accedit verbum ad elementum; & fit ſacramentum*. Sic Pœnitentiæ ſacramentum eſt abſolutio pœnitentis. Ergo pariter Euchariſtiæ ſacramentum in ejuſmodi actione reponendum eſt. At conſecratio eſt actio, qua applicatur forma ad materiam Euchariſtiæ, verba ſcilicet Chriſti ad ſymbola ſenſibus ſubjecta. Ergo.

Nego conſequentiam & paritatem. Ut enim admonet ſanctus Thomas 3. *parte*, *quæſtione* 73. *articulo* 1. & docet ſynodus Tridentina *ſeſſione* 13. *cap.* 3. eo differt a reliquis Euchariſtiæ ſacramentum, quod alia ſacramenta in actione quadam brevi tranſeunte poſita ſint; Euchariſtia vero conſtituta ſit in aliqua re permanente. Cujus quidem diſcriminis ea ratio eſt, quod in cæteris ſacramentis actiones ipſæ, quibus forma applicatur ad materiam, gratiam ſimul hominibus inſtillent dum exercentur; in Euchariſtia vero contra conſecratio formam quidem applicet, ſed gratiam non largiatur.

Id autem ex eo profluit quod in cæteris ſacramentis poſt actiones quibus forma applicatur, nihil remaneat quod gratiam tribuere poſſit: ſic in Baptiſmo poſt ſanctæ Trinitatis appellationem, in Pœnitentia poſt abſolutionem, nihil omnino eſt quod gratiæ cauſa eſſe queat. Contra vero in Euchariſtia poſt conſecrationem remanet corpus Chriſti, quod in ſe gratiæ fontem continet, & ex ſe in homines derivat. Ergo in cæteris ſacramentis actiones ipſæ & verba debent habere rationem ſacramenti; in Euchariſtia autem non actiones, non verba, ſed res ipſæ poſt actionem & verba permanentes.

Objicies 2. In cæteris ſacramentis dum forma profertur, ſimul confertur gratia. Ergo & in Euchariſtia.

Nego conſequentiam & paritatem: cujus diſcriminis cauſa eſt, quod in cæteris ſacramentis formæ verba ad homines dirigantur, & ad eos referantur, ut iis illi ſanctificentur: *Ego te baptizo*: *Ego te abſolvo*, &c. non autem in Euchariſtia. Namque euchariſticæ conſecrationis verba non in homines exeruntur ut iis ſanctificentur, ſed in panem & vinum, ut ea in corpus & ſanguinem Chriſti convertantur. Non mirum itaque eſt ſi in reliquis ſacramentis formæ verba gratiam tribuant hominibus, ad quos applicantur, non in Euchariſtia, cum ad homines verba illa non ſpectent.

Instabis. Si ita eſt, major eſt vis verborum in reliquis Sacramentis quam in Euchariſtia, adeoque major eſt eorum, quam Euchariſtiæ dignitas atque excellentia. Sed id falſum eſt. Ergo.

Nego majorem. Minus enim eſt producere gratiam, quam ipſum gratiæ fontem Chriſtum. At cætera ſacramenta producunt tantum gratiam: Euchariſtiæ autem conſecratio ipſum Chriſtum præſentem efficit, qui gratia homines ad ſe accedentes repleat.

Objicies 3. Baptiſmus & Confirmatio ex ipſa conſecratione materiæ

riæ ſuæ, videlicet aquæ & chriſmatis, vim accipiunt conferendæ gratiæ. Ac 1. quidem Baptiſma. Deum enim pridie paſchatis aqua benedicitur, poſtulat Eccleſia ut IN EAM DESCENDAT VIRTUS SPIRITUS SANCTI. 2. Confirmatio. Concilium enim Tridentinum *ſeſſ. 7. can. 2. de Confirmatione*, anathemate percellit eos, " qui dicunt injurios eſſe „ Spiritui ſancto eos, qui ſacro Confirmationis chriſmati virtutem ali- „ quam tribuunt. Ergo pariter ex conſecrationis verbis haurit Eucha- „ riſtia eam, quam habet, gratiæ conciliandæ facultatem.

NEGO antecedens. Ad probationem diſtinguo: Eccleſia poſtulat ut in aquam deſcendat virtus Spiritus ſancti, & chriſma vim aliquam habet in ipſa collatione ſacramentorum; concedo: ante collationem; nego. Dum igitur aqua aut chriſma benedicuntur, precibus Eccleſiæ ad uſus ſacramentorum deſtinantur, ſed iis ſacramenta non fiunt, nec vim aliquam ſtabilem & in ſe impreſſam ac permanentem concipiunt. Quod adeo verum eſt, ut non ſufficiat deinceps applicare iſtiuſmodi aquam aut chriſma ad homines, ut iis ſanctificentur, ſed neceſſe ſit inter materiam ipſam applicandam nova proferre verba, quibus revera gratia conferatur. Non ergo ex præcedenti benedictione vim iſtam accipiunt, ſed accipiunt demum ex ipſius formæ iſtorum ſacramentorum verbis poſtea prolatis. Porro etiamſi materia illorum ſacramentorum ex conſecratione ſeu benedictione ſua vim illam traherent, non eſſet eadem Euchariſtiæ ratio. Corpus enim Chriſti vim gratiæ conferendæ non ex conſecrationis formula mutatur, ſed ex ſe habet.

OBJICIES 4. Conſecratio Euchariſtiæ eſt ſignum rei ſacræ, hoc eſt corporis Chriſti; illud enim ſonant ipſa verba quibus conſtat. Ergo eſt ſacramentum.

DISTINGUO conſequens: eſt ſacramentum improprie dictum; concedo: proprie dictum; nego. *Sacramenti* nomen aut late ſumitur, aut proprie: late eſt quodlibet rei ſacræ ſignum: proprie eſt ſignum efficax gratiæ ſanctificantis, quale profecto non eſt Euchariſtiæ conſecratio.

OBJICIES 5. Conſecrationis verba dicuntur eſſe Euchariſtiæ forma. Ergo pertinent ad ſacramentum.

DISTINGUO antecedens: forma Euchariſtiæ in fieri; concedo: in facto eſſe; nego. Porro Euchariſtia in facto eſſe tantum gratiam impertitur: proinde in eo tantum ſtatu eſt veri nominis ſacramentum.

ASSERTIO II.

EUCHARISTIÆ ſacramentum in ipſius uſu ſeu ſumptione non eſt collocandum.

PROBATUR. Nulla enim actio proprie ſacramentum eſt, niſi actio miniſtri ſacramentum conficientis. At ſumptio ſeu uſus Euchariſtiæ non

eſt actio

est actio ministri seu sacerdotis, sed subjecti, id est hominis eam suscipientis. Ergo.

PROBATUR 2. Sacramentum est causa gratiæ sanctificantis. Atqui causa gratiæ sanctificantis in homine ad Eucharistiam accedente non est ipsa sumptio, sed corpus & sanguis Christi quæ sumuntur. Ergo.

PROBATUR 3. Illa actio non est sacramentum, qua sacramentum est prius. Atqui sacramentum Eucharistiæ est prius illius usu ac sumptione. Antequam enim Eucharistia percipiatur, jam in altari est sacramentum Eucharistiæ. Et vero sacramentum dicitur sumi. Ergo est antequam sumatur.

OBJICIES. Cætera sacramenta in ea actione posita sunt, in qua gratia confertur. At inter omnes Eucharistiæ celebrandæ actiones, nulla est præter sumptionem in qua gratia infundatur. Tunc enim gratia illabitur, dum Eucharistia suscipitur. Ergo.

DISTINGUO majorem: in qua & qua gratia confertur; concedo: in qua, non qua gratia confertur; nego. Fatemur itaque gratiam conferri hominibus in ipso Eucharistiæ usu seu sumptione: sed negamus vi istius actionis conferri gratiam, quod necesse foret ad sacramentum: Sumptio enim est actio quidem applicans ad hominem id quod gratiam continet: sed non ipsa tanquam causa gratiam tribuit. Sicut ergo admotio ignis ad ligna conditio est ad flammam in iis accendendam, neque tamen ipsa causa est flammæ in lignis accensæ, sed ignis qui lignis admovetur; sic non ipsa Eucharistiæ sumptio est causa gratiæ, sed Christus qui ista actione in hominem illabitur.

ASSERTIO III.

CONSECRATIO & sumptio Eucharistiæ simul junctæ, non sunt Eucharistiæ sacramentum.

PROBATUR iisdem de causis: Eucharistiæ enim sacramentum nulla in actione situm est, in quo discrepat a reliquis sacramentis. Et vero Eucharistia non est nisi post consecrationem, & post eam permanet. Est vero ante sumptionem. Ergo ambæ non sunt Eucharistiæ sacramentum.

ASSERTIO IV.

SPECIES panis & vini post consecrationem superstites non sunt per se ac solæ integrum Eucharistiæ sacramentum.

PROBATUR 1. ex Scripturis. Sacramentum enim debet esse causa gratiæ. Insuper autem Eucharistiæ sacramentum, cum institutum sit in alimoniam spiritalem hominis, debet esse animæ cibus & potus. At non de speciebus, sed de corpore suo ait Christus Joan. 6. *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Certe Augustinus *lib. 1. de peccatorum meritis cap.* 34. notat Eucharistiæ sacramentum lingua Punica

nica *vitam* nominari, quod sit panis ille vivus qui de cœlo descendit & quo corda pascuntur. At vim istam non habent per se species, ut patet. Ergo.

PROBATUR 2. ex conciliis & Patribus. Eucharistiæ enim sacramentum est adorandum, quod etiam docet synodus Tridentina *sess.* 13. *cap.* 5. & statuit *can.* 6. At in Eucharistia species, per se ac seorsim sumptæ, non sunt adoratione dignæ; sed solum Christi corpus & sanguis. Ergo &c.

OBJICIES 1. Sacramentum est signum visibile invisibilis gratiæ. Atqui solæ species possunt esse signa visibilia. Ergo.

DISTINGUO majorem: est signum visibile & efficax invisibilis gratiæ; concedo: visibile duntaxat; nego. Porro species panis & vini seorsim acceptæ gratiæ largiendæ non habent facultatem.

OBJICIES 2. Sancti Patres frequenter, & ipsa synodus Tridentina *sess.* 13. pronunciant corpus & sanguinem Christi esse in Eucharistiæ sacramento. Atqui hæc loquendi ratio non esset accurata, nisi species, sub quibus latent corpus & sanguis Christi, essent proprie Eucharistiæ sacramentum. Ergo.

NEGO minorem. Est enim accurata loquendi ratio, modo Eucharistiæ sacramentum sit aliquid constans ex duabus veluti partibus, & complectatur species panis & vini simul & corpus & sanguinem Christi. Pars enim dicitur esse in toto, v. g. anima in homine. Ergo.

ASSERTIO V.

SACRAMENTUM Eucharistiæ non est proprie corpus & sanguis Christi in se ac seorsim spectata.

PROBATUR. Sacramentum enim est quoddam sensibile. Atqui corpus & sanguis Christi in Eucharistia in sensus non cadunt, nec iis percipiuntur. Ergo.

OBJICIES 1. Sacramentum Eucharistiæ persæpe dicitur apud antiquos esse corpus Christi. Idem sacramentum dicitur esse adorandum, quod sane in solum Christi corpus competit, non in species, quæ per se non sunt supremo latriæ cultu dignæ.

DISTINGUO antecedens: sacramentum penes partem sui præcipuam dicitur esse adorandum; concedo: quasi corpus Christi totum sit per se sacramentum; nego.

OBJICIES 2. In vulgari professione fidei sic habetur: "Fateor sub
„ altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque sa-
„ cramentum sumi." Atqui quod est sub speciebus, est ipsum Christi corpus. Ergo solum Christi corpus est hujusmodi sacramentum.

DISTINGUO antecedens: id est in altera tantum specie totum esse & integrum Christum verumque sacramentum; concedo: id est ipsum Eucharistiæ sacramentum totum sub hac specie latere; nego. Hoc dicitur

citur adversus Calvinianos, qui contendunt utramque speciem esse necessariam ad constituendum verum Eucharistiæ sacramentum, ideoque Ecclesia illic fidei dogma definire voluit, non antiquam scholarum litem dirimere.

ASSERTIO VI.

SACRAMENTUM Eucharistiæ est totum illud aggregatum ex speciebus panis ac vini simul & corpore ac sanguine Christi constans quod in altari ponitur.

PROBATUR 1. iis quæ adversus alias opiniones disputata sunt. Cum enim sex recenseantur ea de re sententiæ, si aliæ rejiciendæ sint, consequens est solam hanc postremam esse ut veram agnoscendam. Deinde Eucharistiæ sacramentum debet habere hinc quidem signum externum & sensibile; illinc quidpiam adorandum. At solum illud totum duo hæc simul continet. Ergo.

PROBATUR 2. ex Patribus. Irenæus enim *lib.* 4. *cap.* 34. asserit Eucharistiam " constare ex re terrena & cœlesti. " Augustinus apud Prosperum *in sententiis*, ut quidem laudatur a Gratiano *de consecratione*, *dist.* 2. *cap.* Hoc est, *num.* 48. seu potius Lanfrancus *de corpore Domini adversus Berengarium*, & ex eo Algerus, Ivo, & cæteri, " Hoc est „ quod dicimus, inquit, hoc modis omnibus approbare contendimus, „ sacrificium scilicet Ecclesiæ duobus constare, visibili elementorum „ specie & invisibili Domini nostri Jesu Christi carne & sanguine, sa- „ cramento & re sacramenti, id est corpore Christi, sicut persona „ Christi constat & conficitur Deo & homine.

PROBATUR 3. communi Ecclesiæ & omnium passim fidelium sensu ac loquendi ratione. Cum enim vulgo *sacramentum Eucharistiæ* appellatur, cum dicitur *sumi*, *gestari*, *&c.* utrumque profecto intelligitur.

PROBATUR 4. ratione. Quodlibet enim novæ legis sacramentum duo simul complecti debet; signum scilicet externum, & largiendæ gratiæ facultatem. Atqui in toto illo, quod ex speciebus simul & corpore Christi coalescit, duo illa reperiuntur; in neutro autem seorsum. Ergo.

OBJICIES. Eucharistiæ sacramentum sæpe nominatur *sacramentum corporis, & sanguinis Christi*. Ergo non est ipsum Christi corpus.

NEGO consequentiam. Sicut enim baptismus persæpe nominatur *baptismi sacramentum*; sic *sacramentum corporis Christi* potest appellari, quod est ipsum Christi corpus. Porro quamvis duo hæc confluant ad constituendum Eucharistiæ sacramentum, fatendum est tamen apud antiquos *sacramenti* vocem potissimum de speciebus externis usurpari solitam esse; quia nempe *sacramenti* nomen ex se & generatim nihil aliud sonat quam signum aliquod externum rei alicujus in sensus incurrens. Cum autem id in solas species Eucharisticas cadat, hinc frequentius *sacramenti* nomine insi-

insigniuntur. Sic apud Augustinum mox laudatum, seu potius Lanfrancum, sacrificium Ecclesiæ dicitur duobus confici, visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri Jesu Christi carne & sanguine, seu sacramento & re sacramenti, id est corpore Christi. Sic paulo post *ibidem* additur " Est igitur in Eucharistia sacramentum & res sacramenti, id est corpus Christi. "

Jam vero ut hoc Augustini seu Lanfranci dictum percipiatur, & alia id genus multa apud veteres theologos, animadvertendum est in sacramentis duo passim secerni consuevisse, sacramentum & rem sacramenti. *Sacramentum* appellatur signum externum & visibile quod oculis conspicitur, v. g. in baptismate, corporis ablutio: *res* autem *sacramenti* dicitur id quod est in sacramento invisibile, & symbolo externo adumbratur, v. g. peccati sordium abstersio, gratia in eodem baptismate: uno verbo *sacramentum* dicitur id quod significat; *res sacramenti*, id quod significatur. Porro in Eucharistia tria vulgo distinguuntur, scilicet sacramentum, res sacramenti, & id quod sacramentum est simul & res sacramenti. *Sacramentum* vocatur id quod est symbolum externum, quod significat, nec significatur. *Res sacramenti* dicitur id quod significatur nec significat. Denique *sacramentum*, simul & *res sacramenti* nuncupatur id quod significat simul & significatur. Sic species panis & vini est tantum sacramentum, quia significat corpus Christi quod includit & præterea cibum, seu, ut loqui mos est, refectionem spiritualem animæ. Res sacramenti est ipsa animæ refectio & gratia spiritalis, qua anima alitur, & ut Tertullianus ait, impinguatur. Illa enim significatur tantum, non autem significat. Tandem *sacramentum simul & res sacramenti* est Christi corpus & sanguis; sic enim symbolis externis significatur, ut etiam significent hanc spiritalem animæ refectionem. Ita Hugo Victorinus *lib.* 2. *de sacramentis*, *parte* 8. *cap.* 7. & ex eo Magister sententiarum *lib.* 4. *dist.* 8.

Ex his intelligitur quid sit Eucharistia. Est enim sacramentum corporis & sanguinis Christi ab ipso institutum ad refectionem animæ spiritalem.

ARTICULUS III.

De Eucharistiæ institutione.

APUD omnes indubitatum est Christum pridie mortis suæ Eucharistiam instituisse: itaque de re ipsa nulla quæstio est, sed de adjunctis. Disputatur enim tantum an eo tempore pascha celebraverit juxta legis præscriptum & una cum cæteris Judæis.

Ex his autem tres aliæ exurgunt controversiæ. Prima, quandonam juxta Mosis legem pascha celebrari debuerit: Secunda, quisnam fuerit omnium a Mose ætatum apud Judæos usus. Tertia, an nulla hac in re va-

re variatio admitteretur. A postremis porro ordiemur ut exinde ad alias pergamus.

S E C T I O I.

Quodnam esset tempus celebrando Paschati lege Mosaica præstitutum.

NEMINI notum non est, qui modo Exodum legerit, Judæos cum olim ex Ægypto jamjam essent egressuri, agnum immolare & una cum azymis, hoc est panibus sine fermento comedere jussos esse, qui agnus *Pascha* vocatus est, hoc est *transitus Domini*, quod eodem tempore Deus per universam Ægyptum transiens omnes Ægyptiorum primogenitos internecioni dederit: in cujus rei memoriam ut agnus quotannis eodem ritu manducaretur lege peculiari ac perpetua est imperatum.

N O T A N D A.

JAM vero certum est

1. Hoc pascha celebrari solitum tempore verno, ac mensis Nisan, qui primus omnium erat apud Judæos in anno sacro, decima quarta die: hæc enim diserte præscribuntur *Exodi* 12. 6. 18. *Levit.* 23. 5. *Num.* 9. 21. *Deut.* 16. 1.

2. Hanc decimam quartam diem totam fere, hoc est usque ad occasum solis, profestam extitisse, si legem Mosis spectes: si legem, inquam; nam si ad consuetudinem respicias, Rabbinisque fidem habere velis, a meridie saltem feriata fuit.

3. Decima quinta die solemnitatem fuisse azymorum, quæ per septem dies durabant usque ad vigesimam primam. Ita tamen ut prima duntaxat & ultima diebus festis accenserentur.

4. Festos dies, juxta illud Levit. 23. 32. *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra*, ab occasu solis inchoatos esse & in sequentem solis occasum desiisse. Quo autem tempore præcise dies alii apud Judæos inciperent dubium esse. Atque adeo constat a decima quarta die post occasum solis incœpisse solemnitatem azymorum, quibuscum etiam eadem nocte agnus paschalis manducabatur. Haud satis autem scitur a quo puncto esset principium ejusdem diei decimæ quartæ. Vulgo nihilominus sciscunt, ut nunc ita & olim, semper Judæos a vespera dierum omnium nullo discrimine initia duxisse & in vesperam terminasse, ita ut uniuscujusque diei duplex esset vespera, altera quæ ejus foret exordium, altera quæ finis esset.

VARIÆ OPINIONIS

Quæ cum ita sint, vulgatissima omnium & probatissima sententia est agnum luna die decima quarta exeunte & immolari & comedi oportuisse. Verum quia juxta hoc placitum non mediocres occurrunt in explicando primo Judæorum in Ægypto & ultimo Christi paschate difficultates, & vix ac ne vix quidem Judæi eadem nocte ex Ægypto migrare potuisse videantur qua pascha comederant, quod tamen ex hac sententia sequitur; & quod Christus legis observantissimus pascha non videatur manducasse eadem qua Judæi die juxta Joannem evangelistam; ut ab iis sese expedirent multi varia commenti sunt.

Itaque Paulus e Judæo Christianus episcopus Burgensis *in cap. 26. Matth.* Paulus alter de Middelburgo episcopus Semproniensis *de recta paschatis celebrandi ratione*; Hentenius *præfatione ad Euthymii commentarios*; Onuphrius *lib. 2. fastorum*; Catharinus *lib. 2. contra Cajetanum*; Cornelius Jansenius *in concordia*; Maldonatus *in Matth. 26.* cum in opinione communi acquiescerent, ei tamen certis in casibus aliquid esse addendum e Judæorum moribus ad omnia conciliandа censuerunt. Nempe Judæis hoc jam in usu est, idque ex veteris ut jactant, synagogæ decreto, ne duos festos dies consequentes habeant; proinde sollicite cavent juxta regulam, quam vocant *Badu*, ne unquam Neomenia Nisan in secundam aut quartam aut sextam feriam, neve azymorum festum in eamdem, v. g. sextam feriam cadat: quod ultimum, si forte accidit, tum agni paschalis, quem feria quinta mactari oportuisset, immolationem in proximam diem transferunt, & per consequens azymorum festivitatem & sabbatum sequens. Hoc cum e popularium institutis sciret Paulus Burgensis, Rabbinorum testimonio fidens, sibi primum ac deinde aliis facile persuasit hunc feriarum translationis ritum ætate ipsa Christi jam obtinuisse, idque casus ultimo vitæ ejus anno incidisse. Cum igitur tunc decima quarta dies cum feria quinta concurreret, Christum legis, non humanæ traditionis rationem habentem ea die agnum paschalem comedisse, contra vero reliquos Judæos in sequentem diem juxta morem omisisse: hoc pacto omnia plana esse contendunt. Quidquid sit, statuunt illi cum decima quarta dies sola paschati faciendo a Mose esset fixa, in id tamen propter incommoda quæ deprehensa sunt, mutationis aliquid certis in occasionibus decursu temporis irrepsisse.

Aloysius autem Legionensis ex Augustinianorum familia theologus insignis, cum hæc ei non arriderent post Oleastrum *in cap. 23. Levit.* & Stellam *in cap. 22. Lucæ*, aliam iniit viam, ut illi videtur, breviorem ac planiorem. Quocirca libellum scripsit de utriusque agni, typici scilicet & veri, immolationis legitimo tempore, in quo magna vi probare nititur pascha decima quarta luna non exeunte, sed ine-

unte,

unte , hoc est nostro more , ad finem diei decimæ tert-æ semper esse celebratum . Aloysium secutus est Basilius Pontius ejus discipulus , ex eadem familia theologus alter, cujus etiam scriptis hæc Aloysii dissertatio inserta est . Ex hac opinatione colligunt Judæos in Ægypto pascha comedisse integra una die antequam ex ea exirent , & similiter Christum una quoque die integra ante diem festum paschæ seu azymorum agnum paschalem comedisse, quæ duo haud leve cæteris negotium facessunt.

Sed cum solvendis omnibus nodis Aloysii ratio non sufficiat , Ferrandus vir inter eruditos notissimus , ejus vestigia assectanda esse judicavit ; ita tamen ut ad ejus mentem aliquid adderet . Rem ergo sic ei componi placuit . Putat 1. Judæos in Ægypto ad priorem reipsa diei decimæ quartæ vesperam pascha celebrasse : 2. Mosen , cum de paschate quotannis renovando legem figeret , permisisse nihilominus cujusvis arbitrio ut qua vellet vespera illius diei seu prima seu secunda pascha faceret : 3. Usum tamen invaluisse postmodum, ut non nisi ad secundam vesperam fieret . 4. Denique Christum morti proximum ac jamjam liberaturum homines e Dæmonis jugo sese ad primum omnium pascha Judæorum in Ægypto accommodasse , ut figura veritati responderet: proinde uno die antevertisse Judæos, qui sequenti demum die suum pro indita consuetudine celebraverint. Vide operis ejus *partem* 1. *pag*. 260.

At cum nec a Paulo Burgensi adhibita feriarum translatio , nec inventa ab Aloysio vesperæ anticipatio eruditis omnino satisfaceret , Ægydius Bucherius e societate Jesu *in paschali Judæorum cyclo* , & qui eum expressit Pezronius ad calcem historiæ evangelicæ ad aliud confugere . Nempe Judæi utuntur mensibus lunaribus alternatim cavis ac plenis , hoc est modo triginta dierum , modo viginti novem. Duplex autem esse potest mensis lunaris ordiendi modus : alter a lunæ cum sole synodo seu conjunctione ; alter ab ejusdem lunæ prima phasi sive conspectu . Hebræi jam a phasi menses incipiunt , sicque olim in republica sua semper factitatum esse arbitrantur . Narrant vero primam lunæ phasim diligenter olim jussu senatus Hierosolymitani e summis montium jugis observari solitam esse ; de qua , simul erat renunciatum , statim neomenia consecrabatur . Cum autem senatus decretum illico , ut pax erat , innotescere non posset iis qui inde longe dissiti essent , addunt moris extitisse ut illi in dubio Neomeniæ festum per duos dies agerent , quod etiamnum frequentant . Hæc a Judæis acceperunt Bucherius , & ad propositum suum converterunt , decernentes primo menses lunares antiquos Judæorum triginta dierum extitisse : secundo duplex fuisse mensium istorum caput , unum a lunæ cum sole conjunctione , secundum hoc una die posterius a lunæ primo conspectu , a quo prima dies mensis sequentis vulgo duceretur : tertio pro duplici mensis capite ac principio duplicem quoque fuisse Neomeniam:

quarto duplicem hanc Neomeniam omnibus Judæis etiam in Palæstina, ipsisque Hierosolymis fuisse usitatam. Porro si duplex Neomenia fuit, oportet ut simili ratione quælibet alia dies mensis geminaretur. Duplex adeo decima quarta dies mensis Nisan fuit, sese invicem consequentes. Quod si ita est, nulla opera Evangelistæ conciliantur, quorum tres primi asserunt Christum feria quinta agnum comedisse, quartus autem videtur significare pascha feria tantum sexta a Judæis pontificibus fuisse celebratum. Sic enim priorem decimam quartam diem, quæ in feriam quintam cadebat, Christus occupaverit, posteriorem, quæ cum feria sexta concurrebat Judæorum populus: ambo diversa quidem die, sed uterque tamen decima quarta die, quæ legitima erat, pascha facientes.

Eodem fere recidit Harduinus alter e societate Jesu vir doctus, in sua *de supremo Christi paschate* dissertatione. Duplex enim mensis initium, duplicem Neomeniam, & unamquamque mensis diem geminam admittit, itidem ut superiores; sed ab iis in hoc differt, quod cum in templo agni paschales essent immolandi, nec universæ Judæorum, hoc est infinitæ multitudini locus sufficere potuisse videatur, asseveret ex compacto sic populum Hebræum distributum esse, ut Judæi seorsim a Galilæis pascha facerent, ac modo hi, modo illi, aut priorem aut posteriorem decimam quartam mensis Nisan diem sibi sumerent. Censet autem ultimo vitæ Christi anno contigisse, ut priores Galilæi pascha facere deberent, nec proinde mirum esse quod Christus e Galilæa profectus una die Judæos pontifices anteverterit.

Atque triplex hæc via est, quam recentiores illi excogitarunt, ut difficultatibus, quæ hinc & inde in ea quæstione reperiuntur, vel omnino vel ex parte pro instituto aut pro virili se levarent.

Sed antequam ultra progredimur, non abs re erit expendere undenam inciperent dies profesti ac vulgares. Cum enim dies sacri ac festi ab occasu solis seu a vespera ducerent initium, & in sequentem vesperam desinerent, non immerito potest inquiri an eadem esset omnium dierum aliorum ratio.

De principio dierum communium ac profestorum apud Judæos.

Vulgaris est sententia, quæ statuit omnes illos dies apud Judæos a vespera inchoari consuevisse. Non desunt tamen eruditi, qui contra opinentur discrimen aliquod festos inter ac profestos extitisse; & festos quidem juxta legem ab occasu solis exordium habuisse, alios autem communes a media nocte, ut apud nos, incipere solitos.

AS.

ASSERTIO.

Dies vulgares ac profesti apud Judæos non ab occasu solis seu a vespera, sed a media nocte ducebant initium.

Probatur variis momentis, quæ breviter, sed pro argumenti gravitate accuratius exponenda sunt.

Primum est, quod *Levit. cap.* 23. 32. lex sit peculiaris de exordiendis festis diebus a vespera. *A vespera*, inquit Moyses, *usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra*. Quorsum autem ea exceptio, si omnes a vespera dies inchoarentur? Cur id placuit, vel etiam cur in mentem legislatori venit, nisi hoc festis proprium foret? Cur Moyses, ut in anni sacri, ita & hic in dierum festorum exordio *Exod.* 12. 2. legem singularem fixit, nisi in utroque initio novaverit? cumque annus civilis a mense Tisri seu Septembri inciperet, dies vero civilis a media nocte, voluit deinceps ut annus quilibet sacer a mense Nisan, & quilibet dies festus a vespera inchoaretur.

Secundum est, quod si dies etiam vulgares ab occasu solis essent tum inchoati, alia profecto dies extitisset ante solis occasum, alia ab solis occasu: proinde quæ ante solis occasum, & quæ post solis occasum accidissent, ea non uni, sed diversæ omnino diei essent ascribenda, ut patet. Atqui ne unum quidem est istius rei exemplum in Scripturis; contra plurima sunt quæ ostendant tempus ab occasu solis spectatum esse tanquam partem, seriem ac finem diei, qui prius illuxerit, ita ut quæ ante solis occasum & post solis occasum fierent, una eademque die fieri dicantur. Sic v. g. agni paschalis immolatio, & manducatio ponuntur ex æquo die decima quarta: immolatio quidem *Exod.* 12. *6.* 2. *Paralip.* 35. 1. manducatio autem *Exod.* 12. 8. *&* 18. *& Num.* 9. 5. Immolatio porro fiebat paulo post meridiem, ut modo declarabimus: convivium vero paschale cum azymis post occasum solis & nocte demum celebrabatur, Exod. 12. 8. *Edent carnes nocte illa .... & azymos panes*. Utramque igitur, idest immolationem, & manducationem agni paschalis, occasus solis dirimebat. Utraque tamen ex æquo ubique fieri dicitur decima quarta die. Ac facere pascha, est illud comedere, *Apud te facio pascha*, Matth. 26. 18. &c. Ergo decima quarta dies, quæ ante illuxerat, etiam post occasum solis protendebatur. Ergo dies occasu solis non terminabatur.

Tertium est, quod solemne expiationis ac jejunii festum apud Judæos in decimam diem mensis septimi inciderit, Levit. 23. 27. *Decima die mensis septimi dies expiationum erit celeberrimus, affligetisque animas vestras in eo*. Idem fere legas *Levit.* 16. 29. *& Num.* 29. 7. Jam vero festi dies a vespera ducebantur, ut est in confesso apud omnes. Imo & hujus expiationum festi occasione, de omnibus festis diebus ab occasu solis celebrandis regula generalis instituta est: atque adeo si dies etiam alii ac civiles ab occa-

su solis pariter essent inchoati, Judæi non nisi post exactam integram diem nonam jejunare animasque suas affligere cœpissent. Quod si contra, ut nos credimus, dies durarent in mediam noctem, necesse est ut sese jam a die nona afflixerint, & jejunium, quod ab occasu solis inchoabatur, diei noni partem ultimam, hoc est sex circiter horas occupaverit. Ergo si Moses solum diem decimam addicat jejunio, favebit adversariis: a nobis autem erit, si jam a nona die inchoari jejunium præcipiat, Levit. 23. 32. *Et affligetis animas vestras die nona mensis*. Ergo dies nonus occasu solis non finiebatur, a quo demum jejunium incipiebat. Ergo ultra occasum solis unaquæque dies progrediebatur.

Quartum est, quod si dies initium habeat ab occasu solis, inde sequeretur, quoties res aliqua fieri dicitur certa die ad eam vesperam, quæ est post solis occasum, id necessario fore intelligendum de eadem hac die ineunte, ut patet. Proxima enim vespera post solis occasum ad eamdem diem non pertineret, sed aliam inchoaret. Atqui contra ubicunque aliquid præscribitur faciendum, aut factum narratur certa die ad eam vesperam quæ solis occasum consequitur, id de eadem hac die exeunte est accipiendum; sic *Exodi* 12. 18. quarta decima die Nisan ad vesperam post solis occasum incipiebat usus azymorum. Id autem capi non potest nisi de die decima quarta exeunte; quia solemnitas azymorum, quæ prima erat azymorum dies, incidebat in decimam quintam, *Exod.* 12. 16. & *Levit.* 23. 6. Sic apud Ezechielem 45. 21. decima quarta die ad vesperam asseritur esse solemnitas paschæ, seu azymorum. An vero id intelligi potest de decima quarta ineunte? nequaquam. Certum est enim decimam quartam diem totam fere profestam extitisse. Ergo de exeunte. Atqui solemnitas ista non ducebatur nisi ab occasu solis. Ergo vespera quæ sequebatur solis occasum, erat adhuc pars diei decimæ quartæ, & post solis occasum dies decima quarta durare adhuc putabatur. Sic *Matth.* 28. 1. *Marci* 16. 1. Maria Magdalene, & altera Maria perhibentur sese ad ungendum Jesum accinxisse, idque vespere sabbati. Atqui ibi sermo fit non de sabbato ineunte, sed de vespera sabbati, *quæ lucescit in prima sabbathi*, cum transisset sabbatum seu potius sabbati quies, solque occubuisset. Ergo dies eadem, quæ *sabbatum* appellabatur, etiam post occasum solis continuabatur. Ergo eo occasu non erat absoluta.

Quintum est, quod *Joan.* 1. 39. dicantur Andreas & alter venisse ad Christum hora decima & postea mansisse apud illum die illo, hoc est pernoctasse: *Et apud eum manserunt die illo: hora autem erat quasi decima*. Ergo nox consequens, quoad aliquam saltem sui partem, ad diem illam pertinebat.

Sextum est, quod juxta Matthæum *cap.* 12. 40. futurus erat Christus *in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus*. In sepulcro ergo jacere debuit per aliquam partem diei & noctis feriæ sextæ sabbati, &, ut jam loquimur, Dominicæ. Atqui id quidem contigit, si dies incipiant

piant a media nocte; esse autem non potuit, si a sole occidente, quia in eo casu ne per minimam quidem partem noctis feriæ sextæ in monumento fuit. Ergo &c.

. Septimum est, quod si vulgarium dierum duplex esset vespera, altera quæ eorum principium esset, altera quæ finis, cum de vespera diei sermo instituitur, ambigi posset quænam vespera esset intelligenda, an prior, an posterior; & de priori reipsa sæpe verba fierent. Atqui contra si periculum facere velis, deprehendes ubicunque Scriptura ait aliquid esse faciendum aut factum ad diei vesperam, id semper cadere in eam vesperam in quam dies desinit, nunquam vero in aliam, ut *Exodi* 12. 18. *Ezechielis* 45. 21. *Matthæi* 28. 21. & alibi. Ergo nulla revera vespera fuit a qua dies inchoarentur.

Octavum est, quod apud Judæos quæ fiebant decima quarta die exeunte post solis occasum ante mediam noctem, & quæ fiebant post eamdem mediam noctem ante lucem, duobus a diversis diebus facta esse censebantur: quod argumento est evidentissimo, dies non ab occasu solis, sed a media nocte, ut apud nos, inchoari solitos esse. Sic autem Scriptura usurpat, præsertim vero *Num.* 33. 3. ajens Judæos profectos esse ex Ægypto *decima quinta die mensis primi, altera die phase.* Nam 1. constat *Paschatis* nomine aut agnum pridie comestum intelligi oportere, aut transitum Domini per universam Ægyptum. Nocte porro jam affecta & Judæi pascha comederant, & Dominus per Ægyptum transierat. 2. Non minus constat Judæos profectos esse ex Ægypto eadem nocte qua pascha manducaverant, Exodi 12. 42. *Nox ista est observabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti.* Deut. 16. 1. *In isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte.* Ergo postrema pars noctis habebatur tanquam altera dies ab ejusdem noctis initio. Ergo ab occasu solis dies non inchoabatur.

Nonum est, quod Josephus Hebræus natione & harum rerum usu ipso peritissimus, semper quoque ascribat diei decimæ quartæ quæcunque fiebant ea die ad finem etiam post solis occasum. 1. Enim *lib. 6. de bello Judaico, cap.* 4. asserit Judæos opinari se a Deo decima quarta die mensis Nisan esse exsolutos Ægyptiorum jugo. Atqui nonnisi decima quarta exeunte post solis occasum liberati sunt: imo media circiter nocte, Domino per universam Ægyptum transeunte, & omnes Ægyptiorum primogenitos interficiente. Ergo Josephus in mediam usque noctem proximæ diei decimæ quintæ qua egressi sunt, decimum quartum diem protendebat. 2. Idem *ibidem* & alibi sæpe, ut & Philo, asseverat pascha comedi solere a Judæis decima quarta die primi mensis. Atqui non comedebatur nisi nocte, & post solis occasum, ad finem diei decimæ quartæ. Ergo secundum eorum calculos etiam tum dies decima quarta durabat. 3. Lex vetabat *Exodi* 12. 10. & *cap.* 34. 25. ne ex paschate comesto per noctem quidquam remaneret usque mane; Josephus autem *lib.* 3. *Antiquit. cap.* 16. affirmat illud mane fuisse

mane diei sequentis. Ergo agnum inter noctis initio comestum & proximam lucem dies novus ortus erat: proinde a media nocte, quod nos statuimus.

Decimum est, quod plerique Patres antiqui, Polycrates apud Eusebium *lib.* 5. *cap.* 24. Origenes *homil.* 35. *in Matth.* scriptor antiquissimus *de paschate* apud Cyprianum *edit. Oxon.* Theophilus Alexandrinus *epist. ad Theodosium*; Ambrosius *in epist. ad Episcopos Æmiliæ*, Theodoretus *quæst.* 24. *in Exodum*, imo & Ebionitæ, quorum auctores & Judæis & Christo suppares fuerunt, apud Origenem *supra*, ita de principio dierum, ut nos, censuerunt, cum dicunt Christum decima quinta die cruci affixum, decima autem quarta eum & pascha comedisse, & in manus Judæorum ab Juda esse traditum. Hæc enim duo postrema procul dubio post occasum solis acciderunt. Ergo juxta eorum mentem dies decima quarta occasu solis nondum erat terminata.

Undecimum est, quod probabile sit admodum Judæos, cum in Ægypto per ducentos & amplius annos essent commorati, in anni civilis ac dierum vulgarium ratione, sese ad Ægyptiorum consuetudines accommodasse. Atqui teste Plinio *lib.* 2. *historiæ naturalis*, *cap.* 77. Ægyptii ut & Romani a media nocte ad mediam noctem diem concludebant. Ergo idem Judæi usurpasse tum existimandi sunt.

Duodecimum est, quod scriptores Latini, Varro apud Gallium *libro* 3. *cap.* 2. & Macrobius *lib.* 1. *cap.* 3. cum de variis apud varias gentes dierum initiis agunt; easque recensent, quæ a Romanis discreparent, & ab occasu solis ac noctibus dierum exordia ducerent, neutris Judæos annumerent, haud magis profecto omissuri quam alios, si Judæi aliter quam Romani dies quoque suos inchoassent, cum & Judæorum consuetudines curiosius vulgo consectarentur, & cum ipsis ubique permixti perpetuo versarentur.

Decimumtertium est, quod duo adversariæ opinionis fundamenta infirma admodum & caduca sint. Primum, quod alioqui summa rerum confusio invehenda sit in veterem Judæorum rempublicam, si semel admittamus aliter dies festos, aliter profestos inchoatos esse. Alterum, quod ea sit hodierna Judæorum consuetudo, ut a vespera dies inchoent; ea autem consuetudo videatur ab omni retro antiquitate manasse. Hæc, inquam, duo nullo negotio convelli possunt. 1. Enim varia dierum ratio non plus turbæ in rempublicam Judaicam inducere potuit, quam similis quondam mos dierum vulgarium a media nocte & festorum ab occasu inchoandorum in republica Christiana usitatus: non plus certe quam varia anni civilis & sacri computatio a Judæis ipsis, quod constat, usurpata. 2. Quod attinet ad hodiernam Judæorum consuetudinem, nihilo firmius est. Cum enim innumera novaverint ab excidio Hierosolymitano, indagandum est an non etiam in hoc capite a majoribus defecerint. Porro hunc, quem jam usurpant, morem habuisse videntur ab Arabibus, quod ex ipsis adversariis nostris nonnulli confiten-

tentur. Jam vero Arabes non semper dies ita inchoarunt. Dies enim ab occasu solis ex eo tantum tempore numerare cœperunt, ex quo menses suos non a conjunctione lunæ cum sole, sed a lunæ primo conspectu duci sanxerunt. Id autem novi est instituti. Notant enim *in supplemento chronici Orientalis*, cum Arabes antiqui a conjunctione lunæ menses ordirentur, id a recentioribus esse mutatum. Non mirum itaque si qui in tenebris ac squalore, summaque rerum omnium ignoratione diutissime post eversam Hierosolymam jacuerunt Judæi, cum fastos suos instaurare voluerunt, sese ad Arabum, qui in eo genere excellere putabantur, calculos composuerint, eoque pacto a majorum suorum usu desciverint. Maimonides ipse testatur fastos eos anno demum a Christo 358. a Rabbi Ada esse instructos, quibus etiamnum utuntur.

Hæc diligentius sumus persecuti, quod nec satis pervulgata sint, & iis haud leve momentum insit, ad eam quam præ manibus habemus, quæstionem. Si enim semel fixum hoc ratumque habeatur, quod jam astruebamus de initio dierum vulgarium, uno hoc ictu ruat necesse est non solum Aloysii Legionensis figmentum, sed & recentioris cujusdam viri docti opinio, qui asserere ausus est Christum pascha ultimo vitæ suæ anno non celebrasse. Sed de hoc alias.

Quà die ac diei parte Pascha celebrari oportuit.

ASSERTIO.

Pascha luna decima quarta exeunte mensis Nisan juxta legem Mosis celebrari debuit.

Probatur variarum Mosis de paschate legum enumeratione.

Prima lex petitur ex multis Scripturæ locis, quæ pascha indicunt ad decimam quartam diem, & ad illius diei vesperam seu solis occasum. Dies quidem decima quarta præscribitur *Exodi* 12. 6. *Num.* 9. *v.* 2. 3. 11. *cap.* 28. *v.* 16. *Ezech.* 45. 21. & alibi. Levitici verba sufficiant cap. 23. 5. *Mense primo quarta decima mensis ad vesperam, phase Domini est.* Eadem hæc dies constanter omni tempore observata legitur sub Josue *cap.* 5. 10. sub regibus 2. *Paral.* 30. 15. & 35. 1. 3. *Esdræ* 1. 1. post reditum e Babylone *Esdræ* 6. 19. ætate Christi apud Philonem *de vita Mosis*, *lib.* 3. & *de septenario*, & apud Josephum *lib.* 3. *orig. cap.* 10. *num.* 5. *edit. Anglic.* post excidium demum Hierosolymitanum ex Eusebio *lib.* 5. *hist. cap.* 23. Epiphanio, *hæresi* 70. Sozomeno *lib.* 7. *cap.* 18. Nicephoro *lib.* 4. *cap.* 36. Maimonide *de Paschate*; Leone Mutinensi *de ritibus Judæorum*, & Buxtorfio *in synagoga Judaica*. Solis autem occasus & vespera conceptis verbis assignantur, cum *Exodi* 12. 6. *Num.* 9. 5. & 11. *Levit.* 23. 5. *supra*, tum *Deut.* 16. 6. ubi sic habetur, *Immolabis Phase vespere ad solis occasum*: ita ut hæc duo sint constantissima. Atqui vespera diei decimæ quartæ & occasus solis ne-

cef-

cessario arguunt ejusdem diei finem, non initium. Ergo non ineunte, sed exeunte decima quarta luna pascha celebrari oportuit.

Minor autem sic ostenditur. Hæ voces *quarta decima mensis ad vesperam*, seu ut habetur Deut. 6. *decima quarta die ad vesperam ad solis occasum*; hæ, inquam, voces necessario designant hujus diei finem, non initium, si dies decima quarta profesta esset; aliunde vero dies omnes professi apud Judæos olim non a vespera aut occasu solis inciperent, ut festi; sed a media nocte ut apud nos, & olim apud Romanos: sic enim dies professi unam tantum vesperam habuerint, quæ nempe ad finem vergerent. Atqui 1. certum est decimam quartam diem mensis Nisan professtam extitisse, idque omnes confitentur. 2. Mox probavimus dies professos in antiqua Judæorum republica non ab occasu solis, sed a media nocte initium habuisse.

Secunda lex est de immolatione agni paschalis, ex qua ineluctabile eruitur argumetum, quod sic informari potest. Agnus paschalis non comedebatur nisi postquam erat immolatus. Atqui immolabatur tantum die decima quarta exeunte. Immolabatur enim duntaxat decima quarta die post meridiem ante solis occasum. Ergo.

Probatur minor, agnum scilicet paschalem non mactari solitum, nisi decima quarta die in tempus pomeridianum ad vesperam inclinata: probatur, inquam, quoad duas istas partes. 1. De quarta decima die liquet ex bene multis Scripturæ locis a nobis fuse adductis *supra*. 2. Autem, quod spectat ad illius diei articulum, quo præcise illam mactationem necesse esset fieri, hoc est ad tempus pomeridianum, illud firmatur & evincitur

1. Ex Mosis ipsius verbis, ut in Hebræo codice jacent. Ipse enim tempus immolando agno præstituens *Exodi* 12. 6. *Levit.* 23. 5. & *Num.* 9. 5. & 11. jubet juxta hebræum exemplar immorari *inter duas vesperas*, BEN-AREBAIM, ubi nos simpliciter legimus *ad vesperam*, Hæc autem locutio *inter duas vesperas*, BEN-AREBAIM, tempus medium inter solem accidentem & occasum significat. In hoc enim eruditissimi quique seu Christiani seu Judæi interpretes consentiunt, ea nihil aliud quam tempus meridiem inter & noctis initium designari. Id inter alios notat Rabbi Kimchi *in libro radicum*, & admonet simul *arebaim* esse dualis numeri, quod duplex vulgo apud Judæos vespera distinguatur; altera cum sol a meridie statim inclinare incipit, altera cum occiderit. Certe ex Scripturis colligitur aperte id apud Judæos olim in more fuisse. Matthæus enim *cap.* 14. 15. & 23. duas uno die vesperas longe a se dissitas commemorat, inter quas & quinque panum multiplicatio & 5000. hominum prodigialis refectio, missio turbarum, trajectio freti, & Chisti oratio intercesserint. Id autem a Judæis ac cæteris forte Orientalibus Græci acceperunt. Testatur enim Eusthatius *in librum* 7. *Odissea* duplicem quoque vesperam apud eos usurpari solitam esse; unam quæ statim a meridie duceretur; aliam quæ circa solis

occa-

occasum esset. Idem usurpasse etiam Romanos nonnulli sunt qui contendant. Profecto Livius *primam vesperam* nominat; *serum* autem *vesperum* Varro *in satyra Menippaea*. Quidquid sit de his, certissimus est Judaeorum usus, nullumque dubium esse potest quin his verbis Moses tempus pomeridianum indicare voluerit.

2. Ex comparatione agni paschalis cum sacrificio vespertino, quod *ibidem* ut agnus paschalis offerri praecipitur BEN-AREBAIM, *inter duas vesperas*, Exodi 29: 39. Istud enim vespertinum sacrificium circa tertiam a meridie horam, seu Hebraeorum ritu circa horam diei nonam peragebatur. 1. Enim id perspicuum est ex *libro* 1. *Esdrae cap.* 9. in quo a tempore sacrificii vespertini ad noctem tot tamque gravia negotia confecta esse narrantur, ut sacrificium istud inter & occasum solis non mediocre spatium fuisse oporteat. 2. Idem patet ex versione septuaginta interpretum, qui sacrificium illud propterea vocant *pomeridianum*. 3. Ex Josepho *lib.* 4. *Antiq. cap.* 7. qui testificatur illud etiam aetate sua fieri solitum circa nonam. 4. Ex horae nonae ad orationes publicas apud Judaeos celebritate, quae dubio procul ab hoc sacrificio originem habuit, conveniente ad sacrificium simul & ad preces populo. De quo lege Danielem *cap.* 9. 21. Esdram *supra*, & *Act.* 3. 1. & 10. 30. Negari ergo non potest quin ea circiter hora sacrificium vespertinum fieri consueverit. Fiebat autem ex legis praescripto BEN-AREBAIM, *inter duas vesperas*. Ergo ea locutio tempus illud designat, quo sol ad occasum vergit, seu pressius, tempus medium horam sextam inter & noctis initium. Ergo eo medio quoque tempore agnus paschalis pariter mactabatur.

3. Ex interpretatione Paraphrastis Chaldaei, qui has Mosis voces BEN-AREBAIM sic reddit *ben-schimschaja* id est *inter duos soles*. Unanimi autem consensu inter omnes convenit, hac loquendi ratione Chaldaeis familiari, designari flexum in vesperam diem, non vero omne illud intervallum, quod inter solis ortum & occasum interjacet, ut quis id ex nostro more metiens opinari possit, quo nihil fingi posset absurdius, quasi etiam matutinis horis agnum paschalem caedi licuisset, cum ei immolando ubique constanter vespera & occasus solis assignetur. His autem Chaldaeis vocabulis inclinatam a meridie diem indigitari tradunt auctores Thalmudis utriusque, Hierosolymitani videlicet & Babylonici. At certe Babylonici vocum Chaldaearum vim perspectam habuerunt. Sic autem habet Thalmud tractatu *Borachtoh cap.* 1. " Omne illud tempus, quo facies Orientis rubet, vocatur *dies*: " quando incipit pallescere, vocatur, *inter soles*, *ben-schimschaja*: quan-" do nigrescit & superius fit simile inferiori, tum est *nox*. Super hoc consule Ligfootum *de Paschate*; Bochartum *tit.* 1. *Hierozoici*; Buxtorfium *in Lexico Chaldaico-Thalmudico*. Ex his omnibus idem illud conficitur, quod dicimus, agnum paschalem tempore pomeridiano, & ante noctem mactari debuisse.

4. Idem

4. Idem colligitur ex usu veteri reipublicæ Judaicæ. Quis enim credat Hebræos legis cæremoniis ad superstitionem usque addictos in augustissimo religionis suæ ritu, in celebrando liberationis suæ insigni monimento, unquam a lege deflectere voluisse? Usus porro constans is erat, ut pascha meridiem inter, & occasum solis immolaretur. Id imprimis habet Philo, qui ea etate florebat, qua quotannis adhuc Hierosolymis pascha mactabatur. Non solum enim asserit *lib. 3. de vita Mosis, & de septenario*, pascha immolari solitum quarta decima die, " cum luna plena esse incipit, " hoc est decima quarta exeunte, sed in eodem libro *de septenario* tempus definiens, ait immolandi paschatis cæremoniam " a meridie durasse in vesperam. " Josephus ex genere summorum sacerdotum, qui paschatis mactandi ex officio minister & oculatus testis sæpe fuerat, accuratius adhuc tempus illud describens, affirmat *lib. 7. belli Judaici cap.* 17. cædi solitos agnos a nona ad undecimam, hoc est a tertia pomeridiana ad quintam. Idem ex antiqua Patrum traditione asserunt Judæi scriptores. Maimonides enim *de Paschate*, *pag.* 14. sic ait, " Immolatio agni paschalis fit decima „ quarta a meridie. " Illud idem & iisdem fere verbis offendes in libro, cui titulus est SEBETH JUDA, *sceptrum Judæ*. *In Misna* autem *cap.* 5. *apud Schmidium pag.* 202. hora immolandi paschatis in hunc modum præscribitur, consentanea omnino ad Josephum. " Sacrificium „ juge mactatur hora octava cum dimidia, offertur autem hora nona „ cum dimidia: sed in vespera paschatis mactatur media octava, & „ offertur media nona, ... post quod pascha sequitur: " Quod quidem indicat sacrificium juge, cum circa sesqui tertiam vulgo offerretur, illud die paschali acceleratum esse ad sesquisecundam usque, ut nempe tertia ipsa pascha tunc mactari posset. Uno verbo inter omnes scriptores Judæos seu antiquos seu recentiores id omnino convenit, quod ante meridiem diei decimæ quartæ agnum paschalem cœdi non licuerit; ita ut hoc caput pro indubitato haberi queat. Quid ergo si jam Christianos adjungimus, auctorem anonymum homiliæ cujusdam apud Chrysostomum *tomo 5. edit. Savil. de paschate*, diserte profitentem, quod agnus paschalis inter vesperas circa nonam immolaretur? Quid si adjiciamus Irenæum *lib. 4. adversus hæreses cap.* 23. Tertullianum *contra Judæos cap.* 8. auctorem ejusdem homiliæ *de Paschate* apud Chrysostomum, & quos refert Chronicon paschale *in præfatione*, scriptores, qui docent Christum pascha nostrum eadem hora passum esse, qua mactari debebat agnus typicus? Cum enim ex evangeliis liquidum sit Christum hora diei nona, seu pomeridiana tertia expirasse, nonne id argumento quoque evidenti est agnum paschalem juxta eorum omnium sententiam ea circiter hora mactari oportuisse? Quod si ita est, ex hoc sane argumentum efflorescit in gratiam nostræ assertionis, quod solvere nullus possit. Nam, ut dixi, pascha non comedebatur, nisi postquam erat immolatum. Immolabatur autem demum decima quarta die post meridiem, & ante solis occasum. Ergo ad finem diei deci-

mæ

mæ quartæ comedi duntaxat potuit. Si enim decima quarta ineunte fuisset comestum, inde sequeretur decima tertia die post meridiem ante solis occasum agnum paschalem mactatum esse: quod innumeris eliditur Scripturæ locis, immolationem istam diei decimæ quartæ soli alligantibus.

Tertia lex est de ferianda nocte illa, qua agnus paschalis manducabatur. Illud enim est discriminis inter nostram, & aliorum de paschatis vespera opinionem, quod si constituatur pascha comestum die decima quarta ineunte, manducatum fuerit die profesto: contra autem festo, si decima quarta exeunte; quia pascha non edebatur nisi nocte: solemnitas autem azymorum per se addicta diei decimæ quintæ ex vulgari festorum conditione jam ab occasu solis die decima quarta exeunte inchoabatur: proinde si agnus paschalis comedi debuit decima quarta die exeunte post solis occasum, certe in diem festum ineuntem convivium paschale incidebat; secus autem si die decima quarta ineunte: siquidem tota fere die decima quarta profesta erat. Atqui revera dies festus jam erat, cum agnus paschalis edebatur, quod multis demonstrare in promptu quoque est. 1. Ex Scripturis. *Exodi* enim 12. 14. cum de convivio paschali verba fecisset Moses, & de illinendo postibus agni sanguine, sic subjicit: *Habebitis autem hunc diem in monumemtum, & celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno.* In eumdem sensum v. 42. cum annotasset Israelem egressum esse in Ægypto eadem nocte qua agnum manducaverant, *Nox ista est*, inquit, *observabilis Domini*, *quando eduxit eos de terra Ægypti: hanc observare debent omnes filii Israel in generationibus suis*. Quo si quid expressius adhuc quæras, adi *cap.* 34. *vers.* 25. ubi præcipiens ne quid superesset e convivio paschali in sequentem diem, sic solemnitatem ei conjunctam exprimit. *Neque residebit mane de victima solemnitatis Phase*. Eodem alludit Ezechiel *cap.* 45. *versic.* 21. cum & ipse quoque phase *solemnitatem* nominat: *Decima quarta die mensis*, ait, *erit vobis paschæ solemnitas.* 2. Idem conficitur testimonio Judæorum veterum. Philo enim *de vita Mosis lib.* 3. asserit pascha esse publicum ac solemne apud Hebræos festum: quod & *de septenario* repetit. Neque vero minus aperte Josephus loquitur. *Lib.* enim 2. *antiquitatum* „ *cap.* 50. " Octo diebus azymorum festum agimus: " non enim alias per octo dies durasset. *lib.* autem 3. *cap.* 10. sic habet, " Solemnita- „ tem pascha excipit ea quæ est azymorum: " quod profecto est disertissimum. 3. Tandem in eo pariter cum Scripturis ac vetustioribus monimentis concordant doctores Hebræi recentiores, qui *in Talmude*, *tractatu Pesachim*, *cap.* 1. & 4. conceptis verbis sanciunt, nulli die decima quarta licuisse Judæorum a meridie opus facere. De quo lege, si vacat, etiam Seldenum *lib.* 4. *de jure uaturali cap.* 8. & eo retulerim quod ait S. Paulus 1. Cor. 5. 7. & 8. *Pascha nostrum immolatus est Christus*; *itaque epulemur*, seu uti græce est, *festum celebremus*, *non*

in

in fermento veteri , neque in fermento malitiæ & nequitiæ , sed in azymis sinceritatis & veritatis : ut ut est, ex ante dictis manifestum est in festum incidisse manducationem agni paschalis, festum, inquam, azymorum. Azyma porro non usurpabantur ante decimam quartam exeuntem, cum prima eorum dies vulgo diceretur dies decima quinta. Ergo agnus paschalis nonnisi ad ejus diei finem comedebatur.

Quarta lex est hujus consequens de manducando agno paschali cum azymis, ex qua non minus firmum quam superiora argumentum ducitur. Nempe id erat necessario injunctum Judæis, ut cum azymis panibus nocte pascha comederent. Exodi 12. 8. *Edent carnes nocte illa .... & azymos panes* Num. 9. 11. *Cum azymis & lactucis agrestibus comedent illud*. Atqui usus azymorum non ante diei decimæ quartæ finem obtinere poterat. Dies enim prima azymorum erat omnium longe sanctissima ac maxime ferianda. Exodi 12. 6. *Dies prima erit sancta atque solemnis*. Hæc vero solemnitas proprie ad diem decimam quintam pertinebat; Levit. 23. 6. *Decima quinta die mensis hujus solemnitas azymorum Domini est*. Num. 28. 17. *Decima quarta die mensis Phase Domini erit: & decima quinta die solemnitas : septem diebus vescentur azymis, quarum dies prima venerabilis & sancta erit*. Jam vero solemnitas addicta diei decimæ quintæ ab occasu solis juxta regulam communem inchoabatur jam a die decima quarta : atque adeo prima dies azymorum & eorum usus non poterat hunc solis occasum antevertere. Ergo quando quidem agnus paschalis manducabatur una cum azymis, non potuit ante finem diei decimæ quartæ manducari. Certe septem tantum erant juxta legem Mosis dies azymorum usque ad vigesimam primam, quæ eo quoque numero ipsa concluditur & pari cum prima celebritate colebatur, *Exod. cap.* 12. *v.* 15. & 19. *cap.* 13. *v.* 6. & 7. *cap.* 23. *v.* 15. *cap.* 34. *v.* 18. *Levit. cap.* 23. *v.* 6. & 8. *Num. cap.* 28. *v.* 17. & 25. *Deut. cap.* 16. *v.* 4. & 8. Porro si ante finem diei decimæ quartæ azyma cœpissent usurpari, jam non septem, sed octo dies extitissent usque ad illam vigesimam primam, ut numeranti constabit. Ergo non nisi hac decima quarta exeunte frequentari potuerunt. Ergo agnus paschalis quocum illa socianda erant, hunc diei quoque decimi quarti finem antevertere non potuit.

Quinta lex est ea, qua cavetur ne quidquam e convivio paschali in diem sequentem superesset: Exod. 12. 10. *Nec remanebit quidquam ex eo usque mane*. Vide & *Exod.* 34. 25. Profecto si pascha celebratum fuit die decima quarta ineunte, mane ibi memoratum est mane diei decimæ quartæ: si autem celebratum fuit die decima quarta exeunte, est illud mane diei decimæ quintæ. Atqui illud reipsa mane erat diei decimæ quintæ, quæ prima erat azymorum: sic enim res eadem exponitur Deut. 16. 4. *Non remanebit de carnibus ejus, quod immolatum est vespere in die primo usque mane* (seu *in diem primum usque mane*): Josephus autem multo clarius, *lib.* 3. *antiq. cap.* 10. Nihil, inquit, e victimis in sequentem diem re-
„ lin-

„ linquentes, quæ est decima quinta, & azymorum festivitatis prima. “ Ergo pascha ad eam vesperam fiebat, quæ proxima erat diei decimæ quintæ: proinde die decima quarta exeunte.

SECTIO II.

Quisnam fuerit in celebrando paschate omnium a Mose ætatum usus.

ASSERTIO.

NON solum pascha luna decima quarta exeunte ut vidimus, celebrari debuit, sed etiam reipsa a prima institutione sua ad hoc usque tempus constanter celebratum fuit.

PROBATUR assertio singulas abhinc ætates breviter recensendo.

Primum omnium pascha in Ægypto factum est, de quo sic arguere licet. Hebræi in Ægypto, jamjam migraturi ex ea, pascha obierunt decima quarta die exeunte, si planum sit 1. eos decima quarta die pascha comedisse: 2. eos illud comedisse nocte, & quidem eadem nocte qua egressi sunt: 3. tandem eos egressos esse nocte illa a qua iniret dies decima quinta. Atqui hæc omnia ex Scripturis aperta sunt.

Ac 1. quidem patet Judæos tum manducasse agnum paschale una cum azymis die decima quarta: Exodi 12. 18. *Decima quarta die ad vesperam comedetis azyma.*

2. Pascha comederunt nocte, ibidem, v. 8. *Et edent carnes nocte illa, ... & azymos panes.*

3. Nocte quoque ex Ægypto commigrarunt; Deut. 16. 1. *Eduxit te Dominus .... nocte.*

4. Hæc nox eadem omnino illa erat, in qua pascha manducaverant: quod luculenter ostendit caput 12. Exodi. Cum enim ibi narrasset Moses, quo pacto illi decima quarta die noctis initio pascha comederant, addit v. 29. *Factum est autem in noctis medio, ... percussit omne primogenitum in terra Ægypti ....*, v. 30. *Surrexitque Pharao nocte & omnes servi ejus cunctaque Ægyptus* v. 31. *Vocatisque Pharao Mose & Aaron nocte ait: Surgite & egredimini.* v. 33. *Urgebantque Ægyptii populum de terra exire velociter.* v. 34. *Tulit igitur populus conspersam farinam, antequam fermentaretur.* v. 39. *Neque enim poterant fermentari, cogentibus exire Ægyptiis, & nullam facere sinentibus moram.* v. 42. *Nox ista est observabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti.* v. 51. *Eadem die eduxit Dominus filios Israel de terra Ægypti per turmas suas.* Quod quidem orationis ac narrationis filum unius ejusdemque noctis continuationem ita clare exprimit, ut non nisi absurde alia dies paschatis, alia egressus excogitari ac statui queat.

5. Hebræi, qui nocte affecta exierunt, egressi sunt die decima quinta,

ta, Num. 33. 3. *Profecti* (sunt) *de Ramesse decima quinta die mensis primi*. Ergo pascha sine ulla dubitatione in illius noctis initium cecidit, sub cujus finem Judæi migrarunt ex Ægypto. Cum igitur ex ea migraverint die decima quinta ex Scripturæ testimoniis & omnium consensu, necesse est prorsus paschâ celebratum esse decima quarta luna exeunte.

Et sane cum Ægyptii, & mali præsentis sensu, & metu imminentis, Hebræos urgerent ad egrediendum, & Hebræis aliunde nihil posset contingere optatius, quam ut se gravissimo servitutis jugo, quo premebantur, eximerent quantocius, cur quæso Moses diutius procrastinasset. cum utrimque par esset maturandæ profectionis studium? An quod omnia non essent parata ad iter? at erant omnia ad eum finem expedita. 1. Enim Deus monuerat Mosen *Exod.* 11. 1. unam adhuc tantum superesse plagam qua tangeret Pharaonem & Ægyptum, *Et post hæc*, inquiebat, *dimittet vos*, *& exire compellet*. 2. Subjunxerat *v.* 5. se media nocte egressurum in Ægyptum, ut interficeret omne primogenitum in terra Ægypti. 3. Prædixerat *Exod.* 12. 12. hanc internecionem a se edendam esse eadem nocte qua pascha manducassent. 4. Hebræi universi in una eademque regione simul tum commorabantur per turmas distributi *ibid. v.* 3. *&* 51. sive id ita vulgo esset, sive triduanæ caliginis, quæ toti Ægypto offusa fuerat per tres dies, beneficio, luce interim ipsi gaudentes, in unum convenissent. 5. Cautum fuerat ne extra ædes vagarentur v. 22. *Nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ usque mane*. 6. Domino ita jubente pascha omnes comederant tanquam homines ad iter mox faciendum Orientalium ritu compositi, accincti scilicet renes, pedes calceati, & tenentes baculos in manibus suis, *Exodi* 12. 11. 7. Denique luna cum plena esset, lumine suo favebat profecturis per noctem. Quid ergo mirum, si *cum in noctis medio percussisset Dominus omne primogenitum in terra Ægypti*; v. 29. *surrexissetque Pharao nocte & omnes servi ejus cunctaque Ægyptus*, v. 30. *vocatisque Moyse & Aaron nocte dixissent*, *surgite & egredimini*, v. 31. *urgerentque Ægyptii populum exire de terra velociter* v. 33. quid, inquam, mirum, si tum Moses "Judæos paratos omnes ad celerem egressum habens, ut loquitur Josephus *lib.* 2. *originum cap.* 5. statim eadem nocte educere eos ex Ægypto cœperit.

Enim vero si consulas *Exod. cap.* 12. Philonem *de vita Mosis lib.* 3. *& lib. de septenario*, Josephum *lib.* 17. *antiq. cap.* 17. Gregorium Nazianzenum *oratione de Paschate*, illico deprehendes nullo negotio pascha quotannis apud Hebræos instaurari quondam esse solitum, non modo in primi paschatis memoriam, sed etiam in æternum liberationis ex Ægypto monimentum; atque adeo debuisse eadem nocte celebrari, qua illi ex Ægypto exierant. Exierunt porro die decima quinta ineunte ad postremam noctis partem, ut *supra* declaratum abunde est. Ergo pascha manducaverant noctis ejusdem initio, die decima quarta exeunte.

Neque est quod dicant adversarii aliquot horarum spatium a media nocte, qua interfecit Dominus omnes primogenitos Ægypti, non potuis-

potuisse iis omnibus sufficere, quæ in Israelitarum egressu peracta describuntur, ut eadem illa nocte profecti dici queant. 1. Enim Hebræos in terra Gessen & Ramesse a Joseph patriarcha, quando cum Jacob patre in Ægyptum introjerunt, fuisse collocatos *Gen.* 46. 34. & 47. 11. 2. Terram illam in extremis Ægypti finibus ipsoque aditu fuisse sitam *Gen.* 47. 28. 3. Eos in hacce regione fuisse penitus ab Ægyptiis sejunctos, quia universi pastores erant, & detestabantur omnes Ægyptii pastores ovium *ibid. v.* 34. proinde ab urbe regia, quæ vulgo imperii meditullium occupat, longe adhuc magis dissitos fuisse. 4. Hanc regiam Memphim fuisse ex Philone *lib. 1. de vita Mosis*. 5. Memphim non parum ab his Ægypti finibus distare ex Geographis. 6. Mosem una cum Judæis versari tum solitum esse *ex capite* 12. *Exodi.* Quapropter si Hebræi hac eademque nocte, qua manducaverant pascha, proficisci cœperunt, oportuisse ut a nocte media usque ad lucem 1. surgeret Pharao cunctaque Ægyptus eum adiret. 2. A Memphi ad Mosem in terram Gessen usque nuntius mitteretur, qui eum nomine regis acciret. 3. Itineris spatium emetiretur Moses ut regis mandata exciperet. 4. Eodem ingenti viæ intervallo rursum emenso rediret ad suos, egressumque maturaret: atque adeo, etiamsi poneremus urbem regiam ab Israelitarum sede viginti solum passuum millibus fuisse disjunctam, oportuisse ut intra paucas horas hæc sexaginta millia conficerentur, quod repugnat. 5. Vasa aurea & argentea, inquiunt, ab Ægyptiis postea etiam sumpserunt, quibus eos deinde spoliaverunt, *Exod.* 12. 35. 6. Sexcenta hominum millia & innumeræ mulieres ad iter postea sese accinxerunt, quod brevi tempore fieri potuisse nemo opinabitur. 7. Denique, addunt, Moses ipse significat Judæos egressos esse tum ex Ægypto ad solis occasum; sic enim habetur Deut. 16. 6. *Immolabis Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto*. Ergo immerito, inquiunt, ea profectio in eamdem noctem conjicitur, qua pascha comederant.

His, inquam, non instent adversarii. Quanquam enim specie ipsa ac prima fronte plausibilia sunt, eis tamen, si diligenter excutiantur, nihil solidi subesse statim intelliges. Et profecto si res ita se haberent, ut illi verbis amplificant, ne illud quidem intervallum temporis quod definiunt, hoc est a media nocte ad proximum solis occasum, quem egressui figunt, sufficeret ad ea singula, quæ ambitiosius exaggerant perficienda. Cum itaque nodos nectant nodis, quos ipsi quoque solvere debeant nec possint: dicimus omne objectorum pondus ex certis historiæ capitibus non sat fundatis esse suspensum: hallucinationem autem ex eo oriri, quod antiquum Jacobi & Josephi ævum cum postremis servitutis temporibus perperam componant ac confundant: aliam autem ac plane diversam fuisse Judæorum utroque hoc extremo conditionem. Etsi enim sponte confitemur terram Gessen, quæ Judæis assignata est ad habitandum cum Jacob in Ægyptum ingressus est, tum remo-

remotam fuisse ab urbe regia, neque quicquam negotii tunc intercessisse inter utrumque populum, Judæos dico & Ægyptios, contendimus tamen paulo post Josephi patriarchæ mortem magnam in Ægypto rerum conversionem ac perturbationem accidisse opera & armis exterorum quorumdam hostium, qui cum Ægyptum subegissent, regni novi sedem constituerint Tani in urbe terræ Gessen proxima, & qui nedum pastoralem vitam aversarentur, pastores ipsi habuerint; atque ita factum esse, ut deinceps Judæi, qui soli pro more terram Gessen incolebant, permixti nihilominus Ægyptiis tum alibi tum in urbe regia vitam degerent.

Neque vero hæc comminiscimur aut ad arbitrium fingimus. 1. Enim Exodi 1. 6. & 8. *Mortuo* (Josepho) *& universis fratribus ejus omnique cognatione illa surrexit*, ait Moses, *rex novus super Ægyptum, qui ignorabat Joseph*. Ergo indigena rex ille non erat, nec ex antiquorum stirpe, qui prius imperarant, apud quos tanta in gratia, tantaque gloria fuerat Joseph: non enim eum ignorasset: proinde in Ægyptum aliunde advenerat. 2. Perspicuum est ex capite 2. Mosen a matre sua expositum esse in carecto ripæ fluminis, circa quam ædes habebat suas, & ad quam vulgo descendebat filia Pharaonis, ut lavaretur in flumine; quod indicat rebus mutatis Judæos jam & Ægyptios simul & in iisdem locis esse commoratos. 3. Id confirmatur eo quod Moses *cap.* 4. *&* 5. qui una cum Hebræis versabatur, legatur non procul ab Pharaone absuisse, quem quotidie alloquebatur. Certe *cap.* 3. 22. á Deo imperatur ut *postulet* (Hebræa quævis) *mulier a vicina sua* (Ægyptia) *& ab hospite sua vasa argentea & aurea ac vestes*: capite autem 11. 2. *ut postulet vir ab amico suo* (Ægypto) *& mulier a vicina sua vasa argentea & aurea*. Igitur amici & vicini Ægyptiorum erant tum Israelitæ. 4. *Capite* 12. *v.* 7. 13. 22. *&* 23. præcipitur ut post immolatum pascha sumant de sanguine ejus ac ponant super utrumque postem & in superliminaribus; ut esset in signum, quod cum videret Deus, transiret eos, nec illos cum vicinis Ægyptiis perderet. Illud autem arguit contiguas domos. 5. Ait Sapiens *cap.* 18. 1. Ægyptios per triduanas tenebras, in quibus Ægyptus eo tempore jacuit, dum Judæis *maxima erat lux*, horum quidem vocem audisse, sed figuram non vidisse: quo dicto prodit utrosque una versari tum solitos esse, nec a se invicem, ut olim, fuisse semotos. 6. Idem Sapiens *cap.* 17. 16. pastores, Ægyptios iis annumerat, qui multa passi fuerint, dum variis modis tunc Ægyptus atterebatur, *Si enim rusticus quis erat*, inquit, *aut pastor, aut agri laborum operarius præoccupatus esset, ineffugibilem sustinebat necessitatem*: quod indicio est Ægyptios tunc a pastorali vita, ut quondam, non abhorruisse. Tandem esto regia veterum Ægypti principum urbs Memphis fuerit, ut ait Philo, ætate Mosis Tanis regum sedes dubio procul erat. David enim recensens prodigia per id temporis coram Pharaone edita, notansque locum Psalm. 77. 12. *Fecit mirabilia in terra Ægyp-*

ra Ægypti, inquit, *in campo Taneos :* v. autem 43. *Posuit in Ægypto signa sua & prodigia sua in campo Taneos*. Ex quo nemo est, qui non facile colligat medio Josephi ævum inter & Judæorum ex Ægypto egressum tempore haud mediocrem & in Ægypti imperio & in Hebræorum conditione mutationem contigisse, cumque olim seorsum a se invicem longe consisterent, tum contra vulgo simul habitasse.

Jam vero quinam isti fuerint regni Ægyptiorum eversores, haud satis liquido apparet. Ego tamen crediderim eosdem fuisse quos Manetho apud Josephum *lib. contra Appionem* Hycsos seu reges pastores Arabes nuncupat, eidem Josepho postea, Eusebio *in Chronico* & aliis celebratos. Isti enim cum in Ægyptum e vicina Arabia irrupissent, eaque occupata Memphim expilassent, Tani constitere, quæ Arabiæ patriæ suæ propior erat, inde si opus esset, promptius & facilius necessaria auxilia habituri. Inde reges apud eos *Taoitæ* nominati. Quod si ita est, qui primus eorum rex *Salatis* a scriptoribus vocatur, erit novus ille rex, qui surrexit super Ægyptum, & ignorabat Joseph, quippe extraneus, quique populum Israel exterminandum esse sibi censuit. Cum vero illi Arabes ex antiquo genitis ac majorum instituto pastoralem vitam semper egissent, hinc liquet cur contra quam veteres Ægytiorum principes, ipsi non tantum alieno non essent animo a pastoribus, sed etiam illos pastores haberent, qui in Scripturis memorantur. Ad hæc sane fere tempora hanc pastorum Arabum irruptionem refert Marshamus Anglus, qui omnium accuratissime vetustiorum Ægyptiorum historiam non ita pridem contexuit.

Quidquid sit, nulla enim est historia implicatior, ex supra notatis sequitur Hebræos una cum Ægyptiis ea tempestate, qua exierunt, communiter vixisse, & in urbe regia promiscue habitasse. Quocirca cum ea nocte qua Dominus percusserat primogenitos Ægyptiorum, Pharao imperaverit Mosi, ut egressum maturaret Hebræorum, illique prompti, & expediti ad iter, uno eodemque in loco commorantes, ac multis ante diebus de eo moniti, signum tantum ad proficiscendum expectarent, nihil obstat quominus, simul illud datum est, e vestigio, eadem nocte exire cœperint. Initam autem semel nocte viam conficere perrexerunt die videntibus cunctis Ægyptiis & sepelientibus primogenitos, *Num. 33. vers. 2. & 4.*

Nam quod pertinet ad vasa aurea & argentea, quæ ab Ægyptiis Hebræi mutua sumpserunt, illa non post mediam noctem cum itineri sese committerent, postularunt, sed ante cœnam paschalem, ut colligitur ex capitibus 3. & 11. *Exodi* in quibus id eis præscribitur ac præponitur paschati, cujus mentio fit demum *cap.* 12. Atque ego censuerim id omne supellectilis fuisse postulatum ad ipsum convivium paschale. Ita fere quoque sentiunt plerique interpretes. Quamquam nullo negotio dici potest ea fuisse commodata, cum in procinctu essent Hebræi, jamque proficiscerentur: hoc enim non multum requirit temporis, & Ægy-

ptii insuper nulli rei parcebant, ut egressum Hebræorum accelerarent.

Quod spectat ad locum hunc Deuteronomii 16. 6. *Immolabis phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto*, illud ad vivum resecandum non est, quasi hora ipsa egressus hic notaretur. Id enim nobiscum admittant necesse est vel ipsi adversarii. Namque cum pascha immolaretur decima quarta die, hora post meridiem tertia, inde conficeres Hebræos decima quarta die, sole adhuc lucente, profectos esse, quod pugnat cum Scripturis, quæ diserte ac constanter hunc egressum affigunt nocti ac diei decimæ quintæ. Ergo restat ut his verbis significaverit tantum Moyses generatim anni ac mensis tempus, quo ex Ægypto migrarunt. Nempe ubi paschatis tempus præscribitur, vulgo condicuntur simul, & anni tempestas verna, & mensis primus, & primi mensis decima quarta dies, & decimæ quartæ diei vespera, ut videre est *Exodi* 12. 2. *&* 6. *Levit.* 23. 5. *Num.* 9. 12. 3. Jam in hoc Deuteronomii loco ac versiculo *diei vespera* solummodo nominatur. Ergo superest, ut cætera, hac voce, *quando*, comprehendantur. Vox certe hebraica מועד *moed* respondens *quando*, non diei horam, sed tempus in universum sonat: imo & indicare potest certam ac statam solemnitatem. Unde sunt qui ita Moysen reddant: *Immolabit vespere ad solis occasum phase, quod est solemnitas exitus tui de Ægypto*. Sunt & alii qui nihil aliud intelligendum putent hoc vocabulo, quam eosdem ritus & cæremonias esse observandas quotannis in paschate celebrando, quæ primum observatæ sunt, cum de Ægypto profecti sunt. Verum ut lubet, quisquis de hoc statuat, eatenus tamen, ut admittat eadem omnino nocte commigrasse Israelitas ex Ægypto, qua pascha comederant, & quod certius adhuc est, pascha illud esse tunc manducatum decima quarta die exeunte. Hoc autem primo loco probandum susceperamus.

Secundo loco complectemur omnia simul paschata, quæ exinde ad Christum usque celebrata sunt. Sub Josue cap. 5. 10. *Fecerunt phase decima quarta die mensis ad vesperam*. Sub Ezechia 2. Paral. 30. 15. *Immolaverunt phase decima quarta die mensis ..... juxta dispositionem ac legem Moisis hominis Dei*. Josias 2. Paral. 35. 1. *Fecit.... in Jerusalem phase Domino, quod immolatum est decima quarta mensis primi*. De eodem autem monet author lib. 3. Esdræ *cap.* 1. 10. quod sacerdotes tunc immolaverunt phase, *habentes azyma per tribus*. Addit vero v. 19. *egerint diem festum azymorum per dies septem*. Postremo sub Esdra *lib.* 1. *cap.* 6. 19. post suum e Babylone reditum, *Fecerunt filii Israel phase decima quarta die mensis primi*. v. autem 22. *Fecerunt solemnitatem azymorum septem diebus in lætitia*. Hæc quatuor omnino sunt a Mose paschata, quorum in Scripturis tempus aliquatenus indicatum sit. Ex his vero sic arguo: 1. Pascha, ut ex verbis Moysi & usu *supra* evicimus, immolabatur medio tempore meridiem inter & occasum solis: atque adeo si immolabatur

batur

batur decima quarta die, non poterat immolari nisi decima quarta die jam ultra meridiem provecta: proinde non poterat manducari nisi nocte sequenti ac die decima quarta exeunte. Atqui his omnibus in casibus, quos modo descripsimus, pascha immolatum est decima quarta die juxta legem Moysi: ac per consequens post meridiem ante noctis initium, non vero decima tertia die. Ergo non nisi ad ejusdem diei decimæ quartæ finem pascha manducatum est. 2. Hic & ubique Scripturarum septem tantum sunt dies azymorum. Atqui si ineunte die decima quart' pascha comedi consuesset, non jam septem, sed octo dies fuissent azymorum. Nempe a convivio paschali usus azymorum incipiebat, & ab eo durabat in vigesimam primam usque mensis, quæ eodem numero continebatur. Porro a decima quarta ineunte usque ad finem diei vigesimæ primæ, reipsa sunt octo dies solidi. Ergo pascha decima quarta die ineunte non comederunt variis illis, quæ *supra* adducta sunt, temporibus.

Tertio ætate Christi eadem omnino consuetudo perseverabat, ut fieret pascha duntaxat decima quarta exeunte luna. 1. Enim ex Josepho habemus *lib. 7. de bello Jud. cap.* 17. quod tunc pascha immolari soleret decima quarta die hora nona, seu hora post meridiem tertia. 2. Ex evangeliis, quod immolarent pascha & occidi illud necesse esset die prima azymorum, idque ante vesperam. Cum enim pridie mortis Christi ad eum accessissent ejus discipuli sciscitaturi ubinam pararent ei pascha, *prima dies erat azymorum*, ex Matthæo 26. 17. *quando immolabant pascha*, ex Marco 14. 12. *in qua necesse erat occidi pascha*, juxta Lucam 22. 7. necdum vespera advenerat: *vespere* enim postea facto venit demum Jesus in urbem, & *discumbebat cum duodecim discipulis suis*, ex Matthæo *ibid. v.* 20. 3. Ex Philone *lib. de septenario*, *& lib. 3. de vita Mosis*, discimus quod ea nocte Pascha celebraretur, qua luna plena esse inciperet. Denique ex omnibus evangeliis ac maxime ex tribus prioribus, quod fieret pridie festi solemnis. Statim enim a paschate captus est Christus a Judæis & sequenti luce cruci affixus. Cum autem in cruce suffixus est; dies erat solemnis ex Matthæo *cap.* 27. *v.* 15. ex Marco *cap.* 15. *v.* 6. Luca *cap.* 23. *v.* 17. Joanne *cap.* 18. *v.* 39. Hæc autem singula totidem sunt diei decimæ quartæ exeuntis argumenta. 1. Enim si mactabatur agnus die decima quarta post meridiem, non poterat, ut jam frequenter inculcavimus, decima quarta ineunte luna comedi. Ipsa namque meridies non diem ineuntem; sed medium designabat. 2. Si immolabatur prima die azymorum, non immolabatur nisi ad finem diei decimæ quartæ. Nam si ad initium aut ad finem diei decimæ tertiæ, tunc non modo octo, sed novem dies azymorum fuissent. 3. Si manducabatur ea nocte qua luna plena erat, certe non decima quarta ineunte: tunc enim luna plena non est.

Quarto, idem ostenditur de primis Ecclesiæ seculis. Quod enim iis temporibus decima quarta die exeunte pascha moris semper esset cele-

librari apud Judæos, etsi domesticis eorum probare non possimus instrumentis, efficaciter concluditur ex Quartodecimanis, qui rationis suæ in paschate faciendo peculiaris originem a Joanne apostolo repetebant. Cum enim eorum primo disciplina ac deinde error in eo fuerit, quod pascha non ut cæteri Christiani prima post decimam quartam lunam dominica occurrente, sed luna ipsa decima quarta mensis Martii una cum Judæis esse recolendum crederent, Judæorum profecto consuetudinis in ea re nullum certius aut illustrius potest esse argumentum. Ut autem huic momento pondus suum constet, notandum est 1. eos & qui eorum meminere, Romanorum ritu dies numerasse, quod satis per se liquet attendenti. 2. Quartodecimanos decima quarta die mensis Martii jejunare consuevisse. Id enim affirmant Epiphanius *hæresi* 50. *num.* 2. Chrysostomus *homil. adversus eos, qui primum pascha jejunant*; Augustinus *hæresi* 29. *tomo* 8. *edit. Bened. pag.* 10. Harmenopulus *de sectis, tomo* 11. *bibliot. Patrum*; Balzamon *ad can.* 7. *concilii Constantinopolitani*. 3. Eos die hac decima quarta exeunte solvisse jejunium convivio paschali ad exemplum ultimæ Christi cœnæ. Super quo vide Eusebium *histor. lib.* 5. *cap.* 23. Epiphanium *supra*, & Georgium Syncellum *adversus Marcum Ephesinum tomo* 13. *concil.* 4. Eos ab hujus diei decimæ quartæ vespera solemnitatem paschalem inchoasse more Judæorum. Illi enim beati Joannis evangelistæ vestigiis insistere se gloriabantur. Ut autem memorat Wilfridus apud Bedam *lib.* 3. *histor. cap.* 25. Joannes decima quarta die ad vesperam incipiebat celebrationem festi paschalis. 5. Eos ratos esse quod Christus ipse decima quarta die pascha manducaverit, & decima quinta mortuus sit. Id testatur „ Apollinaris Hierapolitanus *in chronico paschali pag.* 6. “ Aiunt quod „ decima quarta die agnum cum discipulis comederit Dominus, & quod maxima azymorum die passus sit. “ 6. Qua nocte convivium illud celebrarent, lunam plenam extitisse juxta Zonaram *in can.* 7. *Constantinopolitanum*. 7. Convivium illud a Quartodecimanis non esse habitum nisi post sublatum e domibus Judæorum omne fermentum: (Judæos enim illi æmulabantur, qui azyma non usurpabant, nisi post combustos panes omnes fermentatos) Judæos autem decima quarta die in id incubuisse, ut fermentum perquirerent, & ex ædibus exterminarent, id tradente Eusebio, *lib.* 5. *hist. cap.* 24. Hæc porro singula capita totidem quoque sunt diei decimæ quartæ desinentis characteres. 1. Enim si Judæi cum Quartodecimanis cœnam paschalem inibant die decima quarta more Romanorum, ea sane incidebat in hujus diei decimæ quartæ finem. Nullam enim cœnam fieri dixissent Romani die decima quarta, nisi quæ fieret decima quarta desinente. 2. Quis insuper manifeste non videat Judæos tunc temporis non nisi ad decimæ quartæ diei finem convivium paschale concelebrasse, si id verum est, quod modo astruximus, eos cum Quartodecimanis consensisse; appareat autem Quartodecimanos ad hujusmodi convivium accessisse post transactam jejunio deci-

decimam quartam diem, & initio solemnitatis, quæ addicta diei decimæ quintæ, non poterat nisi ab occasu solis præcedenti inchoari & nocte qua luna plena esse inciperet, & post exactum ex ædibus per totam fere decimam quartam diem fermentum, denique exemplo Christi ad eam vesperam, quam sequitur statim dies decima quinta. Atqui hæc omnia aperta sunt ex supra dictis. Ergo.

Quinto etiamnum Judæi pascha peragunt decima quarta exeunte, de quo non dubitabit, qui Maimonidem *de Paschate*; Leonem Mutinensem *de ritibus Judæorum. pag. 3. cap. 3.* Buxtorfium *in synagog. Jud. cap. 12.* & Schmidium *de Paschate* legerit. Ex iis enim perspicuum est quisnam hodie sit Judæorum usus. Hebræi ergo ea nocte a qua init dies decima quarta, summa cura ac religione fermentum perquirere incipiunt, explorantes curiosius vel ipsas murium scrobiculas, & ædium rimas, ne forte quid in eis fermenti delitescat. Tum quidquid fermenti invenerint, tegunt diligenter ac studiose servant ad horam circiter undecimam matutinam, qua illud omne igni absumunt. Ex hoc apud Judæos panis fermentatus interdicitur. Postea parant azyma, quæ cum inedia plerique se maceraverint, nocte sequenti avidius comedunt. Sic apud eos quotannis veteris paschatis memoria instauratur. Quo nemo est qui non videat eos die demum decima quarta exeunte cœnam istam instituere. Id autem vel si unum haberemus, plane sufficeret. Mos enim hodiernus Hebræorum, & luculentus legis interpres, & certus veteris disciplinæ index cuilibet æquo rerum æstimatori fuerit. Quis enim in animum inducat in re tanti momenti eos & a lege & a majoribus descíscere voluisse?

SECTIO III.

An non identidem variis de causis usus ille immutaretur.

TRes supra recensuimus virorum doctorum opiniones ab hac nostra prorsus discrepantes, de quibus sigillatim pauca dicenda sunt.

ASSERTIO I.

SENTENTIA Pauli Burgensis seu translatio feriarum metu duorum festorum concursus commentitia est.

PROBATUR 1. auctoritate Nicolai Damasceni qui sub Herode majori vixit, & Josephi supparis qui ejus verba confirmat. *lib. 13. originum cap. 16.* Uterque enim refert quod cum Antiochum pium Syriæ regem in expeditionem Parthicam profectum secutus esset Hircanus Hebræorum princeps, ad Lycum fluvium biduo hæserit omnis exercitus Hircani rogatu, propterea quod duo festa consequebantur, per quæ non licebat Judæis iter facere. Id autem cum prior dixisset Nicolaus Dama-

„ ſcenus, ſic Joſephus ſubjicit. “ Et verum eſt quod ille ſcripſit, nam
„ Pentecoſte inſtabat poſt ſabbatum, quo tempore noſtris iter facere
„ nefas habetur. “ Ergo nec Hircani ævo, nec Nicolai Damaſceni, imo nec Joſephi, mos adhuc obtinuerat ut duo feſti dies continenter non concurrerent.

Probatur 2. teſtimoniis veterum Patrum de Quartodecimanorum diſciplina. Euſebius enim *lib.* 5. *hiſt. cap.* 23. Philaſtrius *hæreſi* 11. *tomo* 4. *bibliot. Patrum*; Auguſtinus *hæreſi* 29. Theodoretus *hæret. fabul. lib.* 3. *cap.* 4. Zonaras *in canon.* 7. *Conſtantinop.* aſſerunt Quartodecimanos ita eſſe nominatos, quod paſcha ſemper facerent die decima quarta in quamcumque hebdomadæ diem illa caderet, ſeu Dominica illa eſſet ſeu paraſceve ac feria ſexta. Atqui certum eſt Quartodecimanos affectatos eſſe Judæorum ritum. Ergo primis Eccleſiæ ſeculis, quibus Quartodecimani viguerunt, nondum Hebræi in mores ſuos receperant ut a certis hebdomadæ diebus paſcha excluderent.

Probatur 3. domeſticis Judæorum inſtrumentis. 1. Enim *in Talmude*, *tract.* Sueca, *cap.* 5. mentio fit ſabbati, quod præcedat aut excipiat alius feſtus dies. *Tractatu* Betſa, *cap.* 1. ſabbati, quod alia ſolemnitas conſequatur. *Tract.* Chagiga *cap.* 2. ſabbati quod alia feſta celebritas antevertat. Cujus ejuſdem rei plura inſuper alia exempla reperies apud Bartholoccium *in bibliot. Rabbinica tomo* 2. ubi de faſtis Hebræorum. 2. Rabbi Aben-Ezra vir apud Judæos in paucis eruditus ac ſubtilis contendit *in cap. Levit.* 23. id eſſe revera novi apud ſuos inſtituti. Quod vel ex ipſo Talmude demonſtrari queat. 3. Rabbi Maimonides *tractatu* Kidduſch, *cap.* 7. ubi varios hujus translationis ritus explicat, confitetur eam ipſe non eſſe faſtis hodiernis Hebræorum antiquiorem. At feſti Judæis jam uſitati non ante annum 258. a Chriſto a Rabbi Ada concinnati ſunt. Sunt quidem Rabbini nonnulli, qui aliter de uſus translationis feriarum vetuſtate ſentiant, ut anonymus ille apud Munſterum *de calendario Hebræorum*, quem Janſenius, ac deinde alii exſcripſerunt: ſed iis adverſantur reliqui & numero plures & auctoritate graviores; quos vide apud Bartholoccium *ſupra*.

Probatur 4. variis rationibus. 1. Enim credibile non eſt, cum Moſes legislator ſapientiſſimus, & qui divino lumine illuſtratus omnia præviderat, fixiſſet unam paſchati diem ſine ulla exceptione, auſos eſſe poſtmodum Judæos in hoc venerabili ac primario religionis ritu quidquam immutare. 2. Quis ſibi perſuadeat id fuiſſe olim apud Judæos frequentatum, cum nullum iſtius rei adeo memorandæ vel leve veſtigium uſquam extet? 3. Vix ac ne vix quidem devitari poteſt ea via illud incommodi, cui tamen unico inſervit. Nam ponamus v. g. ſolemnitatem azymorum ultimo vitæ Chriſti anno translatam eſſe in ſabbatum, ſeptima azymorum dies pari cum prima celebritate recolenda in feriam ſextam, & Pentecoſte in primam feriam cadent; atque adeo recurrent difficultates, quibus occurrere voluerant, duoque feſta con-

continenter celebrabuntur. 4. Futiles admodum ac frivolæ sunt duæ causæ, cur id Judæi feruntur excogitasse: prima ne olera cocta ac biduo servata in terris sole calentibus corrumpantur: altera, ne diutius relinquantur corpora inhumata propter festorum reverentiam: hæc, inquam, futilia sunt: primum quidem, quia excepto sabbato, cujus erat religiosior quies, nullum erat festum, quo cibi necessarii parari non possent. Sic enim Deus edixerat Exodi 12. 16. *Nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent*. Quod & notat Maimonides *in lib. iomtob*, seu *de die festo*. Alterum vero non minus frivolum est: idem enim doctor asseverat cadaver, cum esset necessitas, sepeliri potuisse utroque die festo: 1. quidem, modo extraneum hominem ad id operis adhiberent: 2. vero die etiam a Judæo.

Objicies. Usus iste nunc apud Hebræos obtinet. Ergo semper obtinuit.

Nego consequentiam. Est enim illud recentioris apud Judæos inventi, nec ætate Christi usurpabatur.

ASSERTIO II.

Sententia Aloysii Legionensis cœnam paschalem ad priorem diei decimæ quartæ vesperam retrahentis fictitia est.

Probatur. Ea opinio propugnari nequit, quæ & cum Scripturis & constanti Judæorum consuetudine pugnat, & insuper plurima importat partim falsa partim commentitia consectaria. Atqui ejusmodi est opinio Aloysii.

Ac de Scripturis quidem & Judæorum moribus sat multis jam disputavimus, ut ostenderetur die decima quarta non ineunte, sed exeunte celebrari oportuisse. Itaque hic supersunt tantum persequenda consectaria, quæ aut nondum aut leviter attigimus.

Primum quod inde sequitur, est, quod necessario dicendum sit dies vespera apud Judæos jam a Mosis ævo inchoatos esse. Dubium enim nullum est, quin initio noctis agnus comedi debuerit, non post mediam noctem. Atqui hoc esse falsum plenissime non ita pridem ostendimus. Ergo.

At, inquit Aloysius, Geneseos principio Moyses sat aperte significat dies a vespera ordiendos fuisse. Dies enim recensens vesperam priorem appellat: *Factum est*, ait, *vespere & mane dies unus*. Ergo.

Respondeo verborum Moysis hunc non esse sensum, quod ex vespere & mane factus sit dies unus (non enim ex utroque dies unus solidus coalescit;) sed idem esse ac si dixisset, factum est vespere post duodecim horas lucis, & factum est mane post totidem noctis, & ex utroque conflatus est dies unus naturalis. Triplex enim distinguitur dies: primus naturalis qui solis circa terram circuitu intra viginti quatuor horas absolvitur, & ab hujus sideris ortu in proximum ortum

exten-

extenditur : secundus est civilis, qui apud Ægyptios, Judæos, Romanos, perinde ac apud nos, a media nocte in mediam noctem numeratur : tertius est usualis seu *artificialis* vulgo dictus, quod artificibus & operibus inserviat, ab ortu solis in occasum durans, qui duodecim horis constabat, modo brevioribus modo pro varia anni tempestate longioribus : de quo Christus Joan. 11. 9. *Nonne*, inquit, *duodecim sunt horæ diei ?* Porro nec de civili nec de usuali die hic loquitur Moses, sed de naturali. Creationem enim mundi describebat : lucem primo conditam fuisse dixerat : deinde addiderat ei supervenisse noctem, divisasque esse a luce tenebras : denique cum notasset mane post noctem advenisse, *Factum est*, inquit, *vespere & mane dies unus*. Non igitur vespera assignatur ibi ut initium diei, sed ut lucis terminus, sicut mane assignatur ut noctis finis : ex luce autem ac nocte unus integer dies naturalis constituitur. Sic vero Mosen interpretantur sancti Patres, Basilius, Ambrosius, & post eos alii.

Secundum incommodum ex decretis Hispani theologi derivatum, est quod si statuatur pascha comestum die decima quarta ineunte principio noctis, ut ille arbitratur, jam definiri non possit tempus immolandi paschatis. Vel enim diceretur immolatum tempore pomeridiano proxime antecedenti, vel post solis occasum. Atqui 1. non potest dici mactatus agnus paschalis tempore pomeridiano, solis occasum, a quo incipit decima quarta dies, antecedenti : quia tunc mactatus esset die decima tertia. 2. Non potest dici mactatus post solis occasum, die decima quarta ipsa ineunte. Nam 1. cædi debuit juxta Mosen inter duas vesperas : non ergo postquam secunda etiam vespera advenerat. 2. Juxta paraphrastem Chaldæum mactari debuit inter soles. Ergo non postquam sol occubuerat. 3. In idem omnino tempus referri oportet sacrificii vespertini quotidiani & paschalis oblatio. Ambo enim iisdem verbis *ben-arebaim* fieri lege præcipiuntur. Atqui sacrificium vespertinum post occasum solis dilatum fuit, ut *supra* probavimus, nec differri potuit, quia tunc aut eadem die factum non est, qua matutinum ; aut prius matutino ejusque exemplar extitisset : quod utrumque falsum esse ex Scriptura evincitur, ubi de eo agitur. 4. Absurdum est quod nonnisi post occasum solis per medias noctis tenebras aut facum ope sese accingerent ad cædendos agnos innumerabiles : ducenta enim quinquaginta & quinque millia supra sexcentos immolata esse sub Cestio præside narrantur a Josepho *lib.* 7. *belli Jud. cap.* 17. 5. Epiphanius *hæresi* 70. *num.* 11. innuit nefas Judæis fuisse id offerre sacrificii per noctem. 6. Idem sentiunt omnes scriptores Hebræi. 7. Denique ex evangeliis, Philone & Josepho constat ætate Christi pascha immolari solitum non esse nisi decima quarta die post meridiem. Quocirca si pascha immolari debuit ac immolatum fuit die decima quarta ineunte post occasum solis, oportet ut admittat Aloysius decursu temporis hanc immolationem unius fere diei integræ spatio summa legis contumelia

majo-

majorumque contemptu procrastinatam esse. Id autem quis crediderit?

At Aloysius reponit. Josephus juxta antiquum ejus interpretem Stephanum Scholasticum, quem Gallicus nuperus quoque expressit, sic habet *lib.* 2. *cap.* 14. *numer.* 10. *edit. Angl.* " Cum instaret decima „ quarta dies, omnes ad egressionem tendentes, & immolantes, san„ guine domus proprias hyssopi frondibus emundabant. " Ergo He„ bræi non immolabant agnum paschalem die decima quarta jam desinente.

Respondeo 1. hunc Stephanum bardum prorsus & barbarum nec fidum esse interpretem. Gallicum vero nuperum eo quidem esse longe elegantiorem, sed in multis tamen eo non accuratiorem. Et vero si dictis eorum stemus, agnus paschalis immolatus fuerit die decima-tertia: quod fando nemo unquam audiit. 2. Græce esse ἐνστάσης τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης: vocem autem hanc Græcam ἐνστάσης non significare tempus modo futurum, sed etiam præsens, idque frequentissime, ut apud Isocratem, Demosthenem, Polybium, Philonem, Plutarchum sæpe videre est. Apud apostolum *Rom.* 8. 38. & 1. *Cor.* 3. 22. futuro quoque tempori opponitur. Josephus vero *in lib. de vita sua*, eam de die ad finem vergente usurpat. Sic itaque in loco memorato verti potuit ac debuit: " Cum advenisset dies decima quarta omnes .... im„ molantes &c. " Neque illud absurdi incurreretur, ut immolatio agni paschalis extra decimam quartam diem constituatur.

Tertium est, quod contra Scripturæ, & omnium hactenus auctorum sententiam, si credimus Aloysio, jam novem futuri sunt dies azymorum, si dies decima tertia semel habeatur pro una azymorum die. A decima namque tertia die usque ad vigesimam primam, utramque numerando, novem sunt omnino dies. Atqui si audimus Aloysium, jam decima tertia dies habenda est pro una azymorum die: nam pridie mortis Christi ad eum adierunt Apostoli ante cœnam paschalem (de ea enim instruenda cogitabant) nec ante cœnam modo paschalem, sed etiam ante vesperam, (vespere enim postmodum facto venit Jesus in civitatem, & discumbebat cum duodecim, ut narrat Evangelista): proinde ad eum accesserunt ante initium diei decimæ quartæ juxta placita Aloysii: atque adeo decima tertia adhuc lucente. Atqui cum Apostoli accesserunt ad Christum, jam venerat prima dies azymorum, ut disertis verbis narrant evangelistæ. Ergo decima tertia dies veniat necesse est in numerum azymorum: quod a seculo non est auditum. Scripturæ enim ubique septem tantum recensent azymorum dies: neque ullus est scriptor, qui eorum usum per octo solidos dies viguisse affirmaverit.

Respondet Aloysius id quidem verum esse: at cœnam paschalem, quæ cum azymis fiebat, eximendam esse ex numero dierum azymorum: eam quippe spatio circiter viginti quatuor horarum anteriorem fuisse ipsamet solemnitate azymorum. Nonne, inquit, fieri

potuit

potuit ut cœna paſchalis die decima quarta ineunte celebraretur cum azymis, quorum uſus exinde ſtatim per viginti quatuor horas intermiſſus reſumptus ſit poſteà initio ſolemnitatis azymorum, inde duraturus ad vigeſimam primam menſis per ſeptem integros dies?

Refellitur reſponſio. 1. Quia eo effugio non exhauritur difficultas, quam oppoſuimus. Eſto enim concedamus convivium paſchale habitum eſſe cum azymis ſeorſim a viginti quatuor horis ante initium ſolemnitatis azymorum, (quæ tamen eſt prima azymorum dies ſecundum Scripturam): quid hoc ad decimam tertiam diem, quam nullus unquam diebus azymorum accenſuit, in quo nos præcipue vim fecimus? 2. Quia fictitia plane eſt cœna illa paſchalis cum azymis celebrata, & viginti quatuor horarum intervallo ſejuncta a ſolemni azymorum prima die. An non autem illud commentum repugnat ipſi azymorum inſtituzioni? Nam uſus azymorum in memoriam egreſſionis ex Ægypto a Deo fuit imperatus Exodi 13. 3. *Mementote diei hujus, in qua egreſſi eſtis de Ægypto, ... ut non comedatis fermentatum panem*: Deut. 16. 4. *Septem diebus comedes abſque fermento, afflictionis panem; quoniam in pavore egreſſus es de Ægypto, ut memineris diei egreſſionis tuæ*. Atqui in Ægypto cum Hebræi azyma ad cœnam paſchalem adhibuiſſent, azymorum hunc uſum exinde non intermiſerunt nec intermittere præ feſtinatione potuerunt: Exodi 12. 39. *Et fecerunt ſubcinericios panes, azymos; neque enim poterant fermentari, cogentibus exire Ægyptiis, & nullam facere ſinentibus moram*. v. 34. *Tulit igitur populus conſperſam farinam, antequam fermentaretur*. Ergo ad fermenti uſum a cœna paſchali non redierunt. Ergo merum eſt ſomnium Aloyſii cœna illa paſchalis, azyma, ſingularis, a vera azymorum ſolemnitate viginti quatuor horarum ſpatio divulſa.

Instat Aloyſius. Joſephus *lib.* 2. *Orig. cap.* 5. ita ſcribit: " In „ memoriam ejus inopiæ (quam paſſi ſunt Hebræi cum ex Ægypto „ proficiſcerentur) feſta per octo dies celebramus quæ vocantur azy- „ morum. " Ergo uſus azymorum una cum ineunte decima quarta incipiebat. Abſque eo enim, non eſſent octo azymorum dies.

Respondeo eo nihil probari, quia eo plus probaretur quam veritas ferat & Aloyſius velit. Inde enim efficeretur, quod non tantum uſus azymorum, ſed etiam azymorum feſtum, cum decima quarta die ſimul inciperet. Nedum autem patiatur theologus Hiſpanus diem decimam quartam ineuntem dici feſtum, ille principio diei decimæ quartæ affixit cœnam paſchalem duabus potiſſimum de cauſis: 1. ut explicaret illud Joannis de ultima Chriſti cœna pronunciatum, cap. 13. 1. *Ante diem feſtum Paſchæ*: 2. ne admittere cogeretur Chriſtum eſſe die ſolemni azymorum a Judæis cruci affixum, quo nihil putat fuiſſe ab eorum moribus alienum magis. Quocirca Joſephum non ita urgeat, quaſi ſtatuat octo ſolidos dies fuiſſe azymorum. Non enim is eſt ejus ſenſus. Et vero Judæi, quorum ſuperſtitio intra legis & majorum diſciplinæ terminos continere ſe non potuit, nec hodie quidem per octo dies azyma uſurpant.

Etſi

Etsi enim fermentum perquirere incipiunt die decima quarta ineunte, eo tamen utuntur ad undecimam usque matutinam; nec de azymis, quæ exinde parant, gustare audent ad cœnam usque paschalem, sub finem diei decimæ quartæ, ut tradunt Maimonides *de solemnitate Paschali cap.* 1. *num.* 9. & *cap.* 6. *num.* 12. nec non & Rabbi Levi *in Pesach.* Scriptura sane septem duntaxat azymorum dies ubique commemorat, ut & Philo *de septenario* : imo & Josephus alibi constanter, ut *lib.* 3. *antiq. cap.* 10. *lib.* 7. *cap.* 13. *lib.* 11. *cap.* 4. Quin & cum Philone *ibid.* Josephus *lib.* 3. *antiq. cap.* 10. notat decimam quintam diem fuisse primam azymorum, & decimam sextam mensis fuisse diem azymorum secundam. Cur ergo, inquies, Josephus *lib.* 2. *cap.* 5. dies octo azymorum recensens innuit decimam quartam diem etiam inter azymorum dies numerari oportere? Est, ut mihi videtur, hæc optima via expediendæ difficultatis, si dicamus videlicet celebrationem quidem & usum azymorum non incœpisse nisi decima quarta luna desinente; verum id sufficere ad hoc ut decima quarta dies tanquam una ex azymis habeatur, quomodo præparatio escarum, quæ in sabbatum qualibet hebdomade adhibebatur, ab hora tertia meridiana, feria sexta Parasceves, appellationem toti feriæ sextæ apud Judæos usque adhuc, & ab iis apud Christianos indidit; quomodo vigilia pridie festorum Noel olim agi solita, toti diei præcedenti *vigiliæ* nomen fecerat. Quapropter vespera illa, a qua inchoabatur ille azymorum usus, spectari poterat dupliciter; ut terminus diei decimæ quartæ desinentis juxta civilem nimirum dierum rationem; vel juxta legis institutionem, ut initium azymorum solemnitatis, quæ addicta proprie diei decimæ quintæ, ab occasu tamen solis incipiebat jam ab ipsa decima quarta. Si priori modo consideretur illa vespera, ut diei scilicet decimæ quartæ, quam nox vulgi sensu ab decima quinta dirimebat, tunc improprie affirmare possis octo fuisse azymorum dies. Atque ita locutus est Josephus in hoc unico *supra* adducto loco : qua ratione & evangelistæ decimam quartam diem, qua accesserunt discipuli ad Jesum pridie ejus mortis, vocant primam diem azymorum, & etiamnum Rabbini. De quo lege Bartholoccium *tomo* 2. *Biblioth. Rabbinicæ*, ubi de Paschate. Si autem eam vesperam spectes ut principium solemnitatis azymorum; quæ vigesima prima luna post septem integros dies absolutos ad simile vesperæ punctum præcise terminabatur (quod est longe accuratius,) tunc septem tantum numerandi erunt azymorum dies. Atque hæc est facillima, ni fallor, ratio solvendi nodi, alioqui satis intricati, variosque Scripturæ & auctorum loquendi modos exponendi. Jam enim capitur, 1. quo pacto decima quarta dies aliquando censeatur esse una dies azymorum, nec vulgo tamen plures numerentur quam septem azymorum dies : 2. cur decima quarta pro prima azymorum die haberi queat, nec idcirco decima quinta unquam ponatur ut secunda, nec decima sexta ut tertia azymorum dies : 3. denique quare festum asseratur fuisse octo dierum, & nihilominus tota fere decima quarta luna profesta fuerit, & decima quin-

ta de-

ta demum die mensis solemnitas azymorum celebranda indicatur *Levit.* 23. 6. & *Num.* 28. 17.

Quartum incommodum est, quod eo adigatur Aloysius, ut locum hunc Deut. 16. 6. *Immolabis phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto*, de paschate intelligi nec debere nec posse contendat, sed de victimis, quæ per azymorum dies immolari consueverant. Et certe cum paschale convivium assignet initio diei decimæ quartæ, & egressum Israelitarum ex Ægypto ab eo disjungat unius diei intervallo, consequens erat hostiam, quæ cum tempore egressus istius componitur, non posse esse agnum paschalem. Id autem ingenue confitetur. Atqui de paschate tamen Mosen ibi esse intelligendum, multa sunt quæ evincant. 1. Verborum ac ipsius sententiæ perspicuitas: 2. unanimis omnium interpretum tam Judæorum quam Christianorum consensus: 3. nota paschati propria ibidem adjuncta, v. 4. *Non remanebit de carnibus ejus, quod immolatum est vespere, in die primo usque mane:* quod agno paschali prorsus peculiare fuit; cum de cæteris victimis pacificis contra in diem usque tertiam aliquid residui servari posset *Levit.* 7. 16. & 17. 4. Tandem Scripturæ ipsius auctoritas, quæ *lib.* 4. *Reg. cap.* 23. 21. narrans qua ratione sub Josia repertus sit Deuteronomii liber, qui diu omnes latuerat, & quo zelo pius ille rex hortatus sit populum, ut deinceps legi isti religiosius, quam ante, instaret; sic eum de paschate loquentem imprimis inducit: *Facite Phase Deo vestro, secundum quod scriptum est in libro fœderis hujus.* Atqui in toto Deuteronomii libro unicus hic locus est, in quo de paschate mentio fiat. Ergo de paschate necessario est intelligendus.

Quintum est, quod Aloysius, postquam in astruendo concinnandoque commento suo plurimum desudavit, nihil ex eo fere adjumenti capiat ad extricandas gravissimas qualque hujusce controversiæ difficultates. Adhuc enim ei incumbit perinde ac nobis explicandum illud Joannis cap. 18. *Et non introierunt* (Judæi) *in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha.* Et illud cap. 19. *Erat autem Parasceve Paschæ.* Nec non &, si quid hujus simile est, ex quo quis inferre queat Judæos alio quam Christum die pascha celebrasse. Ipse enim Aloysius unum eundemque diem utrisque assignat. Ergo operæ pretium non fuit, ut ab regio ac cæteris omnibus trito itinere diverteret.

Alia prætermittimus, quæ ex dictis dicendisque theologo cuivis paulo attentiori facile occurrent, ne his prolixiores, quam par sit, nonnullis esse videamur.

De sententia Ferrandi.

ASSERTIO.

VARIA Ferrandi interpolatio ad arbitrium & sine ullo legitimo fundamento excogitata est.

PRO-

Probatur. Ea enim interpolatio quatuor habet partes: 1. quod pascha a Judæis in Ægypto decima quarta die ineunte celebratum fuerit: 2. quod unicuique lege permissum sit ad initium aut ad finem diei decimæ quartæ pro libito pascha immolare: 3. quod mos tamen obtinuerit postea ut ad finem tantum ac secundam vesperam immolaretur: 4. quod Christus jamjam moriturus, ut veritas cum imagine quadraret, ad primi paschatis exemplum in Ægypto celebrati, ultimum suum facere feria quinta principio diei decimæ quartæ voluerit; cum Judæi feria tantum sexta ad finem ejusdem diei decimæ quartæ pro ea quæ invaluerat consuetudine, suo paschate defuncti fuerint. Atqui hæc omnino fictitia sunt.

Primam enim de paschate in Ægypto a Judæis sub initium diei decimæ quartæ celebrato jam subvertimus.

Secundam de lege paschatis, immolationem ad initium vel finem diei decimæ quartæ pro libito unicuique permittente refellimus, 1. iis omnibus momentis, quibus in hujus quæstionis aditu firmavimus pascha non potuisse fieri nisi decima quarta die exeunte: 2. ipso verborum Mosis tenore. Non enim arbitrio cujusque immolationem committit, sed certum ac necessarium tempus præscribit, imperatque ut medio inter duas vesperas tempore agnus mactetur: medio, inquam, inter utramque vesperam tempore, ut explicuimus, non vero juxta interpretationem Ferrandi. Nam si eæ vesperæ acciperentur de initio ac fine diei decimæ quartæ, per illud omne intervallum temporis, quod inter initium illius diei ac finem interjacet, agnum paschalem cædi licuisset, atque adeo horis etiam matutinis; quod Scripturæ ac omnibus sine ulla exceptione scriptoribus adversatur, eam immolationem non nisi ad occasum solis affigentibus. 3. Quia idem dicendum foret de sacrificio vespertino inter duas vesperas, iisdem vocabulis offerri jusso: ac per consequens sacrificium illud intra ejusdem diei spatium per omnes, quas libuisset, horas vagari potuisset: cum constet contra medio meridiem inter & occasum solis tempore, id fieri omnino debuisse. 4. Quia si duplex assignata esset a Mose vespera paschati faciendo, inutilis ac supervacanea omnino fuit lex illa Mosis altera, *Num. 9. v. 10. & 11.* qua omnibus generatim injungit, qui propter immunditiam aliquam carnis prima vice paschate fungi non potuerint, illud in secundi mensis decimam quartam diem omittere teneantur. Potuisset enim simpliciter remitti ad secundam vesperam ejusdem diei decimæ quartæ. Ergo penes unumquemque non fuit ut ad immolandum pascha, quam vellet diei decimæ quartæ vesperam eligeret.

Neque est quod dicat Ferrandus horum Moysis verborum, *Immolabit agnum universa multitudo filiorum Israel inter duas vesperas*, eamdem esse vim ac intelligentiam, quæ istorum de festis, *A vespere ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra*: & utraque simul componenda, ac de initio & fine diei ex æquo esse accipienda.

Il-

Illud enim pernegamus: ac contendimus inter utramque locutionem multum esse discriminis, quod ex usu linguæ Hebraicæ repetendum est: Et profecto si legitimum tempus immolandi paschatis, ut & festi celebrandi, ab solis occasu ad proximum solis occasum extenditur, omni eo spatio immolari potuit agnus, sicut per omne illud spatium festum celebrari debuit: quod a mente sua alienum esse nuper Ferrandus ipse professus est.

Tertia pars, quod mos exinde obtinuerit, ut ad secundam duntaxat vesperam deinceps pascha fieret, contra quam primo in Ægypto usurpatum est, inde falsitatis convincitur, quod repugnet Scripturæ sacræ, & omnium hactenus auctorum menti ac sententiæ. Constat autem *ex capite* 12. *Exodi, vers.* 14. & 27. primum pascha regulam ac normam extitisse cæterorum. Nam cum ibi definiisset Moses tempus primi hujus paschatis, simul edicit ut exinde eadem die in memoriam primi paschatis, Domini transitus, & internecionis primogenitorum, quæ eadem tempestate contigerunt, pascha quotannis instauraretur: Idem disertis verbis tradit Josephus *lib.*3. *antiq. cap.*10. idem omnes ad unum scriptores: nullusque potest allegari, qui hanc vesperarum mutationem ac translationem agnoverit. An autem contra tot aperta ac luculenta testimonia conjecturis ac fingendi licentiæ quidquam indulgere in hujuscemodi controversia fas fuit?

Quarta pars de Christo pascha ad exemplum primi in Ægypto paschatis initio diei decimæ quartæ celebrante, sicque uno die Judæos antevertente, & per se ruit, cum Judæi in Ægypto pascha primum ad finem diei decimæ quartæ fecerint, & *supra* a nobis confutata est, ubi de paschatis tempore Christi ævo disseruimus, & postmodum etiam plenius confutabitur, cum demonstrabimus Christum una cum Judæis pascha comedisse, nec aliter illud celebrare potuisse.

Uno verbo tota paschatis celebrandi ac celebrati desultoria ratio a Ferrando excogitata, hac una præscriptione summoveri potest, quod nova sit, nec ulla idonea auctoritate fulciatur, ac propterea a viro prudenti recipi non queat.

Adde quod Scriptura *Exodi* 12. & Hebræi scriptores affirment universam simul Judæorum multitudinem eo tempore pascha immolasse, ut jam jam patefaciemus.

De sententia Bucherii & Pezronii.

ASSERTIO IV.

Admitti nec debet nec potest sententia Bucherii & post eum Pezronii, qui cujuslibet mensis in republica Judaica duo initia continenter consequentia fuisse definiunt: alterum a conjunctione lunæ cum sole; alterum ab ejusdem lunæ in terris primo conspectu: duplicem proinde fuisse

fuisse unamquamque mensis diem 5, atque ita duplicem quoque extitisse decimam quartam Nisan diem, quarum utravis pascha immolari posset.

PROBATUR 1. silentio Scripturæ sacræ, & omnium veterum scriptorum, quod vel solum in hacce quæstione sufficiat. 1. Enim nulli divinare conceditur. Deinde vero hæc Neomeniæ ac cujuslibet mensium diei geminatio, res omnino singularis ac maxime memoranda, in festis celebrandis turbas innumerabiles dare poterat, & in negotiis gerendis gravi & frequenti impedimento esse poterat: proinde res ea, seu religionem spectes, seu civilem usum, Judæos multis implicabat quotidie necessario difficultatibus. Qui ergo factum est ut Moses vir sapientissimus legem ejusmodi fixerit? Aut potius cur, si figere voluit, eam ne verbo quidem expressit? Cur nullus est e posteris qui illam saltem exposuerit? An, quæso, verisimile est, si ea consuetudo viguisset apud Hebræos, nullum ejus apud Scriptores vestigium fore?

2. Probatur auctoritate ejusdem Scripturæ, & omnium auctorum, qui unquam de paschate scripserunt, & qui nunquam nisi unam diem paschati faciendo præstituere.

3. Quia Scriptura, &, qui ei consentaneus est, Philo, significant ab omni simul, & semel Judæorum multitudine agnum paschalem comedi consuevisse ac oportuisse, Exodi 12. v.6. *Immolabit eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam*, Philo autem *de Decalogo*, ac *de septenario*, pascha esse sacrificium, quod universus simul populus, & una die offerret.

4. Quia eadem est ratio primi paschatis ac cæterorum. Sunt enim eadem legis verba; & cuncta consequentia ad exemplar primi peracta sunt. Atqui uno eodemque die, una eademque nocte populus Hebræus in Ægypto pascha celebravit.

5. Deus jusserat *Num.9.* 10. & 11. ut qui prima vice paschate fungi non possent, quod non essent mundi, ii omnes rejicerentur ad decimam quartam diem mensis secundi. Si duplex primo mense decima quarta dies fuit, cur quæso nullum discrimen inter eos positum est? cur nulla exceptio est adhibita? Qui una die mundus non erat, altera mundus esse poterat: atque ita plerique illi qui ad priorem decimam quartam pascha comedere ea de causa non potuerant primo mense, poterant ad posteriorem eodem mense. Cur ergo omnes promiscue ad secundum mensem remittuntur? Deinde cur is casus primi ac secundi mensis diserte exprimitur, non exprimitur autem duplicis decimæ quartæ casus, qui longe crebrior esse debuit.

6. Plurima secum infert hæc opinio pugnantia & inextricabilia fere incommoda, ad quæ haud dubie ejus auctores non attenderunt. Singula persequi longum foret. In paschate consistamus. 1. Præceptum erat v. g. ut ante cœnam paschalem omne fermentum ab ædibus tunc ex-

terminaretur, Exodi 12. 15. *In die primo non erit fermentum in domibus vestris: Quicunque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel.* Deut. 16. 3. *Non comedes in eo panem fermentatum*. Versu 4. *Non apparebit fermentum in omnibus finibus tuis septem diebus*. Quin & fermentum jam tum exactum esse oportuit, cum pascha tempore pomeridiano immolaretur. Vide *Exodi* 34. 25. 3. *Esdræ* 1. 10. Paraphrastem Chaldæum *ad Exodi cap.* 34. quod hodieque omnes Judæi observatum olim esse sentiunt. Quæramus itaque jam ab adversariis an fermentum simul ac semel ab omnibus Hebræis eadem die abjiceretur, hoc est priore decima quarta, an partim hac, partim sequenti? Si respondeant ad priorem decimam quartam fermentum omne simul ab omnibus una Judæis exactum fuisse; ergo decem fuerint azymorum dies ad vigesimam primam usque posteriorem. Duplex enim erit eodem jure vigesima prima: ad posterioris autem vigesimæ primæ finem azyma usurpaverint qui ad posterioris decimæ quartæ finem pascha mactaverint. Si vero reponant partim priori decima quarta, partim posteriori fermentum fuisse abjectum; ergo cum pascha primo fiebat, fermentum adhuc erat in finibus Judæorum: imo & in eorumdem ædibus, si qui in eadem habitabant domo, non eodem die pascha comedere voluissent, quod liberi arbitrii fuisse ab adversariis supponitur. Idem dic 2. de azymorum solemnitate, quæ postridie paschatis celebrabatur. Ab iis enim qui prius paschate fuissent perfuncti, ea esset celebrata eadem die qua ab aliis pascha peragebatur: sicque una eademque dies aliis festa, aliis profesta extitisset in una eademque republica, imo in iisdem ædibus: quod est ridiculum. 3. Juxta legem decima sexta die mensis Nisan, quæ erat secunda azymorum, manipulus spicarum offerri Deo debuit, *Levit.* 23. 9. *usque ad* 16. *&* *Deut.* 16. 9. quod & docent Philo *de septenario*, Josephus *lib.* 3. *antiq. cap.* 10. Chaldæi interpretes, & Rambam *in opere de hoc manipulo spicarum*. Ab ea autem secunda azymorum die numerabantur septem hebdomades plenæ, septemque sabbata, quorum primum idcirco vocabatur *secundo-primum*, secundum vero *secundo-secundum*, & ita deinceps, donec quinquagesima demum die Pentecoste celebraretur. Jam vero si duplex decima quarta fuit, duplex proinde erit decima sexta: atque adeo bis offerendus fuit manipulus frugum: quod est inauditum. Deinde ponamus manipulum frugum primo oblatum esse feria sexta, sabbatum, quod statim consecutum est, ab iis, qui manipulum frugum hunc obtulerint, appellatum fuit *secundo primum*? ab aliis autem, qui nonnisi postea eum obtulerint, sequens duntaxat sabbatum, nuncupatum est *secundo-primum*: atque ita incredibilis fuerit rerum confusio. Denique si duplex fuit decima sexta, duplex quoque fuerit oportet Pentecoste: quod nemo hactenus excogitavit. Sed demus tamen duplicem fuisse Pentecosten: ergo cum Pentecoste accidit statim post sabbatum, tunc continenter tres dies festi continuo celebrati sunt. Atqui ex historia Nicolai Damasceni ac Josephi *supra* constat duos tunc dies fuisse feriatos.

Ergo duplici die Pentecoste non celebrabatur. Ergo ruit hæc cujuslibet mensium diei ac festorum geminatio.

7. Judæi quidem hodie per duos continuos dies Neomeniam suam, Pascha, Pentecosten, ac festum Tabernaculorum agunt: sed iidem hoc nos monent, quod aliter in Judæa ipsa olim usurpatum sit, & etiamnum usurpetur. Tradunt etiam illi a primo lunæ conspectu festa indicta fuisse per supremos concilii Hierosolymitani senatores: atque idcirco unica die esse iis in locis celebrata, quibus senatus-consultum pervenire potuit: in locis autem longius dissitis biduo, propter indicti diei dubitationem. Consule inter alios Rabbi Maimonidem tractatu *Kiddusch*, & in libro *Iom tob*.

Objicit 1. Pezronius illud 1. *Reg.* 20. ubi Scriptura loquens de fuga Davidis a conspectu Saul & miro Jonathanis in Davidem amore, sic ait versu 27. *Cumque illuxisset dies secunda post Kalendas, rursus apparuit vacuus locus David*: versu autem 36. *Surrexit ergo Jonathas a mensa in ira furoris, & non comedit in die Kalendarum secunda panem*. Ergo duo erant Kalendarum dies: proinde duplex Neomenia.

Respondeo *secundæ Kalendarum diei* nomine nihil aliud intelligi quam secundam mensis diem. Hebraice enim est, *Et non comedit in die mensis secunda*: ut & septuaginta interpretes hunc locum reddiderunt. Syrus sic vertit, *Nec comedit die illo secundo ab initio mensis*. Ergo nullum hic duplicis Neomeniæ vestigium deprehendi potest.

Instat Pezronius. David *ibidem* sic Jonathanem alloquitur versu 5. *Dimitte ergo me, ut abscondar in agro usque ad vesperam diei tertiæ*. Jonathas autem ei assentiens sic idem enunciat versu 19. *Descendes ergo festinus, & venies in locum, ubi celandus es, in die qua operari licet*. Ergo, inquit, dies illa tertia operaria dicitur contra quam duæ priores. Ergo duæ primæ festæ erant: si festæ erant; ergo Neomeniæ nomine: nullum enim aliud fingi potest: ergo duplex erat tunc Neomenia.

Respondeo Hebraice sic legi, *Et tertiabis descendes valde, & venies ad locum ubi absconditus es* (seu absconderis) *in die operis*. Hujus autem loci obscuri multæ sunt expositiones. 1. Enim septuaginta interpretes ac vulgata nostra illum de tertia die eaque profesta acceperunt, satis aperte eo innuentes diem secundam mensis, perinde ac primam, eo in casu festam extitisse. Qua autem de causa secunda illa mensis dies festa tunc extiterit, silent; & cum plures causæ esse possint, divinare non licet. Forte Neomenia Sabbatum consequebatur: forte id ex peculiari regis instituto oriebatur. Certum est autem neminem hic e veteribus de secunda Neomenia ferianda somniasse. 2. Paraphrastes Chaldæus & Arabs id intelligunt de die profesta, quæ Neomeniam anteverteret, & qua abscondere se cœpit David: quo fere & Syrus recidit. Omnes enim illud ad tempus præteritum referunt. Sic Chaldæus, *Et in tertia die quæreris nimis, & ibis ad locum ubi absconditus es in die profesto*. Syrus, *Et venies ad locum ubi te abdideras*. Arabs,

Veni cras ad locum ubi heri delitueras. Quo pacto omnis difficultas tollitur. 3. Alii contendunt opus, cujus hic mentio fit, esse illud quod ex compacto David & Jonathas erant acturi tertia die, sagittas projiciendo, quibus animus Saulis in Davidem innotesceret: quasi diceret Jonathas, *Et tertia die descendes, & venies ad locum ubi absconderis: venies, inquam, die qua peragemus quod ex compacto facere instituimus*: quo modo hic locus ad secundæ diei celebritatem nihil omnino faceret. Quidquid sit, nihil inde elici merito potest quod duplici Neomeniæ faveat.

Objicit 2. Pezronius illud Judith cap. 8. 6. juxta Græcos codices: *Et jejunabat omnibus diebus viduitatis suæ præter ante-Sbbbata, & Sabbata, & ante-Neomenias, & Neomenias, & festivitates, & cæteras solemnitates domus Israel*. Ergo, inquit, duplex erat Neomenia eadem celebritate agi solita.

Nego consequentiam: nam inde sequeretur eodem jure fuisse etiam qualibet hebdomada duplex sabbatum ejusdem ac paris celebritatis, quod nullus, opinor, admittet. Quocirca nihil aliud ex eo loco colligi potest, quam peculiaris posteriorum Judæorum consuetudo, qui legis terminos in festis celebrandis, majoris cautionis gratia, extenderunt. Id vocant Rabbini *Sepimentum legis*: quod is longe absit a lege violanda, qui plus præstet quam ea jubeat. Ita sabbati celebritatem ab hora diei nona, solemnitatem azymorum a meridie, festi expiationis jejunium pariter a meridie inchoant etiamnum, quamvis juxta legem ab occasu solis duntaxat ducenda essent. Idem factum puta in eo quod pertinet ad lætitiam festis diebus vulgo adjunctam. Qui enim jejunia agebant cæteris vitæ diebus, ea pridie festorum solvere consueverant, ne quid ex luctu in ipsum festum diem derivari videretur. Atque is mos fuit sanctæ fœminæ Judith. Ex eo vero quod dicatur jejunium solvisse non tantum Neomeniis, sed etiam proneomeniis, non magis inferri potest geminam fuisse Neomeniam, quam ex eo quod dicatur id factitasse non tantum sabbatis, sed etiam pro-sabbatis comminisci licet qualibet hebdomada duplex sabbatum. Quasi vero pro-sabbatum Parasceve, & quod idem est, feria sexta, ejusdem fuerit cum sabbato sequenti celebritatis.

Objicies 3. Cum Horatius *Satyra 9*. de Judæo Aristio loquens, *tricesima sabbata* nominasset, sic Acron vetus Horatii interpres addit: " Tricesima sabbata Judæi Neomenias dicunt. " Ergo Judæi, inquit, trigesima quaque mensis die, hoc est ultima, Neomeniam celebrabant. Atqui dubio procul aliam præterea recolebant initio mensis sequentis. Ergo duplex omnino erat apud Judæos Neomenia.

Respondeo hoc Acronis dictum ad quæstionem nostram non pertinere. Non enim hic agitur de locis ab Hierosolyma distantibus, qualis erat Roma, ubi scribebat Horatius; sed de ipsis Judæis in Palæstina vitam degentibus. Jam porro *supra* monuimus Judæos extra Palesti-

nam

nam positos per biduum festa celebrare consuevisse, ut etiamnum in more habent.

De sententia Harduini.

A S S E R T I O V.

Recipi non debet opinio Harduini idem cum Bucherio de duplici Neomenia & duplici decima quarta mensis Nisan die sentientis, addentis autem insuper sic geminam hanc decimam quartam fuisse distributas, ut alteram Judaei, alteram Galilaei, modo priorem, modo posteriorem occuparent.

Probatur 1. iis omnibus argumentis, quibus Ægidii Bucherii sententia confixa est.

2. Unanimi consensu Hebræorum, qui non tantum tradunt universam populi multitudinem simul congregatam pascha eodem tempore immolare debuisse, secuti verba ipsa Mosis Hebraica *Exodi* 12. septuaginta interpretes, Paraphrastem Chaldæum *ibidem*, Philonem *de septenario pag.* 1190. sed & speciatim produnt Galilæos una cum Judæis pascha fecisse, eademque die: hoc tamen uno discrimine quod dies paschalis in Galilæa ab ortu solis, in Judæa autem a meridie tantum festa esset: Lege Talmud Babil. tract. *Pesachim cap.* 4. & Rabbinos *ibidem*.

3. Variis, quæ ex Harduini placitis enascuntur, consectariis. Inde enim consequitur Galilæos, si priorem decimam quartam occupabant, aut postridie paschatis sui, hoc est decima quinta, solemnitatem azymorum non celebrasse secundum legis institutionem; aut si celebraverint, ea die festum egisse mediis in Hierosolymis, qua Hierosolymitæ ipsi festum non agebant: inde sequitur quod prius manipulum spicarum obtulerint; inde quod Pentecosten ante alios recoluerint: quod quam absurdum sit, & per se patet, & ex Scripturis satis intelligitur.

4. Denique silentio non tantum Scripturæ, sed omnium, ne uno quidem excepto, auctorum qui hanc populi Judaici distributionem ad pascha fungendum nunquam ad nos usque admiserunt.

S E C T I O IV.

An Christus pridie mortis suæ Pascha celebraverit.

Quod Christus tunc temporis agnum Paschalem comederit, res est Scripturarum auctoritate, Patrum testimoniis, omniumque hactenus Christianorum consensu ita firmata, ut id in dubium vocari potuisse a quoquam incredibile prorsus videatur.

Fuerunt tamen a primis seculis ad nos usque identidem nonnulli, qui id non tantum in dubium vocare, sed etiam negare ausi fuerint.

Hæc sententia ab hæreticis primo inventa, deinde ab iis transmissa ad schismaticos, demum a quibusdam catholicis excepta hac ætate, magno æstu, magnoque apparatu doctrinæ defensa est. Atque illi quidem omnes in eo consentiunt, ut negent Christum ultimo vitæ suæ anno Pascha celebrasse. Ut autem id negarent, non iisdem, sed diversis ac sibi propriis fere singuli rationibus moti sunt.

De iis qui negarunt Pascha Judaicum a Christo in ultima cœna celebratum.

Primus reliquis viam aperuit Marcion secundo seculo, causæ suæ necessitate eo adductus. Cum enim ille doceret legem antiquam non fuisse bonam, & Christum ejus adversarium extitisse, & carnibus animalium vesci insuper nefas esse, consequens erat ut traderet Christum agnum paschalem non comedisse, quod & speciatim statuit. Atque hunc eo nomine acriter coarguit Epiphanius *heresi* 42. Quanquam autem Marcion pro libito evangelia truncaverat, & solum admittebat Lucam, ostendit sanctus ille doctor, vel ex solis Lucæ testimoniis ejus errorem revinci posse.

Affert ergo adversus eum, 1. illud Christi cap. 22. 7. *Euntes, parate nobis pascha:* atque inde conficit Christum & legem observasse, & agni carnibus pastum esse, & pascha celebrasse.

Quid ad hunc locum reponeret Marcion haud scitur: sed cum catholici eum præterea premerent verbis post cœnam typicam & ante Eucharistiæ institutionem a Christo prolatis, versu 14. *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum*, iis eludendis respondebat Marcion, hoc non de agno paschali, quem comedisset, sed de Eucharistia, quam in eo erat ut jamjam institueret, esse accipiendum. Hanc autem expositionem, ut contortam, putidam, & ab evangelistarum mente prorsus alienam, sic Epiphanius pro merito excipit. " Nec est quod dicas mysterium hoc „ ab illo, quod erat peracturus, fuisse nominatum, cum ita diceret: „ *Volo pascha manducare vobiscum*. Nam ut pudorem omni ex parte tibi „ veritas faciat, non ei prius mysterio operari voluit, ne inficiandi occasionem haberes: sed cum cœnasset, inquit, accipiens hæc & illa, „ dixit, hoc est hæc & illa: nullum ut cavillandi calumniandique lo- „ cum relinqueret. " Eo maxime Marcionis hanc interpretationem reprehendit Epiphanius, quod verba Christi rem peractam significent, prolata sint autem antequam Eucharistiam institueret, ita ut de ea non nisi absurde accipi queant.

Urgebant Marcionem orthodoxi insuper illo evangelii loco versu 14. *Et cum facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo.* Ad id vero reponebat ille Christum visum esse discumbere, sed revera non discubuisse. Nempe præter supra dictos errores statuebat etiam Marcion Christum merum hominis simulacrum extitisse. Contra quem sic Epiphanius arguit:

arguit: "Recubuit Salvator, o Marcio, cum eoque discipuli duodecim:
" si tam ille recubuit, quam una isti recubuerunt, non potest eidem vo-
" ci diversa notio ac proprietas affingi. Aut igitur fatendum tibi est
" duodecim quoque discipulos specie tenus recubuisse, aut ipsum, qui
" vere carnem induerat, vere id ipsum egisse." Denique post longissimam disputationem concludit Epiphanius contra Marcionem Christum Pascha fecisse, nec esse abalienandum a Christo pascha.

Ex his patet Marcionem inficias iisse, quod Christus pridie mortis pascha comederit. Ut autem Scripturæ loca, quæ in ipsum torquebantur, eluderet, duplici ratione usum esse: 1. enim ea exposuisse de paschate mystico, hoc est Eucharistia: 2. de specie sensibus illudente. Hæc notasse operæ pretium fuit.

His confossa telis ista de Paschate Christi Marcionis opinio exinde ad seculum usque sextum jacuit in tenebris, e quibus eam tunc eruit Joannes Philoponus, hæreticus alter, multiplici circa fidem errore infamis. Fuit enim Eutychianorum tinctus fuligine, Monothelitarum assecla, & Tritheitarum antesignanus. Libellum ille scripsit de Paschate, in quo id ex professo agit, partim Joannis evangelistæ testimoniis, partim levibus quibusdam ratiunculis, ut demonstret Christum pridie mortis suæ pascha non celebrasse.

Qui nono seculo floruit Photius *bibliothecæ suæ codice* 115. & 116. commemorat duos auctores anonymos (quorum alter est ille forte ipse Philoponus) qui idem senserint. Postquam autem Photius eorum meminit, sic subjicit: "Sed ista maturiori consideratione digna sunt.
" Chrysostomus enim & Ecclesia aiunt Christum tunc temporis pascha
" comedisse.

Undecimo seculo cum Græcos inter & Latinos grave dissidium exarsisset, atque de azymo ac fermento ad Eucharistiam adhibendo acriter hinc & inde disputaretur, hanc sententiam, quod Christus pridie mortis suæ paschate functus non fuerit, Græculi quidam, ut causæ suæ ac fermento favorabiliorem, avide arripuere. Horum mentionem faciunt Theophylactus & Euthymius *in Joannem*. In eam certe abiit hoc tempore Cedrenus *in annalibus suis*; vir haud vulgaris profecto lectionis, sed exigui omnino judicii. Cæterum etiam tunc universa vulgo Ecclesia Græca profitebatur Christum in ultima cœna agnum paschalem sine ullo dubio manducasse, ut constat ex colloquio Humberti cardinalis edito *ad calcem tomi* XI. *annalium Baronii*: & si qui aliter censerent, ii stoliditatis & insaniæ ea ætate manifesti habebantur, "Quis enim, ait Humbertus, sanum sapiens hoc negat?"

At decursu temporis id placitum sensim apud Græcos schismaticos invaluit. Qui enim seculo decimo quinto vixit Georgius Scholarius seu Gennadius, testatur eos in diversas partes tunc scissos fuisse, multosque ad id de paschate non celebrato a Christo decretum adhæsisse, ut inde facilius azymorum usum exturbarent.

D 4 Nul-

Nullus hactenus e Latinis ad illud impegerat. Verum seculo decimo sexto, ejus opinionis patrocinium suscepit Nicolaus de Villa-Gagnonis, eques Rhodius: quem ob editum ea de re opusculum male statim excepere Salmeron, Sanctesius, & Vasquez. Suares, & post eum Isambertus, hanc sententiam hæreseos accusarunt.

Postremo autem seculo ineunte cum in eamdem descendisset Antonius de Dominis, archiepiscopus Spalatensis, famosus Ecclesiæ desertor, nova ac majori eam invidia oneravit. Itaque Bartholoccius hæc verba
„ indignationis plena expressit: " Hæc sunt argumenta Græcorum, &
„ quorumdam, qui apostatantes a fide catholica & in hæresim prola-
„ psi, in varios & enormes errores inciderunt, inter quos numeratur
„ Marcus Antonius de Dominis, archiepiscopus Spalatensis, qui im-
„ pudenter negat Christum agnum paschalem comedisse.

Eodem fere tempore Hieronymus Vecchietus Florentinus idem docuit in libro *de anno primitivo*, qui vix lucem aspexerat cum raptus ad rogum est, jubente Romano pontifice. Hoc ejus placitum Petavius PORTENTUM vocat *lib.* 12. *de doctrina temporum*. Illud autem miris modis exagitat Antonius Capellus e Franciscanorum familia in suo *de suprema Christi cœna* opere.

Et tamen paulo post colorem quæsivit Grotius, qui primus inter recentiores hæreticos credidit Christum pridie mortis suæ verum pascha non celebrasse. Cum enim distinxisset duplex paschatis genus, aliud verum quod immolaretur, aliud commemorativum, statuit a Christo pascha commemorativum esse celebratum, non verum, quod prius immolatum esset. In hanc Grotii distinctionem ac sententiam Armeniani perditi hæretici & omnis vulgo Socinianorum grex postmodum concessit.

Atque hæc fuit istius de paschate opinionis tot maledictis coopertæ origo; sors ac fortuna. Hos nacta erat hactenus parentes ac patronos, donec hisce annis vir inter eruditos magni jam nominis R. admodum pater Amicus Lami id sibi sumpsit, ut illam non gravi modo, quo laborabat, odio exoneraret, sed & doctis, qua valet ingenii vi, ac doctrinæ copia approbaret. Quo facto multorum undequaque scripta, animos autem longe plurium in se concitavit. Quid autem de eo sentiendum esse arbitremur, jam aperiamus, si prius monuerimus postremum hunc hujus sententiæ defensorem cum primo ejus auctore in duplici capite consentire, licet in reliquis discrepet: 1. in eo quod pariter decernat Christum, pridie quam pateretur, pascha non fecisse: 2. in eo quod cum alibi, tum præsertim *in epistola ad R. P. M.* Mauduit. *P. O.* judicet hæc Christi verba, *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum*, ad Eucharistiam referri omnino oportere. Quæ quidem interpretatio ea ipsa est, quam in Marcione adeo abominatus est Epiphanius.

Quid

Quid de ultimo Christi paschate sit sentiendum.

A S S E R T I O.

Pro certo habendum Christum in ultima cœna agnum paschalem comedisse.

Probatur 1. ex variis evangeliorum locis, quæ cum singula non mediocris sint perspicuitatis & roboris, collecta ac juxta se invicem posita sese mutuo ita juvant & illustrant, ut necesse sit iis persuaderi, quicunque ad hanc controversiam præjudicatam opinionem non attulerit.

Primo enim referunt evangelistæ primam diem azymorum jam advenisse, cum feria quinta accesserunt discipuli ad Jesum extra urbem Jerusalem; primam, inquam, diem azymorum, in qua necesse erat occidi pascha, & qua Judæi revera illud immolabant; Matth. 26. 17. *Prima die azymorum accesserunt discipuli ad Jesum*: Marci 14. 12. *Primo die azymorum, quando pascha immolabant*: Lucæ 22. 8. *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha.*

Secundo addunt apostolos occasione hujus paschatis immolandi ab eo sciscitatos esse ubinam vellet sibi parari pascha ut illud manducaret: apud Matthæum ibid. *Ubi vis paremus tibi comedere pascha*: apud Marcum, *Quo vis eamus & paremus tibi ut manduces pascha.*

Tertio Christus non tantum eis tunc designavit aliquem in cujus ædibus pascha faceret, sed & jussit ut ei nomine suo dicerent se apud eum pascha certo facturum: Matth. 26. 18. *Dicite ei .... apud te facio pascha cum discipulis meis*: Marci 14. 14. *Ubi est refectio mea, ubi pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse demonstrabit cœnaculum grande stratum, & illic parate nobis*. Lucæ 22. 8. *Euntes parate nobis pascha, ut manducemus.*

Quarto Discipuli cum abiissent in civitatem, paraverunt reipsa pascha, *Matth. supra v. 19.*

Quinto id fecerunt ante vesperam. Postmodum enim ad vesperam venit Christus in urbem: Marci 14. 17. *Vespere autem facto, venit cum duodecim.*

Sexto Christus postquam discubuisset ad comedendum pascha, quod apostoli paraverant, inter cœnandum iis aperuit quantopere cupiisset hoc pascha comedere una cum eis, ut pote ultimum omnium quod celebraret: Lucæ 22. 15. *Desiderio desideravi hoc pascha* (τοῦτο τὸ πάσχα, pronomine rem præsentem demonstrante) *manducare vobiscum*; versu autem 16. *Ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.*

Ista porro historiæ series aperte demonstrat Christum pascha tunc celebrasse. Alias quorsum evadit evangelistarum narratio? quo apostolorum

torum apparatus jubente magistro? An vero Christus præcepto suo illudere discipulis suis voluit? An promissione sua Hospiti imponere? An suos denique inani gratulatione de postremo paschate una cum eis celebrato ludificari? Verum ut singula expendamus,

Primo ipsum orationis filum ostendit evidenter in historia hac tota de paschate agi uno eodemque sensu, quod necesse esset occiditum, quod a Judæis immolaretur, quod apostoli parare voluerint, quod revera pararint, quod Christus facturum se pollicitus sit, quod postea summo animi affectu ultimum comederit. Atqui pascha quod necesse erat occidi & quod immolabatur, verum ac legitimum sine dubio erat pascha, ipseque agnus paschalis. Ergo agnum paschalem comedit Christus: nisi forte sacri scriptores lectoribus verborum ambiguitate fucum facere voluerint. Profecto si pascha, quod erat tunc immolandum, apostolos admonuit, ut de paschate parando ipsi quoque cogitarent, haud dubie ejusdem generis pascha parare voluerunt. Id autem ipsum pascha quod parare instituebant, Christus promisit se facturum, & illi exinde paraverunt in cœnaculo illo grandi & strato, ut constituerat illis Jesus. Atqui in idem cœnaculum venit Christus & comedit hoc idem pascha cum eis. Ista enim vis est pronominis hujus demonstrantis. Ergo pascha comedit quale immolabatur. Id autem erit longe luculentius, si tria observaverimus. 1. Apostolos, cum Jesum adierunt occasione paschatis immolandi, ejus mortis præscios non extitisse: proinde eos tunc consilium habuisse, non anticipandi paschatis, aut paschatis nescio cujus celebrandi, sed faciendi veri ac legitimi paschatis juxta consuetudinem, cui nihil omnino deesset. 2. Neque eos voluisse tantum cœnaculum ab omni fermento expurgare, erat enim jam stratum & ornatum; neque de agno duntaxat emendo in crastinam diem, quod P. Amicus contendit: ad id enim necesse non fuisset ut tam sero in urbem venirent, cum agnum qualibet hora comparare sibi potuissent sequenti luce, si ea demum paschatis dies fuit: sed cogitasse de agno ac paschate pleno parando ad comedendum *illic*, hoc est in supradicto cœnaculo. 3. Denique eos agnum hunc ac pascha paraſſe ad proximam cœnam: sic enim Christus ad discipulos, *Illic parate nobis: euntes parate nobis pascha ut manducemus*. Ad dominum autem domus, quasi de re præsenti, *Apud te facio pascha*. Et revera discipuli statim profecti sunt in civitatem, & paraverunt pascha. Tanta autem festinatione non fuisset opus, si sermo esset de convivio ad sequentem diem agendo. Ergo nisi vim faciamus evangeliis, præsto erat pascha plenum ac legitimum in cœnaculo, cum ad cœnandum in urbem venit vespere Christus. Ergo ad pascha illud oculis subjectum suis attendebat, cum sic loqueretur, *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum*.

2. Accesserunt apostoli ad Jesum prima die azymorum, idque ante vesperam: *Vespere* enim postea *facta* venit Jesus in Jerusalem cum duodecim.

decim. Atque adeo si ad eum accesserunt discipuli una solida die ante legitimum tempus paschatis, ut definit P. Amicus, ad eum sane accesserunt die decima tertia: a vespera enim & occasu solis duntaxat sequenti inchoabatur dies decima quarta juxta ejus opinionem. Atque id reipsa aliquando statuerat ille in libello in quo deprædicat se obvium Scripturæ sensum sequi. Atqui id defendi ac sustineri nequit, quod tum adhuc decima tertia dies lucesceret: nunquam enim ea in numerum venit azymorum. Ergo decima quarta demum die ad Christum adierunt tempore pomeridiano, paulo ante noctis initium, qua comedi agnum paschalem oportuit. Ergo eum comedit.

Neque est quod dicat P. Amicus *vespere* nomine provectam etiam admodum noctem posse significari: proinde nihil obstare quominus post occasum solis adierint Jesum discipuli, & deinde cum nox alta esset, Christus in urbem venerit.

Nam esto, vespera totum illud spatium complectatur, quod est ad mediam noctem, certe negari non potest quin includat etiam tempus illud, quod statim erat ab occasu solis, a quo illa inchoabatur. Quapropter si evangelia duntaxat dicerent vespere Christum advenisse, minus forte esset difficultatis; sed cum notent postquam apostoli accesserunt ad Christum, & antequam Christum rure veniret in civitatem, vespere factum esse, necessario indicare voluerunt vesperæ initium advenisse medio inter utrumque tempore. Ea enim omnino vis est illius locutionis: & qui duas res a se longe tempore distantes describit ordine, & animadvertit inter ambas vesperam advenisse, is apud omnes cordatos censebitur priorem etiam ante vesperæ initium posuisse. Si enim utraque post vesperæ initium accidit, non potest inter utramque recte dici vesperam advenisse. Atqui duplex erat tantum apud Judæos vespera; altera solis declinantis, statim a meridie, quæ & sex horas fere durat; altera solis occumbentis, quæ inde extendebatur, si vis, ad mediam usque noctem. De priori autem hic non agitur, sed de posteriori. Ergo secunda nondum advenerat, hoc est, nondum sol occubuerat, cum apostoli interrogabant Christum prima die azymorum: occubuerat autem, cum Jesus in civitatem rediit. Ergo juxta P. Amicum necesse est, ut ad Jesum illi accesserint decima tertia die adhuc lucente: quod est absurdum. Quanto ergo major erit absurditas, si dies inciperent non ab occasu solis, ut ille necessario constituit, sed a media nocte, ut demonstravimus. Tunc enim non apostoli tantum Christum allocuti fuerint; sed & Christus, ipsa decima tertia die adhuc durante, in civitatem venerit: atque ita neutrum contigerit prima die azymorum, die qua pascha immolabant: quod tamen disertis verbis asserunt evangelistæ.

Tria Josephi loca affert in subsidium causæ suæ P. Amicus: 1. *ex lib. antiq. cap. 5.* ubi ait, festum azymorum fuisse dierum octo: non fuisset autem, nisi iis annumeretur & decima quarta: 2. *ex lib. 9. cap.*

13. in

13. in quo refert sub Ezechia mactatum esse pascha, *Instante azymorum die*, ἐνστάσης τῆς ἀζύμων ἑορτῆς, quod ita verti ille jubet, *ineunte festo azymorum*; cum alii interpretes id intelligant de *imminente azymorum festo*: 3. ex *lib.* 18. *cap.* 3. ubi affirmat moris fuisse, ut a media nocte templi fores aperirentur in festo azymorum. Id autem vult intelligi de media nocte a qua inibat decima quarta dies. Unde concludit P. Amicus integram diem decimam quartam *azymorum* nomine appellatam esse.

Respondeo 1. generatim iis nihil probari, idque duabus de causis: 1. quia ibi nulla fit mentio illius temporis quod ab occasu solis ad noctem intercederet initio diei decimæ quartæ, de quo tamen solo hic disputatur: 2. quia ea loca plus probarent quam velit P. Amicus. Inde enim efficeretur decimam quartam diem ab ipso sui principio festam extitisse.

Respondeo 2. ad singula. Ad 1. a Josepho asseri festum azymorum fuisse octo dierum, quia nempe pars decimæ quartæ diei festa erat, a meridie videlicet, vel saltem ab occasu solis. Ad 2. sine ullo veritatis ac sententiæ nostræ detrimento posse dici mactatum agnum vel imminente festo vel ineunte; quia juxta legem agnus immolabatur cum immineret festum, ab occasu scilicet solis statim inchoandum: juxta consuetudinem autem immolabatur die festo ineunte, quia decursu temporis Judæi voluerant ut ab ipsa meridie festum celebraretur. Utrumvis autem sonat vox ἐνστάσης ambigua, sive diem imminentem, sive diem præsentem. Certe sibi ipsi officit P. Amicus sua illa Josephi interpretatione. Inde enim sequitur festum azymorum tunc tantum iniisse cum agnus immolaretur; hoc est post meridiem: proinde ex eo inferre non potest totam decimam quartam diem, quanta erat, totam fuisse nominatam *azymorum* diem. Ad 3. secum aut cum Josepho pugnare P. Amicum, dum hic contendit portas templi apertas esse initio diei decimæ quartæ ad mediam noctem: alibi autem affirmat diem decimam quartam festam magna sui parte non extitisse. Josephus enim hic tradit quidem portas apertas esse ad mediam noctem; sed simul addit festum jam iniisse cum aperirentur. Et vero probabile est forium præter communem morem media nocte referandarum duplicem tum peculiarem causam extitisse, quarum prima est festi omnium maximi celebritas; altera cœnæ paschalis finis, in eam circiter noctis partem cadens, ut nempe omnes e convivio surgentes in templum Deo gratias acturi convenirent.

Adjungit Josepho P. Amicus quædam Rabbinorum testimonia. Maimonidis & aliorum, qui primam diem, qua amplius fermentum apparere non debebat in domibus Hebræorum, *Exodi* 12. 13. volunt esse decimam quartam mensis diem.

At quid inde colligas aliud quam quod decima quarta dies *azymorum* nomine donata fuerit ab eo tempore, quo fermentum jam apparere

non

non debuit? Atqui hac ipsa die decima quarta apparere potuit fermentum ad meridiem usque. Ergo hæc Rabbinorum dicta nedum P. Amici causam juvent, eam potius elidunt. Verum ad ea redeamus, quæ ex Scripturis depromere instituimus nostræ ac communis sententiæ argumenta.

3. Venerunt discipuli ad Jesum *die, qua necesse erat occidi Pascha, & quando Pascha immolabant*. Atqui pascha immolabant die decima quarta desinente post meridiem. Ergo tunc duntaxat ad eum accesserunt, non vero die præcedenti post solis occasum. An enim recte dici possit tunc fuisse diem, qua necesse erat occidi pascha, & tempus quando pascha immolabant, cum frequenti ac proxima demum luce, idque post meridiem, mactaretur?

4. Cum de illa apostoli cogitarunt, erant jam cœnacula paschati faciendo parata & strata. Atqui parata non erant cœnacula isti rei ad illius noctis principium, a qua inibat dies decima quarta: totam enim Hebræi noctem illam & sequens ad meridiem tempus in perquirendo fermento & cubiculis ornandis impendebant. Ergo non ad finem diei decimæ tertiæ, quod putat P. Amicus, sed decima quarta duntaxat de cœna illa instituenda cogitarunt.

5. Evangelistæ ultimi illius convivii historiam contexentes omnes uno ore tradunt ab apostolis paratum fuisse pascha ut comederetur: non tradunt quidquam aliud paratum esse. Si cœnam paschalem non peregit Christus, cur ejus apparatum tanta cura describunt; aliam, quam peregisse putatur, vulgarem ne verbo quidem tangunt? Cur fingamus cum P. Amico, quod Christus pascha paratum sibi non comederit, comederit autem id quod ei paratum non esse memoratur?

6. Inter cœnandum sic ait Christus apud Lucam, *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei*. Ex quibus verbis quadruplex momentum efflorescit in gratiam nostræ assertionis. 1. Enim hæc repetitio, *Desiderio desideravi*, ardens & absolutum desiderium sonat Hebræorum more. An autem Pascha edere desideravit Christus Deus, nec tamen præstiterit? 2. Cum *hoc pascha* diceret, hoc idem pascha indicabat, de quo hactenus toties mentio facta fuerat, & quod in cœnaculo paratum coram cernebat. At mentio facta fuerat hactenus de paschate legitimo, quod reipsa apostoli instruxerant. Ergo. 3. Hæ voces, *Ex hoc non manducabo illud*, significabant, & pascha illud fore omnium postremum. 4. Denique ea propositio, *Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei*, causam continet cur Christus pascha parare, illudque comedere tanto studio cuperet, mortem scilicet imminentem, qua totum erat humanum genus a Dæmonis jugo liberaturus, statim atque illud comedisset, ut omnium ultimum. Ergo illud reipsa comederat.

TOR-

Torsit hunc locum præ cæteris perſpicuum, & efficacem P. Amicus triplici expoſitione. 1. Enim eum eſt interpretatus de Euchariſtia, quod paſcha myſticum eſt: 2. de cœna vulgari tunc celebrata, quæ *paſcha* nominetur improprie, quia in dies paſchales incidit: 3. tandem de paſchate vero ac legitimo ab apoſtoliſque parato, ſed in ſequentem diem, quod comedere maxime peroptaſſet, morte autem præventus comedere non potuit; ita ut horum Chriſti verborum is ſit ſenſus: *Deſiderio deſideraſſem hoc paſcha, quod inſtruxiſtis, manducare vobiſcum: verum &c.*

Ast nulla harum expoſitionum poteſt conſiſtere. Non prima, quæ eſt de Euchariſtia: ea enim verba rem peractam notant, & prolata ſunt tamen antequam Euchariſtia inſtitueretur. Deinde ea eſt odioſa interpretatio Marcionis, quam coarguit Epiphanius. Denique manifeſtum eſt ibi de eodem paſchate agi, de quo hactenus ſæpe. At de paſchate Judaico ſemper hactenus locutus fuerat evangeliſta. Ergo. Non ſecunda, merum enim figmentum eſt cœna illa vulgaris, quæ *paſcha* nuncupatur, ante ipſius paſchatis immolationem. Non tertia, cui tamen potiſſimum jam adhæreſcit. Nam 1. iſta locutio, *Deſiderio deſideravi*, deſiderium non imperfectum, non ſub conditione ponendum arguit, ſed plenum & efficax. 2. Quid fuit quare Chriſtus tot votis deſideraſſet id paſcha comediſſe, quod non erat celebraturus? 3. Tandem jam evaneſcat neceſſe eſt notata a nobis *ſupra* utriuſque Chriſti propoſitionis connexio: hoc enim conſtituto poſterior priori non connexa, ſed adverſa futura eſt: aut potius ambæ abſonæ evadent. Quid enim ſibi hoc velit: *Deſiderio deſideraſſem hoc paſcha manducare vobiſcum: ex hoc enim non manducabo illud?* An quod Chriſtus paſcha deinceps non eſſet manducaturus, id in cauſa Chriſto fuit, cur tantopere paſcha manducare cuperet?

7. Non eſt certior ullius veri ac genuini Scripturarum ſenſus interpres, quam unanimis in eum omnium gentium conſpiratio. Atqui præter paucos hæreticos, ſchiſmaticos, & alios haud multo probatioris farinæ homines, univerſi hactenus, (ſi Villa-gagnonium unum exceperis) in eo conſenſerant, ut ex his Scripturæ locis paſcha a Chriſto celebratum eſſe colligerent. Ergo.

8. Quis credat Matthæum, Marcum & Lucam ita de cœna illa ſcripſiſſe, ut in errorem omnes evangeliorum ſuorum lectores neceſſario inducerent ad Joannem uſque, qui longe poſt alios evangelium poſtremum omnium exaravit. At certe nemo eſt qui ex horum evangeliſtarum narratione ſtatim non inferat Chriſtum pridie mortis ſuæ paſcha celebraſſe. Si quid autem eſt quod in re tam clara ac tot modis conteſtata difficultatem faceſſere queat, illud omne ex Joannis evangelio depromitur. Ergo.

9. Ritus paſchatis fuit ad menſam accumbere, in cubiculo lectis ſtrato, cœnæ poculo vini præludere, bis lavare, adhibere duplicem cœnam,

nam, postquam cœnatum erat propinare calicem benedictionis, epulas denique hymno concludere. De quo vide disputantes Scaligerum *lib. 6. de emendatione temporum*; Bartholoccium *tomo 2. bibliot. Rabbinicæ*, & alios recentiores. Atqui ista omnia ad vesperam in cœna usurpavit Christus, pridie quam cruci affigeretur. Ergo tunc paschalem cœnam reipsa celebravit.

PROBATUR 2. Ecclesiæ auctoritate, quæ a Christo ad nos usque semper ac constanter id sensit. Cujus sententiæ certissima monimenta deprehendes,

Primo in causa Ebionitarum primo seculo. Tunc enim exorti sunt Ebionitæ Judaicis ritibus addicti. Cum autem pascha a Christianis decima quarta die celebrandum esse contenderent, & exemplum Christi adducerent, qui ita pridie mortis suæ pascha Judæorum more peregerat; id quidem de Christo, quantumlibet Ebionitarum errori opportunum, concedebant catholici, quasi certum ac constans factum, de quo nemo dubitaret, ut patet ex Origene *homil. 35. in Matthæum*, sed consecutionem inficiabantur. Ergo tam hæretici quam catholici in ultimo Christi paschate consentiebant.

Secundo in controversia Quartodecimanorum secundo seculo & sequentibus, qui eadem qua Ebionitæ consuetudine implicati erant & eodem Christi exemplo sese tuebantur juxta evangelium & acceptam ab apostolo Joanne traditionem, ut memorant antiqui Patres. Atqui id temporis nemo negabat orthodoxorum.

Tertio in disputatione contra Marcionem quarto seculo, qui cum primus id ausus esset inficiari, propterea a Patribus acerrime reprehensus est.

Quarto in censura quam nono seculo tulit Photius in Philoponum, qui eamdem opinionem instaurare aggressus fuerat.

Quinto in flebili illo schismate quo Græci a Latinis divulsi sunt. Undecimo enim seculo non solum utraque Ecclesia in hoc capite concordabat, sed & inter insanos & insipientes amandabantur, qui aliter statuerent, ut constat ex dialogo Humberti cardinalis.

Sexto in susceptione celebris de venerabili Eucharistiæ sacramento officii, quod a divo Thoma decimo tertio seculo compositum summo plausu excepit & exinde frequentavit Ecclesia: ibi enim etiamnum canit ubique Ecclesia quod Eucharistiam " Christus instituerit, post " agnum typicum expletis epulis & observata lege plene cibis in legalibus.

Septimo, in synodo Tridentina, quæ *sess. 22. cap. 1.* de hoc capite quasi apud omnes constanti & indubitato, sic habet: " Celebrato veteri pascha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum " Israel immolabat, novum instituit pascha, se ipsum ab Ecclesia per " sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus " sui ex hoc mundo ad patrem, quando per sui sanguinis effusionem " nos redemit.

His

His adde Græcam Ecclesiam Orientalem in officio de sancto oleo nobis omnino consentientem.

PROBATUR 3. omnium Patrum, qui ea de re locuti sunt, suffragiis.

Primus est Polycrates Ephesius, vicinus apostolicorum temporum, id tradens evangelii ac B. Joannis evangelistæ auctoritate, apud Eusebium *lib.* 3. *cap.* 24.

Secundus Tertullianus *lib.* 4. *contra Marcionem*, ex eo probans Christum veteris legis adversarium non extitisse.

Tertius Origenes *homil.* 35. *in Matth.* id concedens sponte Ebionitis, qui eo tamen contra Ecclesiæ consuetudinem abutebantur.

Quartus est vetustus quidam auctor *de Paschate* qui in eam disputationem dedita opera incubuit, apud Cyprianum *edit. Oxoniensis*.

Quintus Anatolius, qui ex professo quoque multa de paschate differuit: quem vide apud Eusebium & Eucherium *de cyclo paschali*.

Sextus Eusebius, cujus ea de re excerptum exhibet Cangius *ad calcem chronici paschalis*.

Septimus auctor *constitutionum apostolicarum*, ubi de ultima Christi cœna.

Octavus Theophilus Alexandrinus *in epist. ad Theodosium imperatorem*.

Nonus Epiphanius *hæresi* 30. adversus Ebionem & *hæresi* 42. contra Marcionem.

Decimus S. Hieronymus *in Matth.* 26. *v.* 26.

Undecimus Ambrosius *in epist. ad episcopos Æmiliæ*.

Duodecimus S. Chrysostomus *hom.* 83. & 84. *in Matth.*

Decimus tertius Theodoretus *quæst.* 24. *in Exod.*

Decimus quartus Cyrillus Alexandrinus apud Mabillonium *de Azymo*.

Decimus quintus Proterius Alexandrinus *ibid.*

Decimus sextus S. Augustinus *epist.* 31. *cap.* 13.

Decimus septimus Eligius Noviomensis *in Homiliis*, *in Biblioth. Patrum*.

Decimus octavus Photius *in Biblioth. codice* 116.

Decimus nonus Theophylactus *in evangelia*.

Vigesimus Euthymius *ibid.*

Hi omnes uno ore docent Christum pascha pridie mortis suæ celebrasse, neque ullus omnino est alius, certi saltem nominis, qui a cæteris dissentiat.

PROBATUR 4. omnium hactenus ad unum theologorum consensione, qui non tantum istud ut ex Scripturis ac traditione constans & apertum definiunt, sed ex eo majorem azymi præ fermento in Eucharistia conficienda convenientiam astruunt adversus Græcos: ita ut qui ali-

quæ.

ter statuit, is Græcorum schisma adjuvet & pessundet causam Ecclesiæ.

Quæ cum ita sint, videamus jam quibus momentis nitantur adversarii nos a tam firma persuasione exturbare. Sole enim clariora sint oportet, quibus tantum opus moliuntur. Nobis enim in tam bene fundata possessione sufficit, si vel probabilem argumentorum dissolutionem afferamus.

OBJECTIONES.

Objicies 1. illud Joannis dictum de ultima Christi cœna cap. 13. 1. *Ante diem festum paschæ sciens Jesus* &c. Ex quo illi arguunt hanc cœnam non fuisse paschalem. Paschalis enim cœna celebrabatur post solis occasum, initio festi azymorum. At ex his verbis nondum inierat dies festus paschæ, cum hanc cœnam celebravit Christus. Ergo ea cœna paschalis non fuit.

Respondeo 1. juxta quosdam interpretes sermonem hic non esse de postrema cœna, sed de alia, quam biduo ante fecerit Christus.

Respondeo 2. epulas paschales potuisse dici celebratas, & die festo paschæ seu azymorum, & ante eum diem festum: die quidem ipso festo juxta legem & accuratiorem loquendi modum; ante diem autem festum juxta popularem ac minus exactam loquendi rationem. Etsi enim revera convivium paschale in ipsum festi initium caderet, observanda sunt tamen quatuor. 1. Est, dies civiles, ut ostendimus, non nisi a media nocte esse inchoatos, atque adeo cœnam paschalem, quæ fiebat post solis occasum, factam esse ante diem decimum quintum. 2. Est, quod etsi festum azymorum seu paschæ decima quarta die jam ab occasu solis inciperet, vulgo tamen obtinuisse, ut tota decima quarta dies haberetur tanquam hujus festi pervigilium, festumque affigeretur diei decimæ quintæ, seu paucarum horarum ac noctis ad celebritatem ratio non ita haberetur, seu potius pro more ferretur animus plebis in sequentem diem, qua solemnitas erat maxime conspicua. Quidquid sit, consuetudinis, inquam, erat ut decima quarta dies spectaretur quasi pervigilium festi azymorum, & dies decima quinta tanquam propria hujus festi sedes haberetur: Levit. 23. 5. *Decima quarta die mensis ad vesperam phase Domini erit, & decima quinta die mensis hujus solemnitas azymorum est.* Num. 28. 16. & 17. *Decima quarta die mensis phase Domini erit, & decima quinta die solemnitas.* Cap. 33. 3. *Profecti* (*sunt*) *de Ramesse* ..... (*Hebræi*) *quinta decima die mensis primi, altera die phase.* Josue 5. 10. *Et fecerunt phase decima quarta die mensis ad vesperam.* Versu 11. *Et comederunt* .... *die altero azymos panes.* In eumdem sensum ait Josephus *lib. 3. antiq. cap. 10.* " Nihil e convivio paschali servari licuisse in crastinam diem, hoc est decimam quintam, „ & solemnitatem azymorum festo paschatis successisse. " Quæ profecto

ostendunt, etsi juxta legem dies paschatis & solemnitas azymorum in idem punctum concurrerent, ac secum invicem sine suo altera, altera initio suo confunderentur, usus tamen fuisse pervulgati, ut a se mutuo sejungerentur, unaque celebritas altera posterior esse existimaretur. 3. Est, quod festum azymorum *paschæ* nomine soleret insigniri: Lucæ 22. 1. *Appropinquabat autem dies festus azymorum qui dicitur Pascha*. Josephus pariter *lib.* 17. *antiq. cap.* 11. " Festum, inquit, PASCHA vocatur. " *Libro* autem 18. *cap.* 3. " Dum celebraretur azymorum solemnitas quam PASCHA nuncupamus.

Si ergo cœna paschalis fiebat ante diem decimum quintum, dies autem decima quinta dicebatur *festum paschæ*, quid insolens erit, si Joannes de ultima Christi cœna loquens, asserat pro vulgari gentis more eam factam esse ante diem festum paschæ.

OBJICIES 2. Cum dixisset Christus Judæ ad finem ejusdem convivii: *Quod facis, fac citius*, Apostoli juxta Joannem cap. 13. versu 29. *Putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus, Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum .... Erat autem nox*. Ex quo 1. sic argumentantur: Cum ista pronunciavit Christus, paranda erant necessaria ad festum. Ergo festum nondum inierat; sed abhinc viginti quatuor circiter horis distabat. Porro pascha manducabatur initio diei festi. Ergo Christus pascha tunc non comedit.

NEGO consequentiam. Imo vero ex eo consequens est festum abhinc viginti quatuor horis dissitum non fuisse. Quorsum enim tanta festinatio, ut nocte quoque intempesta exiret Judas ad emenda festo necessaria, si festum viginti quatuor horis ab eo tempore, quo egressus est, distaret? An non & commodius & opportunius luce sequenti ea comparari potuissent? Si quis nocte concubia properet aliquid emere, is sine dubio opus eo habet ad primas saltem matutini temporis horas; adeoque in mente apostolorum festum erat postera die etiam matutinis horis. Ergo jam tum incœperat, cum has epulas daret Christus. Nullum enim festum fuit matutino tempore, quod ab occasu solis die præcedenti non esset inchoatum: proinde cum nocte convivium ageretur, & ex opinione apostolorum pateat festum extitisse ad auroram sequentem, inde conficitur festum etiam tunc esse celebratum, quando ita de Juda sentiebant apostoli.

INSTANT. Diebus festis quidquam emere fas non fuit, teste Maimonide *libro iomtob, cap.* 1. Atqui apostoli putabant, quod dixisset Jesus, *Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum*. Ergo.

NEGO majorem. Nulla etenim lex in Scripturis est, quæ id vetet. Imo cum *ex capite* 12. *Exodi* diebus festis præter sabbatum, liceret ea apparare quæ ad vescendum pertinent, si apparare licuit, ergo & emere, iis videlicet qui nihil essent habituri, nisi prius emissent. Si autem id fas fuit ad ordinarios vitæ usus, quanto potius ad sacros? Ter singulis annis quisque coram Domino apparere debuit, *Exodi* 23. 17. hoc est Jerusalem ad templum convenire, festis nimirum Paschatis, Pentecostes & Taberna-

bernaculorum. Nemo autem apparebat coram Domino vacuus, hoc est sine muneribus ac sacrificiis, *cap.* 34. 20. Jam vero multi erant, qui haud procul ab Jerosolymis habitantes, ipso festo die in urbem irent. Quod si nihil esset præ manibus quod offerrent, oportuit ut aliquid eadem hac die emerent : atque adeo id 1. fuit aliquid necessitatis : 2. id etiam usitati moris fuit. Ei enim rei destinatus erat peculiaris in templo locus omni genere rerum & animalium refertus, quem Rabbini *Tabernas* appellant. De quo vide Ligfootum. Hujus mentio fit *Matth.* 21. 12. Si vendere ac emere licuit in loco omnium sanctissimo; quanto ergo magis die festo? 3. Denique id etiam ratio postulat. Si enim teste Christo apud Matthæum cap. 12. 5. *Sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, & sine crimine sunt*; nihil eorum, quæ pertinent ad sacrificia obeunda, officit templi ac festorum dierum sanctimoniæ ac venerationi. Quid ergo prohibet quominus instante eo tempore, quo quisque coram Domino apparere debuit, Judas exisse creditus fuerit, ut ea emeret quæ ad diem festum erant necessaria. Potuerunt enim existimare quod Christus vellet summo mane offerre consueta sacrificia, atque ea de causa tunc Judam mitteret ad victimas coemendas. Tota porro hac nocte Hierosolymis vigilabatur. Media enim nocte templi fores aperiebantur, ut omnes eo convenirent. Nihil est ergo mirum, si tunc egredi creditus sit ad ista omnia comparanda : imo illud argumento esse possit, quod jam solemnitas incœpisset azymorum. Nulla enim alia nox media aptum emptioni tempus extiterit. Profecto adversarii ipsi statuunt festum jam fuisse inchoatum a meridie, cum cruci affixus est Christus. Atqui postquam Christus animam expiravit, Joseph ab Arimathæa mercatus est sindonem, qua Christum involveret, ut perhibet Marcus *cap.* 15. 46 piæ autem mulieres paraverunt aromata & unguenta, *Lucæ* 23. 56. Ergo quicquam emere diebus festis criminis non fuit.

Objicies 3. illud Joannis de Judæis pontificibus cum Christum adduxerunt ad Pilatum cap. 18. 28. *Et ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha*. Ergo Judæi feria sexta nondum pascha comederant.

Respondeo 1. his verbis, ut & aliis ante objectis, eos urgeri qui putant a Christo pascha esse anticipatum aut geminam paschati faciendo diem fuisse præstitutam. De solis enim Hebræis sacerdotibus Joannes mentionem facit, non de Christo. Porro alterutrum longe satius esset tenere, quam inficiari pascha tunc a Christo fuisse peractum.

Respondeo 2. *Paschæ* nomen latissimæ esse significationis, non in Scripturis modo, sed etiam in Josepho & doctoribus Hebræis recentioribus : atque ut intra sacrificia nos contineamus, eo vocabulo exprimi solere non tantum agnos paschales, sed & alias victimas pacificas, quæ per septem dies azymorum cædebantur, ac præsertim eas hostias, quas die decima quinta omnes qui apparebant coram Domino offerre tenebantur : Deut. 16. 22. *Immolabis phase Domino Deo tuo de ovibus & de bobus*.

bobus. Verſu autem 3. juxta hebraicos codices, *Non comedes cum illo fermentatum : ſeptem diebus comedes cum illo infermentata*. Priori enim verſu, ut liquet, paſcha communi ſuo nomine complectitur non tantum oves ſeu agnos, ſed etiam boves in ſacrificia pacifica, poſteriori autem non niſi de ſacrificiis poteſt intelligi, quia agnus paſchalis per ſeptem dies cum azymis non comedebatur. Eſt aliquid huic haud abſimile de paſchate ſub Joſia 2. *Paral.* 25. 7. 8. & 9. Idem autem aſtruunt, præter univerſos fere Chriſtianos interpretes, plurimi doctores Hebræi, quorum teſtimonia ac ſententias profert Ligfootum *ad hunc Joannis locum* : imo & P. Amicus olim *in harmonia evangelica lib.* 5. *ſect.* 2. *pag.* 285. affirmaverat id eſſe extra controverſiam. Etſi enim vox *paſcha* extendebatur ad omnes omnino victimas paſchales, peculiari etiam titulo deſignabat eas hoſtias, quas die decima quinta ac ſolemni azymorum quiſque mactare tenebatur. Has Hebræi vocant *Chagigas*, hoc eſt ſacrificia ad feſti lætitiam pertinentia, de quo conſule eumdem Ligfootum, illud eo loci plurimis Rabbinorum dictis confirmantem. Porro ad has omnes victimas comedendas puros eſſe Judæos oportuit : Levit. 7. 20. *Anima polluta quæ ederit de carnibus hoſtiæ pacificorum, quæ oblata eſt Domino, peribit de populis ſuis* : quod & repetitur fere *cap.* 22. 3. Nihil itaque obſtat quominus Joannis verba, quibus maxime confidunt adverſarii, de victimis his paſchalibus accipiantur. Jam tum enim inchoata erat & decima quinta dies, & ſolemnitas azymorum. Eas erant pro more & legis præſcripto immolaturi pontifices : imo nec niſi de his victimis accipi poteſt hic locus. Nam is in prætorium introitus haud ſane macula fuit : atque adeo non potuit non eſſe ex earum numero, quæ ad veſperam uſque durantes lotione ſtatim eluebantur, ut ſæpe dicitur in Levitico. Ergo ea impedimento eſſe non potuit, quominus agnus paſchalis comederetur. Comedebatur enim nocte poſt ſolis occaſum. Ergo ad agnum paſchalem non reſpiciebant Judæi ſacerdotes tunc temporis, quando in prætorium ingredi noluerunt, ſed ſpectabant potius ad alias victimas paſchales, quæ toties neceſſario antevertere debebant occaſum ſolis, quoties inſtabat ſabbatum, ut die mortis Chriſti contigit; quod Judæorum auctoritate definit *ibidem* Ligfootus.

Objicies 4. illud Joannis cap. 18. 39. *Eſt autem conſuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Paſcha. Vultis ergo dimittam vobis regem Judæorum? Clamaverunt . . . . non hunc, ſed Barrabam*. Paschæ nomine, inquiunt, intelligitur dies, qua immolabatur agnus paſchalis. Ergo ea die ipſe immolatus eſt Chriſtus, qua immolabatur agnus.

Nego antecedens. Nam contra dies, qua neceſſe erat occidi paſcha, & qua paſcha immolabant, ea erat, qua ultimam cœnam peregit Chriſtus, ut evicimus *ſupra* ex verbis evangeliorum. Quapropter neceſſe omnino eſt, ut *paſcha* vocabulo ſignificetur dies ſolemnis azymorum; quomodo apud Lucam, qui ait : *Appropinquabat autem dies feſtus azymorum, qui dicitur Paſcha*. Certe hunc ipſum diem cæteri evangeliſtæ

listæ vocant diem festum ac solemnem : Matthæus *cap.* 27. *v.* 15. Marcus *c.* 15. 6. Lucas *c.* 25. 17. Quocirca nedum hic locus nobis noceat, mirifice contra adjuvat & illustrat nostram sententiam. Inde enim patet diem fuisse solemnem ac festum azymorum, cum Christus in cruce suffixus est : atque adeo fuisse decimam quintam diem mensis. Ex quo nemo est qui non fateatur consequens esse, quod pridie ad finem diei decimæ quartæ pascha comederit. Profecto adversarii nostri post Ligfootum sentiunt hanc unius vincti dimissionem fieri solitam esse in memoriam Judæorum ex Ægypto egressionis. Atqui Scriptura diserte testatur Judæos egressos esse die decima quinta. Ergo.

Objicies 5. illud cap. 19. 14. *Erat autem parasceve paschæ, hora quasi sexta :* ex quo concludunt Christum esse cruci affixum hora sexta, a qua incipiebat præparatio agni paschalis. Ergo nondum erat pascha celebratum.

Distinguo antecedens : erat parasceve paschæ seu feria sexta paschalis; concedo: hoc est tempus præparandi agni paschalis; nego. *Parasceve* quidem præparationem sonat. At secernendus est usus istius vocis ab ejus origine. In usu enim significat totam feriam sextam; quod observare est apud Josephum *lib.* 16. *antiq. cap.* 10. ubi narrat id Judæis fuisse indictum, ut die parasceves ab hora nona judiciis non se sisterent: quod ita pervulgatum fuit, ut id non tantum apud Judæos etiamnum obtineat, sed etiam apud Christianos, imo & apud Arabes, qui ita quoque nominant feriam sextam. Sic autem nominata est feria sexta, quod sub ejus finem cibi pararentur necessarii ad sabbatum sequens, quo eos parari nefas fuit. Hæc itaque Joannis verba, *Erat autem parasceve paschæ*, nihil aliud indicant pro communi loquendi ratione, quam tunc extitisse feriam sextam paschalem seu paschæ (ut nos quoque loquimur) sic dictam quod in hebdomadam paschalem incideret. Hanc porro Joannis sententiam sic accipi posse ac debere multa sunt quæ persuadeant: 1. Est, quod Marcus eodem utens nomine, illud luce clarius interpretetur in hunc quem diximus modum : *Erat autem*, inquit, *parasceve, quod est ante sabbatum*, *προσάββατον* : Prosabbati autem vocabulo exprimi solere feriam sextam, notum est ex ecclesiasticis scriptoribus: neque aliter hanc vocem usurpavit Græcus auctor libri *Judith*, cum asserit eam jejunare consuevisse omnibus diebus vitæ suæ, exceptis sabbatis & prosabbatis. Nemo enim est, qui id de feria qualibet sexta non intelligat. 2. Est, quod *parasceves* nomen, ut hic sumitur, proprie designet tempus quoddam cibi parandi in sequentem solemnitatem, qua id fieri non liceret. At in solum sabbatum hoc competit. Cæteris enim festis id non interdicebatur, multo minus diebus aliis. Ergo decima quarta dies, ut pote profesta, non habuit proprie parasceven.

Objicies 6. Illud *cap.* 19. 31. ubi evangelista dans causam cur Judæi tantopere sepulturam Christi ac duorum cum eo cruci affixorum

accelerari cuperent, sic ait: *Erat enim magnus dies ille sabbati*. Atqui non potuit ulla alia de causa, inquiunt, sabbatum illud appellari *dies magnus sabbati*, quam quod cum illo concurreret solemnitas azymorum. Ergo decima quinta dies mensis tunc cecidit in sabbatum: proinde decima quarta in feriam sextam, qua interfectus est Christus. Ergo feria demum sexta comedi debuit agnus paschalis.

NEGO minorem. Dicitur enim is dies *magnus dies sabbati*, tum quia sabbatum illud cadebat in hebdomadam paschalem omnium maximam: tum etiam quia hoc sabbato facta fuit oblatio manipuli spicarum a quo Pentecoste inchoabatur. Hebræi etiamnum *magnum sabbatum* vocant illud quod antevertit hebdomadam paschalem. Quanto majus est quod in eam incurrit?

OBJICIES 7. Omnes antiqui Ecclesiæ doctores ad Alcuinum usque, Joannem exposuere de paschate, quod Judæi feria sexta comederint: proinde crediderunt feriam sextam fuisse legitimam paschati celebrando diem, non autem feriam quintam, qua supremam suam egit cœnam Christus.

NEGO antecedens. 1. Enim Polycrates & alii Joannis discipuli, qui secundo seculo contendebant accepta ab eo traditione pascha esse decima quarta die celebrandum, eo maxime nitebantur, quod Christus decima quarta die paschate esset perfunctus juxta evangelium. Ergo id a Joanne non didicerant, quod nempe Christus pascha non fecisset. 2. Plurimi sunt antiqui, ut mox ostendemus, qui tradunt conceptis verbis Christum mortuum esse die solemni azymorum, hoc est decima quinta mensis. Ergo feriam sextam, qua passus est, non existimarunt fuisse decimam quartam mensis diem, qua pascha comedi oporteret. 3. Plures adhuc sunt, quos paulo post enumerabimus, qui diserte tradunt Christum & decima quarta die pascha celebrasse, & decima quinta mortuum esse, & decima septima a mortuis esse excitatum. Ergo illi idem cum adversariis de feria illa sexta & Joannis evangelistæ verbis non senserunt. 4. Chrysostomus *homil.* 28. *in Joannem*, PASCHÆ nomen plane, ut nos, de victimis paschalibus, non de agno interpretatur. *Homil.* 84. *in Matth.* in Judæos invehitur, quod eadem nocte, qua pascha comedissent, eo furoris proruperint, ut de Christo capiendo & occidendo cogitaverint. Ergo existimabat Christum pridie mortis una cum Judæorum vulgo pascha celebrasse. *Homilia* quidem 85. Joannem exponit de paschali agno: sed simul ejus verba ad solos Hebræos sacerdotes restringit, quos arguit impietatis, quod præ sua in Christum amentia pascha non manducassent cum aliis Judæis ac Christo, sed contra a legitimo tempore in aliud distulissent. 5. S. Augustinus *epist.* 36. *cap.* 13. observat quinta sabbati, qua Christus postremam peregit cœnam, dictam fuisse ab evangelista *primam diem azymorum*, quia ejus vespera sequente futura erat cœna paschalis, qua cœna incipiebat azymum & ovis immolatio manducari. Ergo censuit Christum non alio

quam

quam Judæos tempore paſcha celebraſſe. Ergo falſo jactant adverſarii ſecum in explicando Joanne univerſam conſentire antiquitatem.

Objicies 8. momentum depromptum ex Pentecoſte, quod arbitrantur illi eſſe longe validiſſimum, quodque conſicitur ex variis propoſitionibus.

Prima eſt, quod poſt Chriſti mortem Spiritus ſanctus illapſus ſit in apoſtolos die Dominica. Ita enim vulgo ſentiunt Chriſtiani: ita affirmant e veteribus auctor *conſtitutionum apoſtolicarum lib.* 5. *cap.* 20. auctor *ſermonis* 154. apud S. Auguſtinum; Auguſtinus ipſe *in Pſ.* 150. & *lib.* 18. *de civitate Dei cap.* 54.; Leo denique magnus *epiſt.* 11. *cap.* 2. quod etiam ſupponere videtur concilium Tridentinum.

Secunda eſt, quod in eos illapſus ſit die ipſa Pentecoſtes. Sic enim habet Lucas Act. 2. 1. *Cum complerentur dies Pentecoſtes.*

Tertia, quod Pentecoſte illa Judaica fuerit. Verba enim Lucæ eam indicant Pentecoſten, cujus dies ſolemni more decurrerent, & jam abſolverentur. Talis autem ſola erat tunc Pentecoſte Judaica: Chriſtiana autem nondum erat in uſu: multo minus in uſu frequenti: multo minus in uſu ita omnibus noto ut Lucas Judæis ac gentibus ſcribens ſimpliciter & ſine ulla prævia monitione diceret ipſa die Pentecoſtes tantum miraculum contigiſſe. Adde quod Lucas ſemper feſta more Judaico recenſeat, *Lucæ cap.* 12. 3. 20. 6. & 16. 27. 9. nec alia Chriſtiani habuiſſe videantur ad excidium uſque Hieroſolymitanum.

Quarta, quod Pentecoſte Judaica eſſet quinquageſima dies a demeſſo & oblato ſpicarum manipulo, dieſque iſtius oblationis prima eſſet illorum quinquaginta dierum: ſicque in eamdem ſemper hebdomadæ feriam ambæ caderent. Ita quippe præcepit Moſes Levit. 23. 15. *Numerabitis ergo ab altero die ſabbati, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas uſque ad alterum diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, id eſt quinquaginta dies .... & vocabitis hunc diem celeberrimum atque ſanctiſſimum*, Deut. 16. 9. *Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die qua falcem in ſegetem miſeris, & celebrabis diem feſtum hebdomadarum Domino Deo tuo.* Et vero, inquiunt, conſulantur faſti Judaici, & ſtatim apertum & conſtans erit Pentecoſten ſemper in ſextam menſis Sivan & ſemper in eamdem hebdomadæ feriam, qua oblatio peracta eſt, incurrere. Id inſuper magno conſenſu tradunt Hebræi doctores; Maimonides *in Tamidem cap.* 7. Leo Mutinenſis *pag.* 3. *cap.* 2. & alii. Adjice uſum hodiernum, qui non malus eſt ea in re legis interpres.

Quinta eſt, quod dies præſtituta offerendo iſti ſpicarum manipulo eſſet neceſſario poſtridie feſti azymorum, ſeu azymorum ſecunda, & decima ſexta menſis, in quamcunque hebdomadæ feriam illa incideret. Id autem probant, 1. quia Scripturæ hunc ritum conſtituunt altero die ſabbati, ſeu feſti, azymorum videlicet, de quo ante mentio facta fuerat. 2. Quia Septuaginta ita vertunt: *Craſtina die poſt primam* (*azymorum*

morum) : 3. Quia Joſephus teſtatur *lib.* 3. *antiquitatum cap.* 10. id factum eſſe ſecunda azymorum die, & decima ſexta menſis.

Sexta, quod demeteretur iſte ſpicarum manipulus etiam die ſabbati, quando cum illo ſecunda azymorum concurrebat. 1. Quia nulla diei cujuſvis exceptio eſt in Scripturis antiquiſve Judæorum ſcriptoribus: quamvis iſte de ſabbato caſus non infrequens eſſe deberet. 2. Quia cum Chriſtus dicat Matth. 12. 5. *An non legiſtis in lege quia ſabbatis ſacerdotes in templo ſabbatum violant & ſine crimine ſunt?* Illud arguit die ſabbati fieri licuiſſe quidquid ad religionem pertineret.

Ex his ſic concludunt. Die Pentecoſtes Judaicæ, ac Dominica, ut loquimur, Spiritus ſanctus illapſus eſt in apoſtolos: proinde decima ſexta menſis dies, qua oblatus eſt manipulus, in Dominicam quoque ultimo vitæ Chriſti anno cecidit: adeoque decima quinta menſis dies in ſabbatum antecedens & decima quarta in feriam ſextam. Ergo feria ſexta hoc anno dies paſchalis fuit, non quinta feria.

Respondeo ab adverſariis afferri neceſſario debere demonſtrationes, ſi velint commune Chriſtianorum de ultimo Chriſti paſchate dogma convellere: demonſtrationes autem, ut notum eſt, non niſi ex certis & evidentibus propoſitionibus eſſloreſcere: tales porro non eſſe quas *ſupra* adduxerunt.

Non 1. quod ſcilicet dominica die in apoſtolos Spiritus ſanctus illapſus ſit: quia incerta ſunt, quibus ea aſtruitur, fundamenta. 1. Enim auctor *conſtitutionum apoſtolicarum*, quis fuerit incompertum eſt; recentior autem ſine dubio eſt, quam ut ejus auctoritate innitamur. 2. Idem dicendum eſt de auctore *ſermonis* 154. *de tempore*, Auguſtino perperam affictì. 3. Auguſtinus quidem aliquibus in locis quæ laudata ſunt, ſignificat Spiritum ſanctum deſcendiſſe in apoſtolos quinquageſimo die a Chriſti reſurrectione, proinde die Dominica: ſed ipſe alibi, *ad pſal.* nempe 9. & *epiſt.* 55. ait Spiritum ſanctum deſcendiſſe quinquageſimo die ab occiſione Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod vacillantis ac dubiæ ſententiæ non leve eſt indicium. Certior Auguſtino non fuit B. Chryſoſtomus: nam *oratione* 1. *in actus apoſt.* paulo poſt medium (ſi tamen genuina eſt) dicit Spiritum ſanctum deſcendiſſe in apoſtolos octava aut nona die ab aſcenſione Domini. οὐδὲ εὐθέως; ἀνελθόντος αὐτοῦ (Χριστοῦ,) παραγίνεται (πνεῦμα ἅγιον,) ἀλλὰ μετὰ ὀκτὼ ἢ ἐννέα ἡμέρας 4. Id reipſa aſſerit S. Leo; ſed ſcriptor eſt haud ita accuratus, & quinto demum ſeculo vixit. An vero unicus auctor illius ætatis firmus teſtis eſſe poſſit apoſtolicæ traditionis? Quod pertinet ad concilium Tridentinum, eo notatur vulgaris Chriſtianorum ſenſus, nihil autem definitur. Et certe veroſimile eſt, quod quidem hic animadvertunt, Pentecoſten nimirum non fuiſſe ab apoſtolis inſtitutam ea præciſe die, qua eos afflaſſet Spiritus ſanctus: ſed ad imaginem Pentecoſtes Judaicæ, quinquageſima die a Chriſtiano Paſchate. Scilicet non una eademque die ab omnibus olim Chriſtianis Paſcha celebrabatur: aliis paſcha diei Domi-

nicæ

nicæ alligantibus: aliis contra. Paschatis autem recolendi rationem Pentecoste sequebatur. Ergo non una die ab omnibus Pentecoste celebrabatur. An die duplici Spiritus sanctus in apostolos descendit?

Non 2. quod die ipsa Pentecostes Spiritus sanctus in apostolos illapsus sit. Græce enim est *in compleri dies Pentecostes*. Id vero ambiguum est & tempus exactum significare potest. Imo ita Hebræi loqui amant; cujus locutionis hebraicæ exempla reperies *Levit.* 12. *v.* 6. de puerpera; *Num.* 3, 6. de Nazaræo; & *Esther* 1. 5. Atque adeo id fieri potuit postridie Pentecostes: qua in opinione sunt Bochardus, Ligfoot & Bartholoccius. Neque leve est quod notant, divino consilio videri factum esse, ut quoniam religio Christiana succedebat Judaicæ, festa quoque Christiana Judaicis succederent. Sic, inquiunt, die decima quarta immolabatur agnus paschalis; decima autem quinta Christus agnus Dei, qui tollit peccata mundi: die decima sexta offerebantur Deo primitiæ; Christus autem, qui *primitiæ* dicitur ab Apostolo, se redivivus decima septima Deo obtulit: Sabbato Dominica successit, &c. Ergo oportuit pariter, aiunt, ut non sabbato, & die Pentecostes Judaicæ Spiritus sanctus veniret, sed postridie, ut Pentecosten Christianam die sequenti, hoc est Dominica, in perpetuum consecraret.

Non 3. quod Pentecoste a Luca memorata, sit Judaica, non Christiana. Aliter enim sentiunt Cornelius a Lapide, & Fromondus. Nam & si Pentecoste in usu nondum erat apud Christianos cum Spiritus sanctus in apostolos descendit; erat profecto in usu, cum id scriberet Lucas. Neque enim verum est, quod illi sumunt ad excidium usque Hierosolymitanum, non alia quam Judæorum festa apud Christianos fuisse usurpata. Nam teste Eusebio *lib. hist. Eccles. cap.* 22. catholici ipso Irenæi ævo dicebant esse apostolicæ traditionis eam consuetudinem, quæ pascha diei Dominicæ addixit, Socrates autem asserit *lib.* 5. *cap.* 22. Romanos, & universam Occidentis Ecclesiam eam consuetudinem ad Petrum, & Paulum, quasi illius certos auctores, referre consuevisse. Ambo porro ante excidium Hierosolymitanum obierunt. Ergo.

Non 4. quod dies oblati manipuli intra numerum quinquaginta dierum, ex quibus Pentecoste constituebatur, includi deberet. Id enim negat Pedenudus, & nihil expresse Scriptura ea de re definiit. Usus autem ac sententia Rabbinorum levis est ponderis.

Non 5. quod nomine *Sabbati*, cujus postera die offerri deberet ille manipulus, intelligendum sit, non sabbatum ordinarium, sed festum azymorum. Præterquam quod enim ipsa Mosis locutio per se in contrariam partem haud mediocriter inclinat, fuerunt olim, & etiamnum sunt apud Hebræos plurimi, qui contenderent, & contendant de ordinario sabbato legem esse omnino accipiendam. Hos vide *in Menachot*, & apud Mai-

Maimonidem *in Tamidem cap.7.* Seldenum *de anno Judæorum cap. 7.* Ligfootum *ad cap.2. Actuum Apostol.*

Non denique 6. quod die etiam sabbati demeteretur manipulus ille spicarum. Baronius enim, Bellarminus & alii non pauci volunt, quoties decima sexta mensis dies demetendo manipulo præstituta, caderet in sabbatum; toties id opus in sequentem feriam esse translatum, ne sabbati requies violaretur. Id autem contigit tempore mortis Christi. Cum enim decima quarta dies tunc in feriam quintam, & decima quinta in feriam sextam ceciderit, decima sexta in sabbatum incurrit. Demessus ergo, inquiunt, tantum fuit manipulus feria prima post sabbatum. Atqui Pentecoste quinquagesima erat dies ab ea qua falcem in segetem immisissent. Ergo eo anno Pentecoste in feriam primam, hoc est, Dominicam diem incidit. Quod autem sabbato ipso meti has spicarum primitias non oporteret, probant, 1. quia *eodem capite Exodi* 34. ubi harum oblatio præscribitur, ibi sine ullo discrimine prohibetur, ne quis sabbato arare aut metere audeat: 2. quia non desunt etiam inter Hebræos docti plurimi, qui afferant in eo casu demetendi opus in proximam feriam esse omissum: de quo Burmanus *in disputat. 2. de paschate.*

Quamobrem nulla harum propositionum satis firma est. Porro si vel una nutet, totum fatiscit ædificium. 1. Enim, ut patet, evanescit objectio, si semel dici queat Spiritum sanctum in apostolos non descendisse die Dominica. Etsi autem id necessario dicendum foret, quod sentimus, 2. corruit eadem objectio, si non descendit ipsa die Pentecostes, sed sequenti: aut non die Pentecostes Judaicæ, sed Christianæ; aut si excludenda sit dies oblationis e numero quinquaginta dierum, quæ ad Pentecosten concurrebant; aut nomine *Sabbati* ordinarium sabbatum intelligatur; aut denique si sabbato demeti non deberet manipulus, sed in sequentem feriam tunc transferretur id operis. Jam vero nobis ultima via ac ratio expediendæ difficultatis præ cæteris placet.

Objicies. 9. Si feria quinta, paschalis dies fuit, Christus die ipso solemni azymorum comprehensus, vocatus in judicium, damnatus morte, & in cruce suffixus est. Atqui judicia omnia, multo autem magis capitalia, diebus festis interdicta olim, ac semper apud Hebræos fuisse constans est & concors omnium Rabbinorum sententia. Ergo feria quinta non erat dies paschalis.

Respondeo multiplici exceptione.

Prima est. Frustra quæritur an aliquid fieri potuerit, quando constat de facto. Atqui & ex Scripturis & ex Patribus certum est Christum die festo ac solemni esse mortuum. Ex Scripturis quidem. Nam Matthæus cap.27. 15. ait tunc fuisse *diem solemnem*: Marcus cap. 15. 6. *diem festum*; ut & Lucas cap. 23. vers. 17. Ex Patribus autem Justino nimirum *Dialogo cum Tryphone pag.* 338. Tertulliano *contra Judæos,*

dæos & contra Marcionem; Cyrillo Hierosolymitano *Catech.* 13. Chrysostomo *homil.*82. *in Joannem*; Augustino *tract.* 114. *in Joan.*& aliis.

Secunda est. Id olim fieri licuit diebus festis quando præsertim de criminibus in religionem admissis agebatur. Sic qui sabbato ligna colligens forte deprehensus fuit, *Num.* 15. 32. non tantum eadem hac die captus est, sed & videtur statim & sine ulla mora lapidibus obrutus. Certe Judæi jamdudum consilium ceperant de Jesu occidendo, etiam per diem festum: atque id reipsa perpetrassent, nisi metuissent seditionem. *Dicebant enim*, inquit Matth.26. 4. *non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo*. Adde loca Thalmudis laudata a Drusio *ad cap.* 26. *Matth.* & ab ipso P. Amico *historiæ pasch. cap.*10. quibus observatur id fuisse moris apud Hebræos olim, ut hominum facinorosorum supplicia reservarentur in proximum solemne festum, quo omnes Hierosolymam conveniebant. Cum enim Moses ita pœnas a sceleratis repeti voluisset, *Deut.*17. 13. ut cunctus populus timeret; & teste Quintiliano, omnis pœna non tam ad delictum quam ad exemplum pertineat, reos morte afficiebant Hebræi diebus festis, ut plures intueri, plures metu commoveri possent.

Tertia est. Etsi id fieri non licuisset, Christum in cruce suffixerunt non Judæi, sed Romani, qui profecto ad observationem festorum Judaicorum non tenebantur.

Quarta. Diebus festis nefas saltem non erat quempiam sacrilegum capere & rapere in carcerem, cæteraque id genus minutiora exequi. Nam certum est eum qui ligna sabbato colligebat, eadem hac die conjectum esse in vincula. Joannis autem 7.32. &c. *Miserunt principes & Pharisæi ministros, ut apprehenderent Jesum .... in novissimo die magno festivitatis* Tabernaculorum. Porro hæc & similia tantum Judæi sacerdotes in Christum attentarunt, & cum de eo interficiendo actum est, rem omnem Pilato commiserunt. Ergo.

Quinta. Quamvis illud etiam vetitum generatim foret, existimare tamen illi sacerdotes potuerunt ea in occasione non tantum adversus religionem non esse, sed suæ contra esse religionis die etiam festo eum occidere, quem ut religionis suæ pestem ac perniciem spectarent, nullumque posse Deo sacrificium gratius offerri.

Sexta non mediocre fortassis discrimen posuere inter sanctimoniam ac solemnitatem noctis, qua facinus inchoarunt, & diei, qua Pilato perficiendum demandarunt. Inde enim forte est, quod summo mane Christum adduxerint ad Pilatum, *Matth.* 27. 1. & 2.

Septima est. Etiamsi consideremus isthæc singula omnino fuisse diebus festis interdicta, ridiculum, & absurdum est Christianos in eo tantopere laborare, ut excusent furorem & amentiam Judæorum, qui in necando Christo sacratissimas quasque leges violare non dubitarunt. Cur ergo has pariter non infregerint ex Thalmude & Rabbinis depromptas? Hoc eodem sane jure Rabbinico cavetur, 1. ne judicia capitalia nocte inchoaren-

rentur, *Sanhedr. cap.* 4. 2. ne eadem, qua inchoata sunt die absolvantur *ibid. cap.* 5. 3. ne pridie festi aut sabbati exerceantur, *ibid. cap.* 4. 4. ne matutinis horis feratur sententia, *Gemara ad cap. 6. Sanhedr.* 5. ne judices eadem die comedant, qua reum damnaverint. *Rambam ad Sanhedr. cap.* 14. 6. ne duo rei eodem die judicentur, *ibidem*: 7. ne quis reus ante vesperam morte afficiatur *ibid.* Atqui hæc singula observata non sunt die passionis Christi. Ergo aut nondum erant excogitata, aut violata fuerunt. Quidni idem de cæteris legibus ejusdem generis dicamus?

Objicies I. Qui venerunt nocte ad comprehendendum Christum, ii armati erant gladiis ac fustibus. *Matth.* 26. 47. 2. Apostoli, ac præsertim Petrus, Christum secuti sunt cum gladiis, *Lucæ* 22. 28. 3. Tandem Christus ipse ante vesperam hac die sepultus est. Atqui arma sumere diebus festis ac sabbatis, nefas omnino fuit, teste Josepho *in vita sua*, & mortuum sepelire, ut affirmant Rabbini. Ergo Christus die festo non est mortuus.

Respondeo ad 1. eos, qui Christum ceperunt, servos extitisse sacerdotum, atque adeo forte Gentiles, qui proinde legibus istis, si veræ sint, non obligarentur.

Ad 2. Petrum ad defensionem sui arma sumpsisse, monente magistro. Arma autem in eo casu sumi posse, Machabæorum ætate, solemni decreto definitum fuerat.

Ad 3. sepeliendi hominis naturale & religiosum officium non fuisse ex eorum servilium operum numero, quæ diebus festis interdicta essent. Tobias cap. 2. 1. *Cum esset dies festus Domini,* .... *tollens* (corpus occisi Judæi) *portavit ad domum suam occulte, ut, dum sol occubuisset, caute sepeliret eum.* Cum enim sanctus ille vir die festo cadaver in ædes suas intulerit, & abstinuerit ab eo ante occasum solis sepeliendo, non religionis ergo, sed cautionis gratia; profecto id tunc nefas esse non putabatur. Adjice Rabbinos apud Bartholoccium, & ipsum P. Amicum, qui decernunt id fuisse licitum die festo, cum sabbatum immineret, ut die passionis accidit. Quid quod, & P. Amicus contendit decimam quartam diem a meridie fuisse festam? & ea tamen paulo ante vesperam Christum fuisse sepultum negare non potest. Denique si reos afficere supplicio nefas non fuit die festo, nefas quoque non fuit sepelire. Lex enim Deut. 21. 23. præscribebat ut *non permaneret cadaver in ligno, sed in eadem die sepeliretur.* Quod & sub Josue observatum est *cap.* 8. 29. *cap.* 10. 26. & 27.

Objicies II. Pascha antequam comederetur, in templo immolari debuit sacerdotum ministerio. Atqui in historia supremæ Christi cœnæ nulla sacerdotum ac templi mentio est. Ergo tum Pascha non comedit.

Respondeo, de loco ubi pascha mactaretur non unam esse doctorum opinionem. Sunt enim non pauci, qui sentiant agnum paschalem

lem sacramentum duntaxat, non vero sacrificium extitisse, eumque intra Hierosolymam urbem, quam elegerat Dominus, comedi quidem oportuisse; cæterum ab unoquoque seorsum, & in privatis ædibus esse immolatum sine ulla sacerdotum opera. Id autem probant, 1. verbis Exodi cap. 12. 6. *Immolabitque eam universa multitudo filiorum Israel ad vesperam*. 2. Philonis Judæi auctoritate, viri eruditi, qui eo tempore floruit, quo pascha quotannis in Palæstina comedebatur. Is enim *lib. 3. de vita Mosis* sic ait, loquens de paschate, " Quo tempore „ non, ut alias, privati homines adducunt victimas ad altare mactandas a sacerdotibus, sed jubente lege tota gens sacrificat, dum „ quisque per se mactat hostiam suis manibus: " similiter *in Decalogum* " Populariter, inquit, singuli sacrificant non expectatis sacer„ dotibus, ipsi permissu legis, fungentes sacerdotio quotannis per unum „ diem huic officio destinatum. " Libro autem *de septenario* asserit unamquamque privatorum domum tunc in templum augustum ac venerabile ea de causa evadere. 3. Ratione. Tabernaculum enim a Mose constructum, imo nec templum Salomonis tantæ fuisse capacitatis ut in iis per duas horas 250000. & amplius agnorum immolari potuerint: quod Jerosolymis contigisse sub Cestio narrat Josephus.

Alii contra statuunt agnum paschalem non sacramentum duntaxat, sed etiam veri nominis fuisse sacrificium: atque adeo juxta regulam generalem debuisse eum a sacerdotibus immolari. Id vero multis astruunt momentis, 1. Petitur ex capite 2. *Exodi v. 27.* ubi de paschate sic habetur expresse, *Victima transitus Domini est*. 2. Ex capite 23. 8. quod ita ait: *Non immolabis super fermento sanguinem victimæ meæ, nec remanebit adeps solemnitatis meæ usque mane*. Id autem jam per se satis apertum, de paschate intelligit paraphrastes Chaldæus, qui non Scripturæ modo, sed & veterum Judæorum sensus hic testis est sane locupletissimus. 3. Ex capite 34. *Exodi v.* 25. quod est alterius fere geminum, sed disertius multo: *Non immolabis super fermento sanguinem hostiæ meæ, neque residebit mane de victima solemnitatis phase*. 4. Ex 2. *Paral.* 30. ubi multiplex est hujus sententiæ argumentum. *Versu* enim 1. Ezechias invitans ad phase Judæos, eos hortabatur *ut venirent ad domum Dei in Jerusalem, & facerent phase Domino*, utrumque simul conjungens. *Versu* 2. notatur omissum tunc esse pascha in mensem secundum: ratio autem hæc additur, *Non enim poterant facere in tempore suo, quia sacerdotes, qui possent sufficere, sanctificati non fuerant*. Proinde sacerdotum opera requirebatur. Versu 8. cum ad idem pascha universos Israelitas invitarent: *Venite*, inquiebant, *ad sanctuarium ejus*. Versu 16. dum illius historia describitur, *Steteruntque in ordine suo juxta dispositionem & legem Moysis hominis Dei . . . . . sacerdotes . . . . . suscipiebant effundendum sanguinem de manibus Levitarum*. 5. Est *ibidem capit.* 35. in quo Josias alloquens sacerdotes, *Sanctificati*, inquit versu 6. *immolate phase*: versu autem 11. *Et immolatum est phase, asperseruntque*

que sacerdotes manu sua sanguinem. 6. Est sub Esdra, qui *cap. 6. 20.* ita ait, *Fecerunt filii transmigrationis pascha* . . . . *Purificati enim fuerant sacerdotes & Levitæ quasi unus: omnes mundi ad immolandum pascha universis filiis transmigrationis.* 7. Depromitur ex Josepho, qui non solum asserit *libro 10. antiq. capit. 5.* pascha sub Josia esse a sacerdotibus juxta legem Moysi immolatum; sed & refert *lib. 7. de bello Judaico cap. 17.* ætate sua cum Cestius præses rescire vellet quanta esset Judæorum in Palæstina multitudo, recensereque vellet populum, rogatum eum esse a sacerdotum principibus ut paschæ tempus potius expectaret: tunc enim quando immolabant pascha, se numeraturos quot agnorum millia occisa essent: ex agnorum autem numero æstimari posse Judæorum multitudinem; eo quod deni saltem ad epulas qualque paschales convenirent: tum autem mactata esse 250000. agnorum & amplius: ex quo consequens est cæsos fuisse agnos a sacerdotibus. Unde enim agnorum numerus resciri, quæso, potuisset, si singuli eos seorsum & in suis domibus immolassent? 8. Est ex consensu omnium Rabbinorum, qui tradunt a sacerdotibus pascha immolari oportuisse, quæ quidem totius gentis unanimis sententia non mediocris esse debet in re hujusmodi ponderis. 9. Ex ratione. Agnus enim paschalis, ut ex evangelio constat, non adumbrabat tantummodo Eucharistiæ sacramentum, sed & passionis sacrificium. Ergo utrumque simul erat, sacramentum videlicet & veri nominis sacrificium.

Quod autem pertinet ad ea, quæ contra adducta sunt argumenta, reponunt hi, 1. *Exodi* legem sancitam esse, antequam sacerdotium Aaronicum institueretur: proinde mirum non esse si a singulis patribus-familias primum pascha pro solemni tunc more aliorum sacrificiorum mactatum fuerit. 2. Philonem fuisse Alexandrinum: proinde cum procul distaret a Judæa, illum ex ista lege Exodi & ex pervulgato apud suos umbratilis paschatis per singulos annos propriis in ædibus immolandi consuetudine deceptum, affirmasse sacerdotum ministerium ad id necessarium non fuisse. 3. Tabernaculum ac templum sufficientis omnino fuisse amplitudinis ad istud officium, eo quod singuli Levitæ pro toto illo tempore paschali ad templum accederent, & extra templum hostias jugularent, adeo ut sanguinem tantum earum sacerdotibus offerrent ab iis coram altari effundendum. Cum autem innumeri Levitæ essent, intra paucas horas id absolvi nullo negotio potuisse. Verum ista pluribus in locis accuratius exequitur P. Amicus, quem adeat qui voluerit. Quidquid sit, nostra non interest. Si enim pascha ab unoquoque immolari domi debuit, jam nullus est nodus: si autem sacerdotibus, dubitandum minime est quin id peregerint apostoli, cum statim a meridie venerunt in urbem pascha pro more paraturi: satis enim erat, si unus aliorum nomine se coram templo sisteret, ut tradit post Rabbinos Ligfoot.

Objicies 12. Judæi menses suos ordiebantur a primo conspectu lunæ. Atqui juxta eam mensium ordiendorum rationem, decima quarta men-

mensis Nisan in feriam sextam incidit. Ergo feria sexta dies paschalis fuit. Ergo feria quinta Christus comedere pascha nec potuit nec debuit.

RESPONDEO varias esse eruditorum de ordiendorum apud Hebræos mensium modo sententias.

Plurimi arbitrantur eos in veteri Judæorum republica a prima lunæ cum sole conjunctione inchoari consuevisse, quod multis putant firmari posse & rationibus & scriptorum antiquorum testimoniis.

Quidam contra volunt eos inchoatos esse a primo duntaxat lunæ in terris conspectu, quo tendunt nonnulla veterum dicta, quibus doctores Thalmudici *in Misna*, ac plerique Rabbini suffragantur.

Rursum qui menses a primo lunæ conspectu ductos olim esse autumant, in duas partes scinduntur. Sunt enim qui sentiant lunam e summis montium jugis observatam fuisse antequam Neomenia indiceretur: adeo ut incerta ea omnino esset, id Rabbinis affirmantibus. Alii autem censent hujus etiam generis Neomenias ad certam, & statam cyclorum ac tabularum astronomicarum rationem exigi consuevisse: quod ex Josepho, Anatolio, Epiphanio, ac Judæorum consensione cum Quartodecimanis (qui cyclis certo utebantur) evincere se existimant.

Cum autem e tribus his opinionibus secunda somniis Rabbinorum duntaxat innitatur, & multis insuper implicetur, maxime probabiles judicamus primam ac tertiam. Utraque autem facilem expediendi nodi viam suppeditat.

1. Enim si menses ordiri mos fuit a lunæ cum sole conjunctione, nemo dubitat quin decima quarta in feriam quintam inciderit hoc anno. Atque ita nulla amplius supererit difficultas.

2. Si non a primo lunæ conspectu, sed per tabulas ac cyclos fixo & stato, eos duci consuetudinis fuit, nihil est quominus decima quarta quoque dies in eamdem feriam incurrerit. Non enim cycli sunt ita exacti, nec ita accuratæ tabulæ populares ut nunquam deficiant: quanto magis illo ævo antiquiori? Quocirca quamvis juxta eam rationem decima quarta dies in feriam sextam debuisset incidere, nihil sane obstat quominus juxta communem usum, die una integra anteverterit. An non epactæ nostræ populares sæpe sæpius aliquot diebus distant a vero? Itaque ne ex ea quidem parte ullum est negotium.

De hoc fusius disputantes vide, si vacat, hinc P. Amicum, illinc Tillemontium, Pezronium, & nuperum e Benedictinis scriptorem *de Paschate*, præter alios recentiores, qui in veterem Judæorum annum inquisierunt.

OBJICIES 13. Plurimi sunt e vetustioribus Ecclesiæ doctoribus, qui pascha a Christo pridie mortis suæ non esse comesum olim docuerint; Apollinaris nempe Hierapolitanus, Clemens Alexandrinus, Hippolytus Portuensis, Petrus Alexandrinus martyr, quorum excerpta nobis exhibet auctor

auctor *Chronici Paschalis*, *in præfatione*. Ergo ea sententia non pugnat cum universis Ecclesiæ Patribus.

Respondeo hæc excerpta non esse eorum, quorum nomina præ se ferunt: quod multis probatur.

Primo enim nullus est inter veteres, qui ex iis aliquid simile referat, nedum extet certum opus in quo illud profiteatur.

Secundo Author *Chronici Paschalis*, apud quem unum ista visuntur, auctor est recens, & sublestæ admodum fidei. Vixit ille septimo ad summum seculo: qua quidem ætate veteribus Patribus libros adulterinos supponere religioni non erat. Est idem ille anonymus ac ignobilis scriptor: innumeris scatet erroribus: insuper autem in ea opinione versabatur, quod Christus pascha ultimo vitæ suæ anno non celebraverit. Itaque mirum non fit, si aut dolo malo ipse ea cuderit in favorem anticipatæ opinionis, aut ab aliis cusa improvidus, & imprudens asciverit.

Tertio si tot insignes doctores primis seculis in eam abiissent opinionem, quo prodigio tam concors, tam constans cæterorum omnium (quorum certa saltem opera supersunt) in contrariam partem sententia deprehenditur? An a Patribus tam dure ii excepti essent, qui Christi ultimum pascha negarent? An, quod nos defendimus, dogma, universæ Ecclesiæ doctrina dici potuisset?

Quarto ipsa ratio disputandi satis arguit commentitia esse hæc argumenta. Quartodecimani enim, quos illi auctores impetunt, duobus variis temporibus in Ecclesia turbas excitarunt; ante concilium nempe Nicænum, & seculo septimo. Utraque ætate eodem plane modo illi arguebant adversus catholicos. Cum enim Christus decima quarta die pascha celebrasset, ex hoc principio consequens esse contendebant, quod Christiani eamdem observarent diem. At contra catholici diversa pro variis temporibus rem explicandi ratione usi sunt. Prioribus enim Ecclesiæ seculis admittebatur principium, negabatur autem consequens. Septimo autem utrumque a Græcis rejiciebatur. Cum igitur auctores falso in illo *chronico* laudati, hanc posteriorem viam usurpent ac sequantur, illud argumento est, eos non ad priora Ecclesiæ secula, sed ad septimum circiter pertinere, ita ut omnia sua ementiantur.

Quinto denique excerpta ipsa insignes per se præbent suppositionis notas.

Petrus enim Alexandrinus episcopus & martyr nullus alius ante octavum seculum fuit præter eum, qui anno 310. illustre martyrium fecit. Non ergo potuit laudare Athanasium, quasi totius Ecclesiæ lumen, qui longe postmodum floruit: nec auctoritatem afferre concilii Nicæni, quod anno 325. demum habitum est. Atqui utrumque præstat *in præfatione Chronici paschalis*. Ergo non sine evidenti & absurda confusione temporum is ei locus attribui potest.

Indignum quoque est Hippolyto Portuensi, quod ei ascribitur. Ab eo

eo enim inducitur in evangeliis Christus pridie mortis suæ sic diserte aiens, *Non manducabo adhuc pascha*, quod nuspiam est. An vero pius ille & eruditissimus Pater Christo & evangelistis potuit affingere, quæ nec ille dixisset, nec scripsissent isti? Aut ejusmodi mendaciis opinionem suam munire voluisset?

Luculentius adhuc revincitur quod Clementis Alexandrini esse fertur. In eo quippe ut Joannis verba profert, quæ nunquam ejus fuerunt, asseritque in ejus evangelio ita legi conceptis verbis: *Decima quarta die ..... passus est.* (Dominus) *ipso mane ad palatium adducto*; videant docti, an tam crassa ignorantia, aut tam impudens ac sacrilegum mendacium Clementem Alexandrinum sapiat?

Nec desunt in testimonio Apollinaris Hierapolitani, quæ illud convincant falsitatis. Ibi enim sanctus ille vir, nostram, hoc est constantem ac communem universæ Ecclesiæ sententiam traducit, quasi esset quorumdam duntaxat ignobilium opinio; quasi ab indoctis & ignaris hominibus inventa; quasi ea denique multas in Ecclesia contentiones fecisset. Ea autem singula & a modestia tanti viri & a veritate sine dubio procul aliena sunt.

Quocirca immerito tot insignibus Ecclesiæ doctoribus hæc excerpta tribuuntur.

Objicies 14. Agnus paschalis decima die parari debuit, *Exodi* 12. & stando comedi. Atqui neutrum præstitit Christus. Ergo.

Respondeo quosdam esse ritus, qui omni ætate in paschate celebrando usurpati fuerint, alios qui in prima duntaxat, alios tandem esse qui paschati vulgo attribuuntur, nec usitati tamen unquam esse leguntur.

Agni paschalis a decima die præparatio ad solam Ægyptum pertinuit, id Rabbinis, Maimonide præsertim *in Corban Pesach* affirmantibus. De quo vide Bochartum & Ligfootum. Epiphanius tamen *hæresi* 70. videtur innuere id semper & omni ævo juxta legem factitari debuisse.

Id ipsum statue de accingendis renibus, ac baculo præ manibus tenendo: quod semel duntaxat est usurpatum: quanquam Chrysostomus id solemnis moris ac perpetui fuisse sentire videtur: de quo Bochartus idem. Quamobrem imperite admodum in eo vim facit Antonius de Dominis, ut ostendat Christum ultimo vitæ anno pascha non celebrasse. Qua ratione de eo disputarent vulgo theologi e schola, consule Cajetanum & Salmeronem *tomo 9. tract.* 3.

Idem de lege a Mose lata, ne quis post pascha e domo efferret pedem usque mane *Exodi* 12. Statim enim a Paschate abiit Christus in montem Oliveti.

Jam vero an inter comedendum agnum paschalem Judæi starent, haud levis est controversia. Philo enim *in libro de sacrificio Cain & Abel*, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, & alii fere recen-

 tio-

tiores existimant id & primitus & omni deinceps ævo esse factitatum. Neque alia fere ratione innituntur Græculi antiquiores, Antonius de Dominis, ac reliquum adversariorum vulgus, ut ostendant Christum non esse paschate perfunctum in suprema cœna, ad quam eum accubuisse tradunt evangelistæ. Torniellus contra *in annalibus* putat ne in Ægypto quidem Hebræos stetisse, dum primum pascha comederent. Maimonides autem *in libro de Azymo*, & alii Hebræi doctores sciscunt non tantum id fieri non debuisse, sed & id fieri non potuisse: necessum enim omnino fuisse, ut in paschali cœna accumberent. Hoc autem longe probabilius esse censeo. Nulla enim lex est ea de re lata a Mose: nullum est in Scripturis ejus consuetudinis vestigium. Christus contra accubuisse dicitur. Cum ergo Rabbini id quoque necessitatis fuisse statuant, non est cur id aut semper aut unquam factum esse opinemur.

Objicies 15. Justinus martyr *in dialogo cum Tryphone*, & alii e vetustis Patribus testantur Christum & captum & cruci affixum esse in pascha seu die paschæ.

Respondeo *paschæ* nomine, ut ex Luca & Josepho *supra* ostendimus, intelligi solemnitatem azymorum, hoc est decimam quintam mensis: proinde nihilo secius die præcedenti, hoc est decima quarta, juxta legem Christum comedere pascha potuisse.

Objicies 16. Irenæus *lib. 4. adversus hæreses cap. 23.* affirmat quod Moses, cum pascha nominaret & juberet illud immolari *in loco, quem „ elegisset Dominus*, vespera ad solis occasum, “ Descripsit & diem & „ locum, & extremitatem temporum, & signum (occasus) solis, qui- „ bus passus est Dominus, adimplens pascha.

Tertullianus pariter *contra Judæos cap.* 8. notat Christum occisum es- „ se, “ Die prima azymorum, quo agnum ut occiderent ad vesperam, „ a Moyse fuerat præceptum, ... ut adimpleri possent omnia, quæ „ de eo fuerant scripta. *Cap.* 10. “ Hoc, inquit, & Moses initio pri- „ mi mensis novorum facturos vos prophetavit, cum omne vulgus fi- „ liorum Israel ad vesperam agnum esset immolaturum: .... & adje- „ cit pascha esse Domini, id est passionem Christi. Quod ita quoque „ adimpletum est, ut prima die azymorum interficeretis Christum: & „ ut prophetiæ adimplerentur, properavit dies vesperam facere, id est „ tenebras officere: .... atque ita (juxta Amos) dies festos vestros „ convertit Deus in luctum. “ *Libro* autem 4. *contra Marcionem cap.* 40. „ Scit & quando oporteret pati eum, cujus passionem lex præfigurat: „ nam e tot festis Judæorum paschatis diem elegit. In hoc enim sa- „ cramentum pronunciarat Moses: Pascha est Domini.

S. Augustinus *tract.* 50. *in Joan.* enarrans illud evangelii: *Ascenderunt ergo multi Jerosolymam de regione ante Pascha, ut sanctificarent se ipsos:* „ Hoc faciebant Judæi, ait, secundum præceptum Domini, ... ut „ die festo, quo pascha erat, omnes undique convenirent, & illius diei

cele-

„ celebratione sanctificarentur. Sed illa celebratio umbra erat futuri . . „ . . prophetia (Christi) pro nobis illo die passuri . . . . Quid enim „ opus erat, ut illis Dominus præciperet, per ipsum festum diem ovem „ occidere? nisi quia ille erat de quo prophetatum est, sicut ovis ad „ immolandum ductus est. " *Paulo* autem *supra*: " Illum diem festum „ Judæi cruentum habere Domini sanguine voluerunt. Illo die festo „ occisus est agnus. Ille, qui de cœlo venerat pati, propinquare vo- „ luit loco passionis, quia imminebat hora passionis. " Ergo Christus passus est ea die & hora qua immolabatur agnus paschalis. Ergo decima quarta mensis. Ergo agnum paschalem non comedit.

Respondeo 1. hanc de mortuo Christo decima quarta mensis sententiam cum nostra posse consistere, cum dicamus Christum pridie mortis suæ pascha celebrasse, v. g. si putetur Christus antevertisse legitimum tempus paschatis, aut gemina dies existimetur fuisse paschati præstituta. Hæc autem satius esset de sanctis Patribus opinari, quam quod negaverint Christum paschate esse perfunctum: præsertim cum Tertullianus diserte, longe autem disertius Augustinus, tradiderint Christum reipsa pascha tunc manducasse; ille *libro* 4. *contra Marcionem cap.* 40. hic *epist.* 36. *cap.* 13. ubi historiam ultimæ Christi cœnæ ac passionis enucleat, advertens quintam sabbati, qua paulo post meridiem accesserunt discipuli ad Jesum " Dictam fuisse diem primam azymorum, „ quia ejus vespera sequente futura erat cœna paschalis, qua cœna inci- „ piebat azymum & ovis immolatio manducari: vespera Dominum pa- „ scha cum discipulis manducasse: eum traditum esse ea nocte, quæ jam „ ad sextam sabbati . . . . pertinebat: . . . . . hanc (vero) diem (sex- „ tam sabbati) primam azymorum fuisse a vespera incipientem : . . . . . „ istum diem passionis ejus manifestum esse. " Quapropter ista in speciem contraria, reipsa tamen non pugnant, & juxta Patrum sententiam simul stare queunt, quod die paschæ, die prima azymorum mortuus sit Christus, cum agni paschales immolarentur, & quod tamen pridie Christus pascha celebrasset.

2. Patres illos, ac præcipue Tertullianum ac Augustinum, in eo nobis patrocinari, officere autem adversariis, quod scribunt Christum passum esse die solemni azymorum, hoc est decima quinta mensis: quo uno tota adversariorum opinio convellitur.

3. Priscos illos doctores iis in locis, ubi pingui minerva rem edisserunt, id tantum sibi propositum habuisse, ut ostenderent Christum esse interfectum die paschæ, quam innuunt *pascha Domini* esse appellatam, quia futura erat dies passionis Christi; alludentes ad verbum grecum πάσχειν, a quo nonnulli olim *paschæ* vocem esse derivatam crediderunt; definire autem eos noluisse ibi, an decima quarta, an decima quinta dies illa Paschæ esset, quia *dies paschæ* reipsa dicebatur.

4. Cum ajunt Christum mortuum esse ea hora qua immolabatur agnus paschalis, præ oculis tantum habuisse horam nonam qua Christus animam

F 2 expi-

expiravit, & mactari agnus consueverat; non vero ad eamdem præcise diem spectasse. Nempe agnus paschalis, & quatenus immolabatur, & quatenus comedebatur, imago erat Christi & in sacramento comedendi, & in cruce immolandi. Figuram hanc ex utraque parte juxta sanctos Patres expressit Christus: sed ad sacramentum eamdem elegit diem, qua comedi agnum oporteret; ad crucem vero eamdem horam qua mactabatur, sed die sequenti: quia nimirum fieri non poterat, ut una eadem dies exhiberet nobis Christum & hora tertia crucifixum, & post occasum deinde solis se dantem in cibum apostolis omnibus.

Uno verbo, cum diem paschæ & horam immolandi agni fuisse volunt prophetiam Christi passuri, non ad diem præcise ipsum, nec ad ipsam horam attenderunt; sed in Scripturæ potius similitudine, ac *paschatis* nomine vim fecerunt. *Paschæ* autem vox ex æquo & diei paschali, & azymorum solemnitati convenit.

Quod si *ibidem* per transennam adjicere videntur per diem festum, quo Christus occisus est, agnos paschales immolari consuevisse; aut nullus est error, aut levis est duntaxat incogitantia condonanda iis, qui quæstionem istam ex professo non pertractabant; longe tolerabilior, quam si essent opinati Christum pridie mortis suæ pascha non celebrasse.

Cæterum diligenter cave in dijudicandis Patrum sententiis, ne ea, quæ ex eorum dictis eruuntur solummodo per consequentiam, anteponas unquam expressioribus alibi testimoniis, ubi rem accuratius expenderunt ac definierunt. Quædam enim ipsis aliquando excidunt humanitus, quorum consectaria non viderunt.

SECTIO V.

An Christus in Paschate celebrando legis præscriptum servaverit.

ASSERTIO.

CHRISTUS in celebrando paschate legitimum tempus non anticipavit.

Est assertio contra quosdam Græculos qui id excogitarunt, non tam ut exponerent evangelistas, quam ut vim argumenti elevarent Ecclesiæ Latinæ azymorum usum in Eucharistia conficienda ex facto Christi in ea instituenda confirmantis.

PROBATUR 1. ex Scripturis. Christus legitimo tempore pascha celebravit, si eo sit perfunctus decima quarta die exeunte. Atqui id præstitit Christus. Nam ex evangeliis apostoli ad pascha præparandum Christum adierunt, 1. ante vesperam seu occasum solis: 2. prima die azymorum: 3. die qua necesse erat occidi pascha: 4. die quando pascha Judæi immolabant: 5. ante diem festum paschæ seu solemnita-

tem

tem azymorum, qua est in cruce suffixus. Atqui hujusmodi characteres, ut patet, in solam quadrant decimam quartam desinentem. Ergo.

Probatur 2. ex sanctis Patribus, qui aut aiunt expresse Christum manducasse pascha decima quarta die, & decima quinta passum esse, & decima septima resurrexisse, aut simpliciter eum die solemni azymorum esse mortuum, hoc est decima quinta mensis. Primum asserunt Polycrates Ephesius cum omnibus Quartodecimanis, Ecclesia catholica non repugnante, apud Eusebium *supra* & auctorem *chronici paschalis*; vetustus auctor *de paschate* apud Cyprianum, Eusebius *ad calcem chronici paschalis*, Theophilus Alexandrinus *in epist. ad Theodosium imperatorem*, Ambrosius *epist. ad episcopos Æmiliæ*, & Theodoretus *quæst.* 24. *in Exodum*: alterum decernunt obscurius Justinus & Irenæus; clarissime autem Tertullianus *supra*; Cyrillus Hierosolymitanus *catech.* 13. Chrysostomus *homil.* 82. *in Joan.* & Augustinus *tract.* 50. & 114. *in eumdem evangelistam*.

Probatur 4. variis rationibus. 1. Est: Christus non venerat legem solvere, sed adimplere, *Matth.* 5. 17. 2. Tempore ipso paschatis apparandi commonefacti apostoli ad Christum accesserunt. 3. Christus extra præscriptum tempus paschate defungens, & suis scandalo fuisset, & Judæ proditori aliisque inimicis præbuisset plausibilem ansam, nec necessariam, ut criminarentur eum ac damnarent. 4. Secundum Judæos doctores pascha immolari debuit, 1. nomine paschatis expresso ac sacerdotibus declarato ex Maimonide *de sacris temeratis cap.* 15. & *de ratione sacrificandi cap.* 18. 2. in templo, idque ab iisdem sacerdotibus; 3. hora imperata quæ sine crimine ac pœna violari non poterat, eodem teste. Ergo nec illud tulissent pontifices, nec Christus tentasset, nec apostoli perficere potuissent.

SECTIO VI.

An Christus una cum Judæis Pascha celebraverit.

ASSERTIO.

Christus eadem die, qua cæteri omnes Judæi pascha comedit.

Probatur 1. Christus pascha manducavit ea die qua non tantum necesse erat occidi pascha, sed etiam qua Hebræi pascha immolabant revera. Ergo.

2. Si Christus eadem die, qua cæteri Judæi pascha non celebravit, id factum est, vel quia Christus legem servavit, Judæi vero tunc pascha secundum consuetudinem in feriam sextam distulerunt, ut placuit Paulo Burgensi; vel quia ad primum pascha ineunte decima quarta celebratum

sese accomodavit, illi autem juxta morem jam inveteratum illud decima quarta desinente celebrarunt, ut finxit Ferrandus; aut quia denique duplex erat mensis initium, duplexque dies paschati præstituta, ut Bucherius existimavit. Atqui ista omnia multis *supra* explosimus.

QUÆSTIO SECUNDA.

De essentia venerabilis Eucharistiæ sacramenti.

OMNEM Eucharistiæ essentiam breviter exponit synodus Tridentina *sess.* 13. *cap.* 1. his verbis : " Docet sancta synodus & aperte ac „ simpliciter profitetur in almo sanctæ Eucharistiæ sacramento, post pa„nis & vini consecrationem, Dominum nostrum Jesum Christum, ve„rum Deum atque hominem, vere, realiter, ac substantialiter sub spe„cie illarum rerum sensibilium contineri.

Hanc autem suam & universæ Ecclesiæ de Eucharistia fidem enucleatius declarat & sancit adversus hæreticos hujus ætatis *can.* 1. & 2.

Primus Calvinianis oppositus sic habet : " Si quis negaverit in san„ctissimo Eucharistiæ sacramento contineri vere, realiter, substantiali„ter, corpus & sanguinem una cum anima & divinitate Domini no„stri Jesu Christi, ac proinde totum Christum : sed dixerit tantum„modo esse in eo, ut in signo aut figura aut virtute, anathema sit.

Secundus canon concipitur in hunc modum : " Siquis negaverit mi„rabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in „corpus, & vini in sanguinem, manentibus tantum speciebus panis & „vini : quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime TRANS„SUBSTANTIATIONEM appellat, anathema sit.

Quapropter tria sunt hic controversiæ capita : Primum de vera, reali ac substantiali corporis Christi in Eucharistiæ sacramento præsentia : Secundum de panis in corpus Christi & vini in ejus sanguinem mutatione, quam *transubstantiationem* appellamus : Tertium de speciebus externis ac sensibilibus panis & vini post consecrationem manentibus. 1. spectabit potissimum ad Calvinianos : 2. ad Lutheranos : 3. ad scholæ quæstiones pertinet.

A R-

ARTICULUS I.

De vera, reali, ac substantiali corporis ac sanguinis Christi præsentia in Eucharistiæ sacramento.

UT in hac maximi præ cæteris momenti controversia certo ordine procedamus, tria præstabimus. Ac 1. quidem exponemus errores quibus catholica fides impugnata fuisse perhibetur. 2. Ecclesiæ dogma stabiliemus. 3. Iis, quæ ab hæreticis opponuntur, momentis respondere conabimur.

SECTIO I.

De erroribus quibus catholica de Eucharistiæ sacramento fides impetita esse memoratur.

CUM inter omnia sacramenta venerandum Eucharistiæ mysterium eximiæ sit cum dignitatis tum efficaciæ, mirum esse profecto non debet quod longe plurimos adversus illud hostes invidus dæmon excitare non destiterit. Et vero nullum ab Ecclesiæ exordio seculum fluxit, quo Eucharistia suos non habuerit adversarios. Hos autem errores recensere ad clariorem veritatis postmodum a nobis astruendæ intelligentiam, superfluum fore non duximus: quin etiam eos ipsos errores, qui dubii sunt, aut forte nonnullis perperam affićti, expendere hic decrevimus, ut sublatis, quæ nostram de re ipsa dissertationem impedire & intricare possent, difficultatibus, facilior exinde ac nitidior disputatio fiat.

De erroribus primi ac secundi seculi circa Eucharistiæ sacramentum.

PARTAM humano generi a Christo Deo simul & homine salutem apostoli vix annunciare cœperunt, cum in eum, qui una spes nostra est, ex inferis surrexerunt duo hæreticorum sibi plane oppositorum genera, quorum alii ipsi Christo naturam divinam, alii humanam eripere tentaverunt: qui autem humanam naturam ei abjudicabant, ii sunt appellati *Docetæ*, seu *Phantasiastæ*; quod ipsum non verum hominem, sed merum hominis simulacrum fuisse opinarentur. Fœda omnino & ex variis spurcissimorum hominum secum invicem alias non consentientium sectis conflata colluvies, qui Simonem magum velut principem consectati, non modo Ecclesiæ faciem per ea tempora deformarunt, sed & ejus viscera crudeliter dilaniarunt.

Hi porro omnes circa Eucharistiam errabant. Inficiabantur nempe

eam verum esse Christi corpus ac sanguinem : nec mirum. Cum enim duos Deos, aut duo saltem rerum principia, alterum boni, alterum mali agnoscere, & a malo principio carnem manare, proinde malam ipsam esse, eaque de causa in Christo boni Dei filium admitti non posse arbitrarentur, sicque totum Verbi divini incarnationis mysterium e medio tollerent, ex eo certe consequens fuit ut sacrosanctam Eucharistiam incarnationis appendicem ac complementum, cui Christi corpus ac sanguis inesse creduntur, abjicere ac respuere coacti fuerint, & aliam si quam habere vellent, illius loco substituere, quod reipsa plerique fecisse referuntur; imprimis autem, qui peculiari nomine dicti sunt Simoniani, Gnostici, Phibionitæ, Adamitæ, Valentiniani, Marcosii, Archontici, & Ascodrutæ. Itaque de Docetis universe loquens Ignatius Martyr *in epist. ad Smyrnæos num.* 7. " Ab Eucharistia, in„ quit, & oratione (seu oblationibus) abstinent, eo quod non confi„ teantur Eucharistiam carnem esse Servatoris nostri Jesu Christi, quæ „ pro peccatis passa est, quam Pater sua benignitate suscitavit. " Quem locum ut insignem laudat Theodoretus *Dial.* 3. *contra Eutychianos.*

Archontici *apud Epiphanium hæresi* 40. *num.* 2. " Mysteriorum com„ munionem ac bonitatem, inquit, repudiant tanquam alienam, & in „ nomine Sabaoth (unius ex mali principibus) reparatam. " Theodo„ retus *lib.* 1. *hæreticarum fabularum cap.* 11. Lavacrum execrantur, in„ quit, & mysteriorum participationem, ut pote quæ fiat in nomine „ Sabaoth. Hunc enim dicunt in septimo cœlo tyrannidem exercere : „ Diabolum vero filium esse Sabaoth. " Hoc ipsum iisdem verbis narrat Nicætas *lib. Thesauri cap.* 13.

Imo eo progressi sunt Marcosii quidam, ut non solum Eucharistiam, sed etiam baptismum, uno verbo omnia sacramenta exploderent. " Di„ cunt enim, inquit Irenæus *lib.* 1. *cap.* 20. non oportere inenarrabi„ lis & invisibilis virtutis mysterium per visibiles & corruptibiles crea„ turas perfici; & ea quæ mente concipi non possunt, & incorporalia „ & insensibilia per sensibilia & corporalia. " Quod Ascodrutis, vel Ascodrupitis, qui ex eodem Marcosiorum grege erant, speciatim attribuit Theodoretus *lib.* 1. *hæret, fabul. cap.* 10. & post eum Nicætas *lib.* 4. *Thesauri cap.* 7. baptismi simul & Eucharistiæ mentionem faciens. Idem iis ascribit sub *Tascodrugorum* nomine Timotheus Constantinopolitanus apud Combefisium *auctuarii Patrum tomo* 2. & 3. *monimentorum Ecclesiæ Græcæ Cotelerii*.

Quandoquidem igitur Docetæ nostra Eucharistia abstinebant, necesse omnino fuit, si quam habere vellent, aliam nostræ loco sufficerent : quod & usurpasse plurimi perhibentur. Sed infandam prorsus, ingenioque suo ac moribus dignam Eucharistiam ac communionem commenti sunt; de qua non tantum dicere, sed & cogitare horret animus. Qui ad has sordes tractandas adactus fuerit, consulat veteres, qui de iis hæreticis scripserunt.

Simo-

Simonianorum execranda myfteria exponit Epiphanius *hæreſi*. 21. *nu*. 4. & poft eum Nicætas *lib*. 4. *theſ. cap*. 1.

Gnofticorum, idem Epiphanius *hæreſi* 26. *num*. 5. & 8. ubi etiam notat ea apud ipfos appellata fuiffe *corporis Chriſti myſteria*, & indiculus Hieronymi *cap*. 6. Auguftinus *hæreſi* 6. ut Philaftrium & Theodoretum prætermittamus.

Phibionitarum, idem Epiphanius *ibid. hæreſi* 26. *num*. 1. & 11.

Adamitarum feu Prodicianorum Clemens Alexandrinus *lib*. 3. *ſtrom*. Theodoretus *lib*. 1. *hæret. fab. cap*. 6. & Nicæta *ſupra cap*. 10.

Archonticorum, Auguftinus *hæreſi* 20.

Sed Valentiniani fpiritalem duntaxat communionem admittebant: ut notat Clemens Alexandrinus *ibid. lib*. 3. *ſtrom*. contra quam alii, qui non nifi turpibus & fœdis delectabantur.

Atque hæc veterum Docetarum in veræ Euchariftiæ locum adhibita myfteria, cum fæva fimul effent & obfcœna, locum dederunt innumerabilibus, quæ ubique hinc paffim apud paganos fpargebantur de Chriftianis, quafi nimirum facris in fedibus Thyeftæas epulas celebrarent, & pecudum ac ferarum ritu promifcue in concubitus ruerent, calumniis, quas antiqui fidei noftræ vindices refellunt; imprimis autem Juftinus martyr, Tertullianus, & Minutius Felix. Hunc enim hujufmodi calumniarum fontem admonet Origenes *lib*. 2. *in Celſum* & *lib*. 2. *in epiſt. ad Rom*. Eufebius *lib*. 4. *hiſt. cap*. 7. Epiphanius *hæreſi* 26. *ſupra*, & ex iis Baronius *in annalibus ad an*. 120.

Fatendum tamen eft hæc nefanda myfteria apud omnes Docetas non obtinuiffe; imo quamvis pro fua de incarnatione Verbi doctrina negare cogerentur in Euchariftia effe poffe corpus & fanguinem Chrifti, omnes tamen a facris Euchariftiæ noftræ fymbolis non ita abhorrebant. Sic Ophitæ panem adhibebant & Marcion: fed hic vinum averfatus, aqua fola utebatur; illi autem panes oblatos ferpentis allapfu confecrabant. Marcus denique Ecclefiæ calices imitabatur, fed vinum album apponebat, illudque magicis artibus ac verbis in colorem rubrum aut purpureum convertebat, ut fanguis in calices ftillaffe videretur. De Ophitis Epiphanius *hæreſi* 37. *cap*. 5. Auguftinus *hæreſi* 17. Theodoretus & alii plures: de Marcione Tertullianus *lib*. 1. *contra Marcionem cap*. 14. de Marco Irenæus *lib*. 1. *cap*. 9. de Marcofiis ejufque difcipulis Epiphanius *hæreſi* 34. *initio*.

Quare Dallæum miror in peculiari adverfus Dionyfii Areopagitæ ac Ignatii martyris fcripta opere *cap*. 22. & Larroquanum *hiſt. Euchariſticæ parte* 1. *cap*. 3. qui epiftolas, quas Ignatio tota attribuit antiquitas, fanctiffimo martyri abjudicare non verentur, duplici hoc inter alia nomine: 1. quod folus is auctor referat prifcos Docetas Euchariftia abftinuiffe, quia putabant eam non effe carnem Chrifti: 2. quod Marcion, licet ex eadem Docetarum fecta, ea uteretur. Hæc enim levia funt & viris eruditis indigna momenta. 1. Enim quod Ignatius fit unicus

cus hujus rei testis falsum est, ut constat ex dictis. 2. Si solus foret, quid inde? Quot enim sunt per id ævi, quæ ab uno duntaxat scriptore narrantur? 3. Quod epistolarum illarum auctor asserit, id non modo per sese credibile est, sed etiam ex Docetarum dogmate necessaria & legitima consecutione fluit. 4. Denique in hæreticis, præsertim illius ætatis, concordiam quis requirat? Certe quæ mox memoravimus, aperte demonstrant eos in hoc ipso de Eucharistia capite mirum in modum fuisse inter se dissitos. Itaque Dallæum merito confutant Cotelerius *in suis ad hanc Ignatii epistolam notis*, & Pezronius *in vindiciis Ignatianis parte 2. cap. 11.* Docetis adjungere licet Montanistas, qui quamvis non eadem de Verbi divini incarnatione doctrina essent imbuti, similiter tamen Eucharistia nostra abstinuisse videntur, & alteram in ejus locum non minus funestam suffecisse: de quibus Philastrius *in catalogo hæreseon*; Cyrillus Hierosolymitanus *catech.* 16. Epiphanius *hæresi* 48. *num.* 14. Isidorus Pelusiota *epist.* 142. Augustinus *hæresi* 26. Theodoretus *lib. 3. hæret. fab. cap.* 2. Sed ambigi merito potest an id in priores Montani discipulos cadat, an in aliquos duntaxat posteriores asseclas, cujusmodi fuere, qui dicuntur Quintiliani, Priscilliani, Petrusiani, & Tascodrugi. Hanc autem quæstionem expendere non est hujus loci.

De erroribus tertii seculi circa Eucharistiam.

DOCETARUM surculus fuit hæresis Manichæorum, quæ hoc seculo duce Mane Persa exorta & brevi omnem Orientem pervagata, in Occidentem mox pervolavit, & utrobique tam altas egit radices, ut hactenus tota vix extirpari potuerit. Sæpe autem nomen mutavit suum. Qui enim primo appellabantur Manichæi, postea dicti sunt Pauliciani, Bulgari, Cathari, Poplicani, Piphli, Henriciani, Petrobusiani, Albigenses, & Bogomili. Jam vero illi cum Docetis & Gnosticis parentibus suis nullum in Christo fuisse solidum corpus arbitrabantur; proinde Christi corpus in Eucharistia esse non admittebant, imo Eucharistiam nostram pariter detestabantur, & aliam sibi propriam usurpabant, sed Gnosticæ similem, sævitiaque & obscenitate parem. Verum quamvis Eucharistiam sæpe dicerent se accipere, eam tamen ne auditoribus quidem ostendebant suis. Itaque cum apud suos sententiam suam libere exponerent, inficiabantur panem & vinum in Christi corpus & sanguinem posse converti. Ut autem erant simulandi ac dissimulandi miri artifices, quotiescunque apud catholicos conventus metu pœnarum accedere cogebantur, toties cum ad sacram communionem ventum erat, cum aliis panem accipiebant; sed vinum, quod ipsis sacrilegium erat haurire, obstinato horrore recusabant; quo factum est ut cum diu latuissent, tandem deprehensi fuerint. Verum hæc singulatim explicanda sunt.

Veteres ergo Manichæi passim jactabant se Eucharistiam usurpare:

Felix

Felix Manichæus apud Augustinum *lib. 1. de actis cum eo cap. 19.* " Si adversarius nullus contra Deum est, inquit, ut quid baptizati sumus, ut quid Eucharistia?

Sed ea quid esset, diligenter ac studiose celabant discipulos & auditores suos. Unde idem Augustinus, qui diu cum iis versatus fuerat *in actis contra Fortunatum num. 3.* " Eucharistiam, inquit, audivi a vobis sæpe quod accipiatis : tempus autem accipiendi cum me lateret, quid accipiatis, unde nosse potui?

Profecto non erat illa panis & vinum in Christi corpus & sanguinem mutata, ut apud catholicos. Cum enim Faustus Manichæus scripsisset sibi eamdem esse quam catholicis religionem circa panem & calicem, sic respondet Augustinus *lib. 20. contra ipsum cap. 13.* " Cur autem arbitretur Faustus parem nobis esse religionem circa panem & calicem, nescio, cum Manichæis vinum gustare non religio, sed sacrilegium sit . . . . Quomodo ergo comparas panem & calicem nostrum & parem religionem dicis, errorem longe a veritate discretum, pejus desipiens quam nonnulli, qui nos propter panem & calicem Cererem ac Liberum colere existimant? Quod ideo commemorandum putavi, ut advertatis ex qua vanitate veniat etiam illud vestrum, quod propter sabbatum Saturno dicatos patres nostros putatis. Sicut enim a Cerere & Libero paganorum diis longe absumus, quamvis panis & calicis sacramentum, quod ita laudatis, ut in eo nobis pares esse volueritis, nostro ritu amplectamur &c.

Quid igitur erat illa Manichæorum Eucharistia? Mera infamia & horrenda turpitudo. De qua consule, si necesse sit, Augustinum *de hæresibus num. 46. de moribus Manichæorum cap. 18. homil. 96. in Joan. hom. 97. in eumdem, de natura boni cap.* 45. & 47. Theodoretum *lib. 1. hæret. fabul. cap.* 26. Leonem *serm. 5. de jejunio decimi mensis*; *serm. 4. de Nativ. Domini*; *serm. 4. de Epiphania*, *serm. 4. de Quadragesima*, & *epist. 2. ad episcopos Italiæ*.

Sed quia imperatorum leges sub gravissimis pœnis jusserant Manichæos exterminari, illi ut supplicia effugerent, latebras quærebant, & dissimulata impietate ad catholicorum Ecclesias accedere non verebantur, & mysteriis interesse. At cum sacramenta sumerent, a calice sedulo abstinebant, quod a vino juxta peculiare sectæ suæ placitum præsertim abhorrerent. Hanc sacrilegam simulationem detexit S. Leo, eosque vel ad sanam doctrinam convertit, vel amandari fecit in exilium. Rem narrat *serm. 4. de Quadragesima*, " Cum, inquit, ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in sacramentorum communione se temperant, ut interdum, ne penitus latere non possint, ore indigno corpus Christi accipiant: sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinent. Quod ideo vestræ notum facimus sanctitati, ut vobis hujuscemodi homines, & his manifestentur indiciis, & quorum deprehensa fuerit sa-

" crile-

„ crilega simulatio , notati & proditi a sanctorum societate sacerdota„ li auctoritate pellantur. “ Adde *epistolam 2. ad episcopos Italiæ*, *supra* allegatam.

At vero , qui olim dicebantur Manichæi , iidem septimo seculo Pauliciani nominati sunt . Illi autem majorum suorum vestigiis insistentes Eucharistiam respuebant . Petrus enim Siculus , qui eos apprime noverat , utpote ad eos ab imperatore missus , in eorum historia quam contexuit, inter eorum sex paradoxa hoc tertium recenset: quod divinam ac tremendam sacrorum mysteriorum corporis ac sanguinis Domini Deique nostri participationem aversentur : nec illud modo ; sed etiam putent alia se posse circa id aliis persuadere ; dicentes non panem ac vinum fuisse a Domino in cœna discipulis porrecta , sed figurate ac symbolice intelligi hæc oportere: ita ut verba illis sua ut panem ac vinum dederit . Cedrenus pariter de illis loquens *tomo* 1. *historiæ*, “ Impie quoque , inquit , de divinis mysteriis sanctæ communio„ nis pretiosi corporis , & sanguinis Domini nostri Jesu Christi gar„ riunt, dicentes, Dominum verba sua apostolis dedisse , eaque jussis„ se accipere , edere atque bibere non panem & vinum : quæ quidem „ etiam adhibenda negant . “ Hinc cum ab hæresi ad Ecclesiæ sinum revertebantur , inter varios , quos dicere tenebantur , anathematismos, quos exhibet Cotelerius *ad lib. 4. Recognitionum* , “ Anathema , inquie„ bant , iis , qui fastidiunt quidem pretiosi sanguinis , & corporis „ Christi communionem : approbare autem eam confingunt , & loco „ illius intelligunt verba Christi doctrinæ , quæ , inquiunt , tradens „ apostolis dixit , *Accipite*, *manducate*, *bibite* “ &c. Nec Eucharistiam modo veram abjiciebant , sed etiam alteram in usu habebant abominandam : Unde iidem “ Anathemate , inquiebant , & catathema„ te percutio . . . . abominanda , impura præstigiarumque plena my„ steria.

Cum autem ex Oriente in Thraciam , inde in Bulgariam , ex Bulgaria in Italiam , & postmodum in Galliam migrassent Manichæi , Aurelianis quidam ex his deprehensi sunt ac flammis traditi anno 1017. rege Roberto jubente . Illi porro , ut priores , docebant in baptismo nullam esse scelerum ablutionem , neque Christum virgine esse natum , neque panem & vinum , quod super altare manibus sacerdotum sancti Spiritus operatione effici videtur sacramentum , converti posse in corpore & sanguine Christi , ut legitur in actis concilii Aurelianensis *tomo 9. concil.* Atque ut ab antiquis Manichæis nulla ex parte degenerare viderentur , horrenda mysteria ipsi quoque usurpabant , quæ ibi referuntur . Itaque non immerito eos fuisse Manichæos observat Ademarus Cabannensis *tomo 2. bibliothecæ novæ Labbei.*

Eodem seculo Radulphus Ardens *serm.* 8. *in Dominica* 8. *post Pent. tomo* 2. de viris loquitur , qui sese apostolicos dicerent , & Eucharistiæ merum esse panem assererent.

Cir-

Circa ejusdem seculi finem in Suessionensi diœcesi; alii apparuerunt Manichæi, qui se *apostolicos* dicebant. De iis Guibertus de Novigento *lib.* 3. *de vita sua cap.* 16. " Mysterium, inquit, quod fit in altari nostro, ,, ita exhorrent, ut ora sacerdotum omnium *os inferni* appellent. " Eosdem vero in nostræ Eucharistiæ locum, turpem aliam simul ac crudelem adhibuisse idem *ibidem* testatur.

Seculo XII. Tolosæ & in Occitania grassabantur ex eadem secta plures, de quibus concilium Tolosanum a Callisto II. summo pontifice celebratum *tomo* 10. *concil. anno* 1119. *can.* 3. " Porro eos, inquit, qui ,, religionis speciem simulantes, Dominici corporis, & sanguinis sa- ,, cramentum . . . . . , & legitimarum damnant fœdera nuptiarum, ,, tanquam hæreticos ab Ecclesia Dei pellimus: " qui canon in Concilio Lateranensi II. anno 1139. sub Innocentio II. reperitur *can.* 23. *ibid.*

Illi porro hæretici ut catholicorum argumenta eluderent, qui ex his Christi verbis, *Hoc est corpus meum*, demonstrabant Eucharistiam ex pane a Christo demonstrato fuisse confectam, & ipsam esse Christi corpus; respondebant pronomen (*hoc*) non referri ad panem, quem ostenderet Christus: sed ad corpus ipsum Christi, quale tum apparebat, & quo mensæ accumbebat. Cum autem eis objicerentur alia verba Christi ajentis, carnem Filii hominis esse manducandam; reponebant hoc nomine ipsam Christi doctrinam intelligi oportere. Hæc exponit Ermengardus *cap.* 11. " Hæretici dicunt, inquit, quod illud *hoc*, demonstrativum pronomen, non refertur ad panem, quem in ,, manibus tenebat, . . . sed refertur ad corpus suum, quod hæc om- ,, nia perficiebat, " *Ibidem*, " Credunt, inquit, audiendo verbum ,, Dei se manducare carnem Filii hominis & ejus sanguinem bibere. " ,, *Ibidem*, " Et nos dicimus & credimus quod carnis homo, qui in ,, hoc sacramento fidem non habet sicut in baptismo, alienus est ab ,, unitate sanctæ Ecclesiæ & damnatus est in secula seculorum. " Neque vero in Italia duntaxat aut Gallia Manichæi illi videbantur; sed etiam irrepserant tum in Lotharingiam, ibique suam de Ecclesiæ sacramentis pestilentem doctrinam disseminabant: quos cum deprehendisset Hugo Metellus, de iis ad Episcopum Tullensem scripsit in hunc modum apud Mabillonium *tomo* 3. *Analectorum*: " Latent, inquit, in ,, episcopatu tuo, imo jam apparent pestilentes homines, qui veriori ,, nomine *bestiæ* appellari possunt, quia bestialiter vivunt. Conjugium ,, enim detestantur, baptismum abominantur, sacramenta Ecclesiæ de- ,, rident. " Sed, quod fatendum est, in Occitania præsertim sedem fixerant suam, idemque de Eucharistia dogma tuebantur. Unde Cæsarius Heisterbatensis *lib.* 5. *cap.* 21. de iis verba faciens, qui a Manichæis dogmata sua mutuati fuerant; Duo, inquit, credunt cum Mani- ,, chæo principia, bonum Deum, & malum Deum: ... corporum resurre- ,, ctionem negant: baptismum abjecerunt: sacramentum corporis & san- ,, guinis Christi blasphemant.

De

De iisdem Petrus de Valle-cernensi *in historia Albigensium. cap.* 2. Sa-
" cramenta Ecclesiæ, inquit, usque adeo annullabant, ut sacri baptisma-
" tis undam ab aqua fluviali non distare, sacrosancti corporis Christi
" hostiam a pane laico non differre, publice dogmatizarent: simpli-
" cium auribus hanc instillantes blasphemiam, quod Christi corpus,
" etsi magnitudinem Alpium in se contineret, jam dudum consumptum a
" comedentibus, & annihilatum fuisset.

Jam vero recentiores illi Manichæi varia pro variis locis nomina plerumque sortiebantur. In Italia quippe, Germania, Gallia, passim appellabantur *Cathari*; in Anglia autem *Publicani* aut *Poplicani*; in Belgio *Piphli*: in Bulgaria autem & per Orientem *Bogomili*: sed ubique vulgo antiquum suum virus suumque adversus Eucharistiam odium servabant.

Catharos Italiæ depingens Bonacursus, qui apud ipsos diu commoratus, in intima doctrinæ eorum viscera penetraverat, *tomo* 13. *spicilegii*, " Per
" baptismum aquæ, inquit, Spiritum sanctum nullo modo credunt posse
" accipi, nec aliquam substantiam visibilem credunt ullo modo in corpus
" Christi posse converti.

Non absimiles describit Reinerus, qui cum per multos annos in eorum castris meruisset, tandem resipiscens in familiam Dominicanorum, ut Deo melius militaret, transiit. Ergo *cap.* 6. *contra Valdenses*, " Com-
" munes opiniones, inquit, omnium Catharorum sunt istæ, videlicet
" quod Diabolus fecerit hunc mundum: item quod omnia sacramenta Ec-
" clesiæ nihil prosint ad salutem, & quod non sint vera sacramenta, ... sed
" deceptoria diabolica.

Cum autem ex Italia in Germaniam pervasissent Cathari, Coloniensem diœcesim infestare cœperunt. Quod ubi sensit Enervinus Steinfeldensis præpositus, de ea re admonuit Bernardum *epistola*, *quæ extat tomo* 1. *operum Bernardi novæ editionis*. Eorum porro duos fuisse ordines notat, & utrosque in rejiciendo Eucharistiæ sacramento concordasse. " De prioribus quemlibet, inquit, sic inter eos baptizatum dicunt
" electum & habere potestatem ... in mensa sua corpus Christi & san-
" guinem consecrandi. .... De baptismo nostro non curant. Nuptias
" damnant. " De posterioribus vero *ibidem*. " Damnant, inquit, sacra-
" menta præter baptismum solum.... Negant in altari fieri corpus Chri-
" sti " &c.

Itaque Enervini verbis excitatus Bernardus dum *Canticum Canticorum* interpretaretur, duos adversus eos *sermones* habuit, 65. scilicet & 66. Quod autem pertinet ad institutum nostrum, *serm.* 66. *num.* 8. " Non
" ignoro, inquit, quod se & solos corpus Christi esse glorientur: sed sibi
" hoc persuadeant, qui illud quoque persuasum habent, potestatem se ha-
" bere quotidie in mensa sua corpus Christi & sanguinem consecrandi ad
" nutriendum se in corpus Christi & membra.

Contra eosdem eodem circiter tempore declamavit Ecbertus variis in ser-

sermonibus. Quænam autem eorum foret de Eucharistia opinio, quæ disciplina, aperiens *serm.* 1. " Corpus Domini & sanguinem, inquit, " nullo modo nostra consecratione fieri, aut a nobis per communionem " percipi posse credunt: se autem solos in mensis suis corpus Domini " facere dicunt. Sed in verbis illis dolum habent: non enim verum " illud corpus significant, quod de virgine natum fuisse credimus, & " quod passum est in cruce, sed sui ipsius carnem corpus Domini vo- " cant, & in eo quod sua corpora nutriunt cibis mensæ suæ, corpus Do- " mini se facere dicunt.

E Coloniensi diœcesi in vicinas Belgii partes gliscere facillimum iis fuit, nec alia ibi docuerunt. Itaque Ebrardhus Bethuniensis *cap.* 8. " Sacræ quidem cœnæ mysteria nescientes, panis benedictionem a " Deo nobis collatam parvi pendunt.... Panem hunc dixit Christus cor- " pus suum, ostendens panem, non manum pectori apponens, sicut vos " mentimini. " *ibidem* " Si autem dixerint, inquit, quod manducare pa- " nem illum aut bibere sanguinem nihil aliud est, quam ejus verbum au- " dire; absit " &c.

Ipsos jamdudum damnaverat synodus Atrebatensis, quæ refertur *tomo* 13. *spicilegii*, & habita fuit anno 1025. qua autem de causa, *ibidem* memoratur, *cap.* 1. " Illi autem, inquit, sacri baptismatis mysterium " omnino abhorrebant: Dominici corporis & sanguinis sacramentum " respuebant. " Vide insuper *cap.* 2. ejusdem synodi, in quo dicuntur illud sacramentum evertisse.

Jam vero de Bogomilis Harmenopulus *de sectis tomo* 11. *biblioth. Patrum*: " Bogomilorum hæresis, inquit, non multo ante nostram æta- " tem exorta fuit .... Hi veteris & novi testamenti libros repudiant, " .... ignominia crucem divinam afficiunt, & præterea sacrum ac tre- " mendum corporis & sanguinis Domini sacrificium, quod quidem in- " habitantium templis Dæmonum sacrificium appellant. " Euthymius *Panopliæ parte* 2. *tit.* 23. *cap.* 17. " Mysticum, inquit, venerandum sa- " crificium contemnunt atque despiciunt .... Porro communionis pa- " nem precationem illam *Pater noster* appellant. " Anna Comnena *Ale- " xiados lib.* 15. " Post hæc, inquit, ... " nubes hæreticorum in- " gens sese extulit (*Bogomilos* vocat) .... ex Manichæorum, quos " etiam *Paulicianos* vocant, hæresi. " Tum de Basilio monacho, eorum antesignano, ejusque sectæ dogmatibus *ibidem*, " Dicit humanita- " tem ipsam Verbi incarnati, inquit, nihil verum extitisse; sed me- " rum duntaxat spectrum phantastici corporis. Templa fana dæmo- " num profanus appellabat, & quod apud nos celebratur sacrificium " corporis & sanguinis Christi, qui primus ejus pontifex idem fuit & " victima aspernabatur & nihili faciebat. "

De Poplicanis, seu Publicanis, Guillelmus *libr.* 2. *cap.* 13. *ad annum* 1160. " Iisdem diebus, inquit, erronei quidam venerunt in Angliam " ex eorum, ut creditur, genere, quos vulgo *Poplicanos* vocant ....,

" Erant

„ Erant autem tam viri quam fœminæ paulo amplius triginta . . . .
„ Rex vero episcopale præcepit Oxoniæ concilium congregari . . . In-
„ terrogati . . . . de divinis sacramentis, perversa dixerunt, sacrum ba-
„ ptisma, Eucharistiam, conjugium detestantes.

De erroribus quarti seculi.

Circa finem quarti seculi vixisse fertur quidam abbas, quem veteres notant in eum fuisse errorem delapsum, qui nunc est nostrorum hæreticorum; Eucharistiam nempe non esse ipsum corpus Christi naturale, sed ejus duntaxat figuram ac sacramentum. Verum is error privati fuit, nec manavit in vulgus, & in cella monastica natus, brevi intra eam extinctus est. Historiam narrat auctor operis *de vitis Patrum lib.* 5. *c.* 18. " Narravit abbas Daniel dicens: dixit Pater noster
„ abbas Arsenius de quodam sene, qui erat magnus in hac vita, sed
„ simplex in fide & errabat, pro eo quod erat idiota, & dicebat non
„ esse naturaliter corpus Christi panem, quam sumitur, sed figuram
„ ejus esse. Hoc autem audientes duo senes, quod diceret hunc sermo-
„ nem, & scientes quia magna esset vita & conversatio ejus, cogita-
„ verunt quia innocenter & simpliciter diceret hoc: & venerunt ad
„ eum, & dicunt ei. Abba, audivimus sermonem cujusdam infidelis,
„ qui dicit quia panis, quem sumimus, non natura corpus Christi,
„ sed figura est ejus. Senex autem ait eis: Ego sum, qui hoc dixi:
„ Illi autem rogabant eum, dicentes. Non sic teneas, abba: sed si-
„ cut Ecclesia catholica tradidit. Nos autem credimus quia panis ipse
„ corpus Christi est, & calix ipse est sanguis Christi secundum verita-
„ tem, & non secundum figuram: sed sicut in principio pulverem de
„ terra accipiens, plasmavit hominem ad imaginem suam, & nemo po-
„ test dicere, quia non erat imago Dei, quamvis incomprehensibilis,
„ ita & panis, quem dixit, quia *corpus meum est*, credimus quia se-
„ cundum veritatem corpus Christi est. Senex autem ait eis: Nisi re-
„ ipsa cognovero, non mihi satisfacit responsio vestra. Illi autem di-
„ xerunt ad eum: Deprecemur Deum hebdomada hac de mysterio
„ hoc, & credimus quod Deus revelabit nobis. Senex vero cum gau-
„ dio suscepit sermonem istum, & deprecabatur Deum dicens: Do-
„ mine si tu cognoscis quoniam non per malitiam incredulus sum rei
„ hujus, sed per ignorantiam errem, revela ergo mihi, Domine Jesu
„ Christe, quod verum est. Sed & illi senes abeuntes in cellam suam,
„ & ipsi rogabant dicentes: Domine Jesu Christe, revela seni myste-
„ rium hoc, ut credat & non perdat laborem suum. Exaudivit autem
„ Deus utrosque, & hebdomada completa venerunt Dominico die in Ec-
„ clesiam, & sederunt ipsi tres soli super sedile de scirpo. Aperti sunt
„ autem oculi eorum spirituales, & quando positi sunt panes in altari,
„ videbatur illis tantummodo tribus tanquam puerulus jacens super al-
tare:

„ tare : & cum extendisset presbyter manus, ut frangeret panem, des„ cendit angelus Domini de cœlo, habens cultrum in manu, & seca„ vit puerulum illum; sanguinem vero excipiebat in calice. Cum au„ tem accessisset senex, ut acciperet sanctam communionem, data est „ ipsi soli caro sanguine cruentata. Quod cum vidisset, pertimuit, & „ clamavit dicens: Credo Domine quia panis, qui in altari ponitur, „ corpus tuum est, & calix tuus est sanguis. " Huic quidem miraculo fidem habere nolunt Calviniani : sed quidquid de eo videatur, ex hac saltem historia colligimus quænam esset eo tempore Ecclesiæ fides. Porro hujus operis auctor Græcus est antiquus, & forte quinto seculo vixit. Qui enim eum, cum in omnium manibus jam esset, ex Græca lingua in Latinam vertit Pelagius, sexto seculo floruit, & Photius Græca hujus capitula refert *codice* 198. Eamdem historiam exscripsit postea Joannes Moschus *Prati spiritualis cap.* 112. & Simeon Metaphrastes *in vita Arsenii*, apud Lipomanum *tomo* 1. *de vitis sanctorum*, *ad* 8. *Maii*.

De erroribus quinti seculi.

Nestorius circa annum a Christo 430. duas in Christum personas invexit, & docuit sanctum ejus corpus cum Verbo divino non esse hypostatice conjunctum. An autem ex eo errore in alium quempiam de Eucharistia delapsus sit, controversia est. Et quidem Calviniani omnes, imprimis vero Albertinus & Banagius *hist. Eccles. lib.* 14. *cap.* 2. *num.* 7. contendunt nec præsentiam realem corporis Christi in Eucharistia, nec transubstantiationem fuisse a Nestorio admissam.

Garnerius ad Marium Mercatorem *parte* 2. *dissert.* 1. *cap.* 6. concedit negatam fuisse ab eo transubstantiationem, non vero realem præsentiam ; ambas autem a Nestorianis esse sublatas.

Natalis Alexander *in dissertationibus historicis ad seculum V. cap.* 3. *art.* 12. asserit eum de utraque catholice sensisse; circa utramque vero ejus asseclas postmodum errasse.

Alii contra ab hoc errore alienos fuisse cum Nestorium, tum ejus discipulos sentiunt, quibus præivere Card. Bellarm. *de sacram. Euch. lib.* 2. *cap.* 25. & Perronius *de Eucharistia in Cyril. pag.* 455.

A S S E R T I O.

Nestorius circa præsentiam realem Corporis Christi in Eucharistia non erravit.

Probatur 1. ex ejus scriptis.

Sermone enim 2. probat duas Christi naturas a se invicem esse hypostatice sejunctas, quod apostolus dicat a nobis in sacra communione manducari corpus Christi, divinitas autem ejus manducari non possit,

" Audi, inquit, B. Paulum: *Quotiescunque manducabitis panem hunc*:
„ non dixit, *quotiescunque manducabitis divinitatem hanc* " *&c.* Inde consequens est illum ibi agere de vera ac proprie dicta corporis manducatione. Cum enim duplex tantum distingui possit manducatio: altera vera & proprie dicta corporis per os; altera improprie dicta seu mentis per fidem, alterutra hic necessario intelligitur. At eo in loco certe non intelligitur manducatio improprie dicta seu mentis per fidem. Agitur enim de ea manducatione, qua non potest manducari divinitas, potest autem manducari caro. Atqui divinitas non minus potest manducari per fidem quam caro. Imo vero divinitas longe potiori jure, quam caro, est spiritualis animæ cibus. Ergo sentiebat Nestorius ore corporis in sacra communione manducari corpus Christi. At non potest ore corporis comedi caro Christi in Eucharistia, nisi in ea reipsa adsit.

Serm: 7. *num*. 42. idem pertractans argumentum, ex eo conficit humanam naturam cum divinitate in unum non coaluisse, quod in altari immoletur Christi humana natura, non divina. " Dei Verbi mortem
„ non annunciamus, cum Domini corpore & sanguine pascimur. Dei
„ enim natura suscipit sacrificium, non ipsa sacrificio immolatur. "
Proinde Nestorius agnoscebat verum in altari sacrificium, & nos carne & sanguine Christi vesci confitebatur. Porro hoc de sacrificio dogma in argumenti sui fundamentum sumebat Nestorius ex communi omnium fidelium sensu: atque adeo communis hæc omnium fides fuit ea ætate: alioqui si Ecclesia hujusmodi sacrificium non agnovisset, non effugisset profecto adversariorum censuram; cujus tamen nullum est vestigium.

Ser. 8. *nu*. 3. eadem vestigia premens: " Dominus, inquit, *in qua nocte tra-*
„ *debatur, accipiens panem ..... dedit discipulis suis, dicens .... Hoc est corpus*
„ *meum*. Quare non dixi, *hæc est divinitas mea?* .... separa naturam. "
„ Illic Nestorius, ut *supra*, probare nititur divinitatem Christi, & humanam naturam non esse hypostatice conjunctas, quod una manducetur, non altera, scilicet ore corporis. Jam vero carnem Christi in sacra communione ore corporis sumi supponebat Nestorius, ut rem apud omnes confessam & minime dubiam, & ex ea velut principio indubitato concludebat Corpus Christi non esse hypostatice conjunctum cum divinitate. Ergo: &c. Et vero si aliter Ecclesia de illa manducatione sensisset, non modo se ridiculum præbuisset in ea disputandi ratione Nestorius, sed etiam ob id apud catholicos statim vapulasset, & in omnium ac præsertim Cyrilli reprehensionem incurrisset. At nulla id genus querela de Nestorio apparet. Itaque Nestorius in ea re cum Ecclesia, & Ecclesia cum eo concordabant.

Serm. 9. *num*. 1. *&* 2. idem quod mox versans momentum: " Audi-
„ te, inquit, ... *Qui manducat carnem meam, & bibit meum sangui-*
„ *nem &c.* .... Nunquid dixit; *Qui manducat divinitatem meam & bibit*

„ *meam*

„ *meam divinitatem?* . . . . . Quid ergo manducamus? divinitatem an carnem?" Nestorius igitur ex eo quod in sacra communione Christi natura humana manducetur, non divinitas, inferebat eas esse hypostasi sejunctas: proinde de vera & orali, ut loquuntur, manducatione sermo erat. Nam si de mentis manducatione, seu, ut ita dicam, apprehensione per mentem, absurda omnino fuisset consecutio: quasi vero mens non posset ea etiam sejungere ac seorsum apprehendere, quæ non sunt hypostasi sejuncta? aut apprehensio mentis distincta legitimum sit hypostaticæ distinctionis argumentum? Nonne mentis ea vis est ut conjuncta separet & separata pro arbitrio conjungat? Nonne ejusdem hominis corpus & animam seorsum potest considerare? An ideo corpus & anima ejusdem hominis hypostatice distinguentur? Ergo ut aliquis saltem esset ratiocinio color, debuit ex hoc velut principio duci, scilicet carnem Christi vere ac proprie ore corporis sumi, non vero ejus divinitatem: os enim simul sumit, quæ sunt secum invicem conjuncta.

PROBATUR 2. ex Cyrillo Alexandrino, qui licet oralem, ut loquuntur, corporis Christi manducationem in sacra mensa diserte ac vehementer ubique passim asserat, ac Nestorii errores omnes acriter exagitet, non modo hunc ei non objicit, sed etiam pro indubitato habet ab ipso agnitam esse realem corporis Christi præsentiam ac manducationem. Sed quia Nestorius aiebat corpus Christi esse a Verbo hypostatice sejunctum, ex eo Cyrillus colligit a Nestorio invectam fuisse anthropophagiam seu meri hominis manducationem: proinde Eucharistiæ vim ab eo pessumdari. Conqueritur enim si ita est, quod Eucharistia futura sit non corpus Verbi divini vivificandi vim habentis; sed corpus meri hominis, quod prodesse non possit.

Epistola synodica ad Nestorium parte 1. concilii Ephesini, anathematis-
„ *mo* 11. " Si quis, inquit, ipsam Domini carnem vivificam, ipsius-
„ que Verbi quod ex Patre est, propriam esse negaverit, neque vero po-
„ tius vivificam confessus fuerit..... eo quod Verbi, quod omnia vivi-
„ ficare potest, facta sit propria; anathema sit.

In explanatione ejusdem anathematismi " Sanctum, inquit, ac vivificum
„ incruentumque in Ecclesiis sacrificium peragimus; corpus quod pro-
„ ponitur, similiter & pretiosum sanguinem, non communis nobisque
„ similis hominis cujuspiam esse credentes; sed potius tanquam pro-
„ prium corpus effectum, & sanguinem Verbi, quod omnia vivifi-
„ cat, accipientes: si quidem communis caro vivificare non potest.
„ Et hoc Salvator ipse testatum facit: *Caro*, inquiens, *non prodest quid-*
„ *quam: spiritus est, qui vivificat* .... Cum itaque Nestorius, & qui cum
„ illo sentiunt, mysterii hujus virtutem temere dissolvant, propterea,
„ & id quidem admodum convenienter, editus est hic anathematismus.

In apologia ejusdem anathematismi adversus Orientales Nestorii fautores,
„ *ibidem*. " An non is ... nostrum mysterium anthropophagiam efficit?

Lib. 4. *adversus Nestorium cap.* 5. cum retulisset Cyrillus verba Nestorii, qui *serm.* 9. *supra* allegato dixit a nobis manducari solum hominis Christi corpus " Atque ea res, inquit Cyrillus: quomodo
„ non certa sit anthropophagia ? " *Ibidem* " Nam si, inquit, homo
„ quispiam seorsim, & non potius ipsum Dei Verbum factum est si-
„ mile nobis, res ipsa quæ geritur in sacris mysteriis anthropopha-
„ gia erit, & inutilis omnino illa participatio. Ipsum enim Chri-
„ stum dicentem audio: *Caro non prodest quidquam* &c. " *Ibidem*. "
„ Sed hæc, inquit, nostro dogmatistæ nullo modo placent, ...
„ qui in id solum pergit, quod sibi placet, & hujus mysterii vim im-
„ minuit. " *Ibidem cap.* 6. " Nihil ergo egregii habet incruenta illa
„ victima, & exiguam utilitatem affert. " *Ibidem*, " Exigua est igitur,
„ inquit, ut dixi, incruentæ hostiæ utilitas: quia nempe fas non est
„ ut simul cum carne etiam divinitatis natura consumatur; neque ea
„ obtinemus, quæ sunt impossibilia, ut ipsa incorporea natura ve-
„ scamur. Sed oblitus mihi videris haud naturam divinitatis id esse,
„ quod in sanctis Ecclesiarum mensis proponitur, sed proprium corpus
„ Verbi.

Ex his porro multa ad rem nostram opportuna consectaria eruuntur.

Primus est, nullam tunc temporis motam esse quæstionem de præsentia reali, & eam utrimque fuisse admissam.

Secundum est, in confesso pariter fuisse corpus Christi in Eucharistiæ susceptione vere & proprie ore corporis sumi. Ambæ enim partes concedebant carnem Christi manducari: ambæ simul confitebantur non manducari divinitatem. Quo autem, quæso, manducationis genere non potest manducari divinitas? Corporis, an mentis? Non mentis: nam contra ea est præcipuum mentis & fidei objectum. Ergo superest ut intelligatur non posse manducari divinitas ore corporis. Atqui eo manducationis genere dicitur caro Christi manducari, quod in divinitatem competere nequeat. Itaque constabat apud omnes ore corporis Christi carnem in Eucharistica communione suscipi.

Tertium, juxta Cyrillum ex Nestorii errore consequi antropophagiam. Atqui anthropophagia est vera realis & oralis meri hominis manducatio. Ergo.

Quartum est, pro certo tunc ab omnibus habitum fuisse solam humanitatem ab iis, qui ad Eucharistiam accedebant sumi, si humanitas non sit hypostatice Verbo conjuncta. Atqui hoc argumentum stare non potest, si agebatur de manducatione per fidem, ut *supra* ostendimus.

Quintum est, tunc temporis quidem passim accusatum fuisse Nestorium, quod Eucharistiæ vim imminueret, non quod ejus substantiam everteret: proinde ipsam mysterii substantiam reipsa non evertebat: alias pro-

propter hoc longe magis quam propter aliud in crimen fuisset vocatus. Ergo.

Sextum est, a Cyrillo colligi Eucharistiam fore sine vi, si caro Christi non sit Verbo divino hypostatice conjuncta. Atqui hoc telum imbelle prorsus est & sine ictu, si non agatur de perceptione reali & orali. Posset enim Eucharistia vim etiam maximam habere, citra hypostaticam carnis & Verbi conjunctionem, si id de perceptione mentis accipiatur; cum divinitas etiam hypostasi ab humanitate sejuncta posset gratiam iis largiri, qui mente studerent eam contemplari.

PROBATUR 3. confessione recentium Nestorianorum. Abbas enim Adam, qui sub Paulo V. Nestorianos cum Ecclesia Romana reconciliavit, *in libro adversus hæreses apud Strozzan*, „ Nestorius, inquit, „ docet de vivificis sacramentis nos corpore & sanguine puri hominis, „ non Dei nutriri &c.

PROBATUR denique omnium, qui Nestorium oppugnarunt, & Ecclesiæ, quæ ipsum damnavit silentio. Cum enim Eucharistia sit unum e præcipuis fidei dogmatibus, & vulgo semper fuerit notissimum, si illud temerare tentasset Nestorius, haud dubie omnes passim, ac præcipue Cyrillus, in ipsum propterea insurrexissent, nec ob illum de Eucharistia errorem minus, quam propter alterum de incarnatione cunctis invisus & odiosus extitisset. Atqui altum tamen est ea de re apud veteres silentium. Ergo.

OBJICIES cum Albertino. Nestorius *eodem serm. 2. num. 10.* " Vi„ de, inquit, de corpore Dominico illi (Christo) propositum esse; „ *Quotiescunque manducabitis panem hunc* cujus est ipsum corpus antitypum. " Ergo Eucharistia juxta Nestorium est panis.

DISTINGUO consequens: est panis specie tenus, concedo: reipsa; nego. Non negamus Eucharistiam persæpe vocari *panem*; sed qua de causa? nempe quod e pane facta sit, & panis speciem semper retineat. Verum de hoc alibi latius.

INSTABIS. Corpus Christi dicitur esse *antitypum illius panis*, hoc est veritas illi pani ut typo respondens. Ergo.

RESPONDEO id dici posse sine fidei nostræ detrimento. Cum enim concedamus panis speciem esse symbolum externum & signum visibile corporis Christi intra latentis; panis necessario est typus illius corporis, corpus autem est panis antitypum.

ASSERTIO II.

NESTORIUS transsubstantiationem non negavit.

PROBATUR 1. ex dictis. Namque ex iis, quæ hactenus disputavimus liquet nullum fuisse ea ætate catholicos inter & Nestorium de mysterii Eucharistici substantia dissidium, sed duntaxat de ejus vi. At si Nestorius creditam ab Ecclesia transsubstantiationem impugnasset;

de eo certe capite non potuissent non esse acerrimæ concertationes. Ergo.

PROBATUR 2. auctoritate Lanfranci Cantuariensis archiepiscopi, qui de hoc argumento & Nestorio verba faciens *in suo de corpore & sanguine Christi libello cap. 17.* allatis Christi verbis, *Nisi manducaveritis „ carnem filii hominis,* " Ex quibus Domini verbis, inquit, ortæ sunt „ duæ hæreses antiquis temporibus. Et in hoc quidem consenserunt „ omnes, quod panis & vinum in veram filii hominis carnem, verum„ que ejus sanguinem converterentur: sed quis esset iste filius hominis, „ non omnes eamdem sententiam tenuerunt. Quidam arbitrati sunt „ hunc oportere intelligi quemlibet hominem sive justum sive peccato„ rem, in cujus carnem ac sanguinem universa terrena substantia su„ meretur in remissionem peccatorum. Alii arbitrati sunt non hunc „ esse de turba quemlibet hominem, sed virum justum sanctificatum a „ communi hominum vita per suæ vitæ celsitudinem separatum, qui „ templum Dei esset; qui divinam in se habitationem verissime pos„ sideret, in hujus carnem ac sanguinem commutari posse panem vi„ numque altaris, hæretica pertinacia delirabant. Factum esse hoc . . . „ . . tempore Celestini papæ & Cyrilli Alexandrini, quibus præcipien„ tibus . . . . . celebrata est synodus Ephesina. . . . . in qua synodo „ damnatæ sunt utræque pestes, roborata est fides, qua credimus pa„ nem converti in eam carnem, quæ in cruce pependit.

ASSERTIO III.

NESTORIANI circa Eucharistiam perperam non senserunt, nec etiamnum errant.

PROBATUR 1. veterum, qui Nestorianos impugnarunt silentio. Nec enim capitalem hunc errorem, si fuisset, pro suo catholicæ fidei studio haud dubie omisissent.

PROBATUR 2. pari recentiorum silentio, sive catholicorum, qui de Nestorianis scripserunt, & eorum contra Romanæ Ecclesiæ fidem, errorum catalogum texuere, scilicet Jacobi de Vitriaco, Brocardi, Sanucii, Osorii, Prateoli, Possevini, Botteri, Gabrielis Sionitæ, sive etiam ipsorum Calvinianorum, qui in eosdem errores curiose & infenso adversus catholicos animo inquisierunt, nempe Brerevodi, Hoornbeci, Hottingeri &c. Quis enim non videat hos omnes, si quid a nobis diversum Nestoriani docuissent super Eucharistiam, hoc præ cæteris caput fuisse commemoraturos? Et catholicos quidem pro suo in catholicam fidem studio; hæreticos vero cum ut nobis incommodarent, tum ut pudendam suam tegerent novitatem.

PROBATUR 3. ex multiplici Nestorianorum cum Ecclesia catholica identidem facta reconciliatione. Nimirum summi pontifices, ex quo Ecclesia Græca ab ipsis defecit, non destiterunt ad Orientales sectas, nomi-

nominatim vero Nestorianam in Ecclesiæ gremium revocandas, viros doctrina, pietate & zelo præstantes in intimas usque partes Orientis subinde mittere, v. g. Innocentius. IV. anno 1244. & 1253. Bonifacius VIII. anno 1299. Joannes XXII. anno 1318. & 1328. de quo Raynaldus ad hos annos. Jam vero nemo ambigat hujusmodi viris compertos fuisse sectarum illarum errores, & per eos apostolicæ saltem sedi, ut alias taceamus vias, quibus innotescere facile potuerint. Itaque si perperam de Eucharistia essent opinatæ, quoties cum Latinis redire voluere in concordiam, ad ejurandum hunc errorem non secus ac alios per quos ab Ecclesia dissentiebant, compulsæ dubio procul fuissent; nec in professionibus fidei, quas emisere prætermissum esset hoc caput præ aliis insigne profecto & memorandum. At nunquam id ab iis tunc postulatum est. Exempla habes Nestorianorum cum Ecclesia Romana reconciliationis, anno 1247. sub Innocentio IV. & post synodum Florentinam anno 1445. sub Eugenio IV. apud eundem Raynaldum ad hos annos: sub Julio III. & deinde sub Paulo V. de quibus Strozza peculiare opus conscripsit, cujus compendium referunt auctor *perpetuitatis fidei tomo* 1. *lib.* 5. *cap.* 19. & Simonius *de fide Orientalis Ecclesiæ cap.* 7. At nullibi mentio extat negatæ ab ipsis præsentiæ realis corporis Christi in Eucharistia: diserta vero mentio est aliorum, quos admittebant errorum. Quid ita? nisi quod reipsa nulla erat de Eucharistia dissensio.

Probatur 4. ex liturgiis Nestorianorum, quæ cum sint vulgatis aliarum gentium Orientalium liturgiis consentaneæ, luculenter & realem corporis Christi in Eucharistia præsentiam, & panis in hoc Christi corpus conversionem arguunt. His autem liturgiis semper usi sunt hodieque utuntur: quod evidens est eorum perpetuæ circa Eucharistiam fidei argumentum. Quin etiam una quædam ex illis est Nestorii inscripta nomine & ab ipso, ut forte non immerito nonnullis videtur, edita. A veteribus enim incusatus est Nestorius, quod novæ liturgiæ auctor foret, ut cernere est *apud Leontium lib.* 3. *contra Nestorianos & Eutychetas* quod etiam monet Simonius *in notis ad Gabrielem Philadelphiensem*. At illa Nestorii liturgia eamdem cum cæteris sententiam præ se fert. Unde consequens est eamdem fuisse Nestorii, quæ Nestorianorum, & horum eamdem esse cum nostra circa id mentem. Omnes enim, ut diximus, realem corporis Christi in Eucharistia præsentiam, & panis in hoc Christi corpus conversionem arguunt.

1. Quippe vetustissima omnium Nestorianorum liturgia Syra ex ea transcripta est, quæ Chrysostomi apud Græcos dicitur, ut refert Renaudotius harum rerum testis sane locuples *in præfatione ad Gennadium*. Hæc autem, ut patet legentibus & postea dicetur, præsentiam realem, & transsubstantiationem luculenter astruit, cum Deus a sacerdote invocatur; "Ut faciat panem quidem pretiosum corpus Christi, & vinum ejus „ sanguinem, transmutans ea Spiritu sancto suo.

2. Eamdem orationem repræsentant aliæ Nestorianorum liturgiæ ex codicibus bonæ notæ descriptæ : quin etiam ipsa quæ *Nestorii* appellatur liturgia , eodem teste *ibidem* : de quo insuper lege quod de iis profertur *tomo* 3. *perpetuitatis fidei pag.* 800. & a Simonio *in notis ad Gabrielem Philadelphiensem* , & *in histor. critica fidei Orientalium* , *cap.* 8. *num.* 16.

3. Non alium sensum exhibet alia vetus Nestorianorum in extremis Indorum regionibus degentium , qui vulgo *sancti Thomæ Christiani* nominantur , liturgia : hæc quippe apud eos forma consecrationis : " Hoc EST " IN VERITATE CORPUS MEUM : HIC EST IN VERITATE CA- " LIX SANGUINIS MEI . " At ista verba , *in veritate*, quæ addita fuerant evangelicis, non alio certe consilio inserta fuere , quam ne ullum ea de re suboriretur dubium, aut Christi verba ad alienos & metaphoricos sensus detorquerentur , ut recte observatur *tom.* 1. *perpetuitatis fidei lib.* 5. *cap.* 10. *pag.* 500.

PROBATUR 5. ex Nestorianorum horologio aliisque communibus inter precum & Ecclesiæ officiorum libris, qui memorantur *tom.* 3. *perpet. fidei* , & a Renaudotio *ad Gennadium pag.* 204.

1. Enim Elias Nestorianorum catholicus seu supremus antistes Modainæ ordinatus anno Christi 1175. *in compendio doctrinæ Christianæ* ait sacra dona " sanctificari per communicationem virtutis Spiritus sancti , " & a priore natura mutari fierique panem corpus ejus (Christi) san- " ctum, & vinum sanguinem ejus pretiosum . " Verba ipsa refert idem " *ibid. pag.* 204. fusius autem Gallice descripta jam ante fuerant *tomo* 3. *perp. fidei* .

2. Hebed Jesu , qui ex Nestoriano catholicis infensissimo ad orthodoxam fidem conversus, patriarcha creatus est suæ gentis , & synodo Tridentinæ interfuit , cum Nestoriana lue adhuc laboraret , multa edidit opera , quorum catalogum ipse contexuit latine redditum ab Abrahamo Echellensi , inprimis autem librum *Margaritarum* titulo insignitum . In hoc porro affirmat , " Jussu Dei panem in Cor- " pus Christi , & vinum in ejus sanguinem transmutari . " Quæ verba ex eo allegat idem Echellensis , & ex eo referuntur *tomo* 1. *perpet. lib.* 5. *cap.* 10.

3. Ebneltaib Nestorianus testatur se suosque non aliam habere de Eucharistia fidem quam cæteras omnes Græcæ seu Orientalis Ecclesiæ sectas , de quo idem Renaudotius *ad Gennad. pag.* 206.

4. Adam abbas olim Nestorianus *in lib. contra hæreses* , *apud Strozzam pag.* 227. pro certa habens, & aperta suorum de præsentia corporis Christi in Eucharistia doctrinam, quam verbis significantissimis exponit, ex ea unam in Christo esse personam demonstrare nititur ; de quo *tomo* 1. *perp. lib.* 5. *cap.* 10.

PROBATUR 7. ex disciplina Nestorianorum , quæ cum nostra prorsus consentit , & cum doctrina recentium hæreticorum corpus Christi in

solo

solo Eucharistiæ usu ac fidei actu agnoscentium, consistere non potest. Jam vero apud eos, ut & apud reliquos Orientales, Eucharistia cum cereis defertur; interea ab omnibus humi prostratis adoratur, datur infantibus, servatur pro infirmis, ex præsanctificatis celebratur liturgia, & sacra communio suscipitur: si quid ex ea in terram decidat, graves pœnæ iis, quorum negligentia id acciderit, infliguntur, &c. Quod narrat idem Renaudotius *in vindiciis perpet. fidei*, *& in notis ad Gennadium*.

Probatur 8. singulari quodam eorumdem Nestorianorum ac cæterorum Orientalium usu. Cum enim pleraque ad religionem spectantia e Græcis hauserint, id tamen apud eos in more est, ut quando priscos de Eucharistia canones Syriace, Arabice aut Æthiopice vertunt, ibique Eucharistia *typus* aut *figura* nominatur, tum hæc *typi* ac *figuræ* vocabula omittunt, eorumque loco *corpus*, *& sanguinem Christi* usurpant: adeo cavent ne Eucharistia typus & figura, sed magis Christi corpus & sanguis esse existimentur. Hanc autem eorum esse consuetudinem oculatus idem testis est Renaudotius *in vindiciis perpet. fidei*, *pag.* 355.

Probatur 9. ex Jacobitarum & Melchitarum, qui recte de Eucharistia sentiunt, ut postea probabimus, de Nestorianis testimonio. Perhibet enim idem, qui *supra* Renaudotius, *ad Gennadium pag.* 203. nunquam a Jacobitis a quibus vehementer sunt accusati, accusatos fuisse Nestorianos quod de Eucharistia aliter crederent quam reliqui Christiani. Quin etiam idem omnino Nestorianos cum aliis sensisse asserit apud eumdem *ibid. pag.* 206. Ebnassalus, insignis inter Jacobitas theologus, ut Natif. filii Yemen Melchitæ, qui illud ipsum affirmat: quod quidem etiam refert *in vindiciis perp. pag.* 393. *&* 512. Hoc pariter pronunciant monachi Cophtitæ, e quorum tractatu excerpta quædam in lucem edidit Simonius *ad Gabrielem Philadelp. pag.* 12, *&* 116. " Dissenserunt „ nationes Christianæ, inquiunt, in qualitate sanctæ Eucharistiæ, quam- „ vis conveniant circa ipsam in fide.

Probatur tandem hodiernorum etiam Nestorianorum confessione. Quod enim hodieque Nestoriani in recta fide perseverent, id non ita pridem evidentibus argumentis fuit compertum.

1. Enim Josephus Nestorianorum metropolitanus super ea re interrogatus, luculentam fidei professionem edidit anno 1669. cum Ecclesiæ suæ presbyteris, nostræ prorsus consentaneam, & Calvinianis omnino adversam, quæ ad nos est transmissa, & refertur *in generali ad Claudii Charentonensis ministri objecta responsione*, *pag.* 296.

2. Hierosolymitana synodus anni 1672. quæ non minus egregie fidem nostram exposuit, & hæreticos nostros non minus acriter damnavit, eadem testatur Nestorianos, ut & sectas omnes Orientales reliquas, idem secum de Eucharistia credere: ut monet idem Renaudotius *in vindiciis pag.* 369. *& ad Gennadium pag.* 204.

Verum

Verum ne ullus supersit vel minimo dubio locus, adjungere juvat nonnulla Orientalium, cum Nestorianorum, tum aliorum fidei ac disciplinæ capita quæ idem Renaudotius in his versatissimus refert, ut apud eos certa & pervulgata. *Vindic. pag.* 512.

1. Affirmant, inquit, ista Christi verba, *Hoc est corpus meum*, *hic est sanguis meus*, ad litteram esse intelligenda, ita ut nec metaphora ulla, nec parabola, nec figura his subesse cogitetur.

2. Contra hanc fidem suam sibi objiciunt quæcunque ex ratione ac sensibus reperi queant momenta. Ad ea autem solvenda recurrunt ad omnipotentiam Dei, quæ multa efficere potest supra sensus nostros, & infirmam rationem nostram posita.

3. Eodem modo accipiunt veterum Patrum de Eucharistia dicta, & nedum figuratas locutiones adhibeant ad explicandas alias, quæ præ se ferunt realem corporis Christi præsentiam, figuratas contra locutiones, si quando occurrant, abjiciunt, & earum loco alias simplices, atque, ut loquuntur, litterales substituunt.

4. Consentiunt omnes panem, & vinum fieri corpus & sanguinem Christi mutatione sui; hanc autem mutationem verbis expressissimis exponunt; adeo ut quamvis *transsubstantiationis* vocabulum in usu non habeant, ut nec reliqua vocabula ex pluribus composita, rem tamen ipsam non minus aperte quam Græci eloquantur.

5. Definiunt mutationem hanc fieri miraculo, & quidem omnium maximo: & in illius exemplum vulgo adducunt incarnationem. Ut enim, cum incarnatio facta est, Spiritus sanctus in virginem descendit, & ex ejus purissimo sanguine corpus effinxit Verbo; sic aiunt, dum sacra mysteria celebrantur, Spiritum sanctum in panem, & vinum illabi, ex iisque efficere corpus & sanguinem Christi.

6. Hoc fieri vi consecrationis Eucharisticæ, & invocatione Spiritus sancti.

7. Consecratione peracta, non jam in altari esse panem & vinum, sed duntaxat Christi corpus & sanguinem.

8. Paulo ante sanctam communionem, Eucharistiam populis ostendunt, ut ab is adoretur.

9. Dum ex altari extra sanctuarium effertur ad sacram laicorum communionem, eam thure cereisque accensis solemni pompa ministri prosequuntur.

10. Maxima cura simul & honore summo Eucharistiam servant. Si quid in humum ex ea forte lapsum fuerit, sacrilegium putant, nec levibus pœnis eos afficiunt, a quibus illud admittitur, etiamsi nulla forte voluntaria culpa intervenerit.

11. Ipsam in usum infirmorum ad multos dies custodiunt.

12. Infantibus juxta antiquum morem eamdem impertiuntur.

13. Multa de Eucharistia miracula narrant, nec iis modo fidem habent, quæ apud suos contigisse memorantur, sed etiam a Latinis narrata libenter suscipiunt.

14. Nul-

14. Nullam denique circa id unquam Latini cum Græcis litem moverunt, quamvis alia nonnunquam in iis reprehendant.

Hæc porro indicia sunt sanæ Orientalium fidei circa præsentiam realem & transsubstantiationem ita manifesta, ut exinde nemo de ea ambigere possit.

Quocirca unum duntaxat testimonium adjungemus Piqueti videlicet consulis olim Alepensis, postea autem Cæsaropolitani Episcopi, qui anno 1667. affirmat " omnes sectas Orientales, & cum iis Nestoria„ nam, præsentiam realem & transsubstantiationem admittere: " *tomo* 1. *perp. lib.* 4. *cap.* 14.

Objicies 1. Leontius *lib.* 3. *contra Eutychianos & Nestorianos*, apud Canisium *tomo* 4. *antiq. lectionum*, *num.* 6. testatur quosdam extitisse Nestorii asseclas, qui dixerint, " Eucharistico pani non plus inesse virtutis quam „ pani vulgari, qui in foro venditur. " Ergo illi nec præsentiam realem nec transsubstantiationem agnoscebant.

Respondeo 1. ex hac Leontii historia vix quidpiam exculpi posse. 1. Enim non satis apparet ejus orationis filum ac sensus. 2. Incertum plane est quinam essent hi Nestoriani.

Respondeo 2. illorum sententiam non solum cum nostra, sed cum Lutherana etiam & Calviniana pugnare. Nos enim in Eucharistia tria agnoscimus: realem præsentiam corporis Christi; panis transsubstantiationem, & mirabilem ac divinam omnino vim atque efficaciam. Lutherani 1. & 3. admittunt: Calviniani vero saltem ultimum confitentur. Eucharistici enim sacramenti vim eo magis extollere verbis student, quo magis rem ipsam deprimunt. Cum itaque tria hæc explodere nt illi nescio qui Nestoriani (si tamen exploserint,) a nullo audiendi sunt.

Respondeo 3. id videri hyperbolice dictum a Leontio occasione ex eo sumpta, quod Nestoriani vim Eucharistiæ prorsus everterent, dum pronunciabant eam esse corpus Christi a Verbo hypostatice sejunctum, quod *supra* ex Cyrillo explicuimus: aut istiusmodi Nestorianos suam de Eucharistiæ vi mentem verbis crudioribus exposuisse: cæterum nec præsentiam realem, nec transsubstantiationem negasse.

Objicies 2. Leontius *ibidem*, *num.* 18. de liturgia Nestorii loquens: " Audet aliud malum, inquit: aliam enim missam effutivit præter il„ lam, quæ a Patribus tradita est Ecclesiis: neque reveritus illam a„ postolorum, nec illam Basilii in eodem spiritu conscriptam; in qua „ missa blasphemiis non precationibus, τὴν τελετὴν, id est mysterium „ Eucharistiæ opplevit. " Ergo Nestorii liturgia præsentiam realem non astruebat.

Respondet 1. Simonius ad hæc Leontii verba in hunc modum: " „ Verum, inquit, integram Nestorii missam evolventi mihi nihil oc„ currit fidei orthodoxæ contrarium, nihil blasphemiæ: sed omnia sana, „ antiqua, & quæ cum germana & apostolica persuasione aptissime con„ ve-

„ veniant. Tantum abest ut eam, quæ nomen apostolorum præfert, „ liturgiam respuant Nestoriani, ut illa missalis eorum frontem occu-„ pet. Cæteræ ab ista tanquam a principe quasdam precationes desu-„ munt, & ad eam velut normam ritus suos dirigunt.

Respondeo 2. negando antecedens. Hæc enim Theodoro Mopsuesteno attribuit Leontius non Nestorio.

Respondeo 3. negando consequentiam. Leontius enim insimulat Theodorum, quod blasphemias adversus Christum in liturgiam intruserit, non quod corruperit communem de Eucharistia fidem.

Objicies 3. Lusitani, qui in India sub Alexio Menesio veteres Nestorianæ liturgiæ codices ad Romanæ normam correxerunt, eosque sic expurgatos ediderunt, *in præfatione* asseverant olim apud eos hæresim, quæ Berengarii postea dicta est, obtinuisse: atque ut error ille excluderetur, hæc verba, *in veritate*, formæ consecrationis fuisse ab archiepiscopo quodam inserta: proinde Berengarianos nostros virus istud ab Indis Nestorianis accepisse. Ergo Nestoriani non recte de Eucharistia senserunt.

Respondeo 1. distinguendo antecedens: asseverant ex conjectura nullo innixa fundamento; concedo: ex antiquis historiæ monimentis; nego. Scilicet cum apud ejusmodi Indos in sacris liturgiæ codicibus deprehendissent hanc additionem, *in veritate*, nec unde illa proveniret scirent, sibi conjectando persuasere factam eam esse ad amovendum errorem, qui olim apud eos viguisset. Verum id ex antiquis historiæ Nestorianæ monimentis non hauserunt, nec ulla commemorant. In eo itaque falluntur Lusitani, sicut & cum addunt, Europæos a Nestorianis Indis hunc errorem accepisse: quo nihil falsius dici potuit aut absurdius.

Respondeo 2. distinguendo consequens: Nestoriani quidam ab aliis omnibus damnati; esto: Nestoriani omnes; nego. Cum enim ad configendam hanc impietatem Nestoriani dicantur hæc verba, *in veritate*, eucharisticæ consecrationis formæ inseruisse, certe hoc argumento est, si qui unquam apud eos Berengariani fuerint, paucos extitisse, & a reliquis proscriptos. Unde hæc historia, qualiscunque sit, nobis favet.

Instabis. Iidem Lusitani in synodo Diamperiensi *actione* 3. notant fuisse in quodam Timothei Nestorianarum Catholici libro nonnulla contra veritatem fidei de Eucharistia, quasi non esset verum corpus Christi, sed ejus figura. Ergo.

Respondeo 1. Lusitanos illos Nestorianarum rerum, & historiarum fuisse imperitissimos, atque adeo nullius roboris esse illorum testimonium.

Respondeo 2. Timotheum quidem illum post mortem accusatum fuisse hæreseos, non Berengarianæ, ut pote quæ non nisi post trecentos abhinc annos erupit; sed alterius omnino diversæ, nempe an ho-

mo

mo Chriftus affumptus ex virgine videret Verbum æternum visione oculi ac mentis; ut teſtatur Elias eorumdem catholicus in diſputatione cum Abulcaſimo viziro.

RESPONDEO 3. etiamſi admitteremus quod ajunt Luſitani, id nobis officere non poſſe. Inde enim conſequens tantum foret hæreſim Berengarianam apud Neſtorianos Orientales longe antequam apud Europæos eſſe viſam: ſed cum illa a tota ſecta rejecta eſſe perhibeatur, & propterea in crimen vocatus fuiſſe narretur ipſemet Catholicus, hoc profecto novum erit ac certius antiquæ Neſtorianorum circa Euchariſtiam fidei indicium. Sed de his vide *tomum* 1. *perpetuitatis lib.* 5. *cap.* 10. & Renaudotium *in ſuis ad Alloixii notas obſervationibus ad calcem Gennadii pag.* 203.

De Eutychianis.

CUM Neſtorius a ſynodo Epheſina fuiſſet damnatus ob duas in Chriſtum invectas perſonas, Eutyches in oppoſitum errorem incurrit, docuitque non tantum in Chriſto unam eſſe perſonam, ſed etiam unam ſolummodo naturam; qua de cauſa paulo poſt, hoc eſt anno 450. in ſynodo Chalcedonenſi pariter eſt confixus una cum Dioſcoro Patriarcha Alexandrino, qui præcipuus ejus fautor ac patronus fuit.

Jam vero cum una in Chriſto natura quatuor modis intelligi queat, ac 1. quidem ita ut ejus divinitas in carnem ſit converſa: 2. ita ut contra humana natura a divina, ut pote digniore ac potiore, fuerit abſorpta: 3. ita ut ex duabus his naturis ſimul confuſis ac commixtis alia quæpiam enata ſit: 4. tandem ita ut ex his ſimul junctis & integris manentibus una quædam conflata fuerit, & ex ambabus ut partibus citra ullam converſionem, confuſionem aut commixtionem compoſita fuerit: in totidem ſententias Eutychiani abierunt.

Sed poſtrema apud Ægyptios Cophtitas præſertim & Æthiopes invaluit auctore illo Dioſcoro, quem ii ut ſanctum venerari deinceps non deſtitere, & cujus ſucceſſores pro ſolis legitimis præſulibus, huc uſque agnovere.

Verum apud alios, imprimis vero apud Syros & Armenos obtinuere tres priores; quæ ad mentem Eutychis magis erant, ac potiſſimum ſecunda.

Nimirum quamvis a concilio Chalcedonenſi fulmine perculſa fuerit hæreſis, non ideo extincta eſt: quin etiam in majus exarſit incendium, quo magna pars Orientis deformata eſt. Neque vero ulla unquam hæreſis in plures ramos ſeſe diffudit, & omnes quidem communi vocabulo appellari ſolent *Eutychiani*, *Monophyſitæ*, *Synouſiaſtæ*: ſed pro variis ſectis aut cauſis varia in variis locis nomina ſortiti ſunt; alii *Theopaſchitæ* dicti ſunt, quod duce Petro Cnapheo pſeudopatriarcha Antiocheno divinitatem eſſe paſſam decernerent: alii *Acephali* in Ægypto, quod a Petro Moggo, patriarcha Alexandrino præſule ſuo defeciſ-

fecissent, propterea quod synodum Chalcedonensem non damnaret: alii *Hæsitantes*: alii *Severiani* & *Theodosiani*, itidemque *Corrupticolæ* a Severo patriarcha Antiocheno & Theodosio Alexandrino, qui corpus Christi corruptibile statuebant: alii *Gaianitæ* a Gaiano, qui contra definiebat corpus Christi a primo suæ cum Verbo conjunctionis tempore corruptionis expers fuisse, & ideo vocabantur *Incorrupticulæ*: alii tandem *Jacobitæ* seu *Jacobini* a Jacobo quodam Zanzalo, non exiguæ apud Eutychianos, Syros & Armenos celebritatis homine, sic nominati: itaque illi proprio quodam jure appellati sunt *Jacobitæ*: sed hoc nomen postea extensum est ad omnes Monophysitas, etiam Cophtitas & Æthiopes.

Et quidem Jacobitæ initio meri fuerunt Eutychiani, & unam ex alterius conversione naturam in Christo admiserunt: sed temporis decursu plerique in Syria & Armenia sensim ad Dioscori opinionem dilapsi sunt, quam omnes Ægyptii & Æthiopes amplectuntur: ita ut Eutychi ipsi anathema dicere non veriti fuerint, ut cernere est apud Rainaldum *ad an.* 1247. *num.* 37. 39. & 41. Renaudotium *in. vind. pag.* 67. & *ad Gennadium pag.* 200.

An autem illi sive Eutychiani sive Jacobitæ recte de Eucharistia hucusque senserint, dubium est apud nonnullos. Calviniani enim contendunt ab iis præsentiam realem corporis Christi in Eucharistia ac transsubstantiationem nec agnitam esse, nec agnosci potuisse. Ita Albertinus *in Theodoreto*; Claudius Charentonensis minister *responsionis* 2. *pag.* 92. & nuper Banagius *lib.* 14. *hist. Eccl. cap.* 2. *num.* 1. *tom.* 2. quod jam expendendum est. Id autem ut præstemus majoris perspicuitatis gratia, 1. de veteribus Eutychianis, 2. de recentioribus, id est Jacobitis generatim; 3. de Cophtitis; 4. de Æthiopibus; 5. de Syris; 6. de Armenis dicemus.

ASSERTIO I.

VETERES Eutychiani realem corporis Christi in Eucharistia præsentiam & transsubstantiationem admiserunt.

PROBATUR 1. omnium antiquorum, qui adversus Eutychianos scripsere, aut de iis meminere, silentio. Si enim catholicam de Eucharistia fidem violassent Eutychiani id sane non permisissent illi, qui eorum errores recensent aut impugnant. Atqui de hoc capite omnes tacent. Ergo.

PROBATUR 2. ex liturgiis istiusmodi Eutychianorum. Quas enim ab Ecclesia catholica liturgias acceperant, cum ab ipsa discederent, easdem servarunt immutatas. At in iis pontifex cum sacram communionem fidelibus porrigeret, pro more dicebat, *Corpus & sanguis Domini & Dei & Salvatoris Jesu Christi*: populus respondebat: *amen*, id est, *vere*, quibus verbis fatebantur vere in Eucharistia esse corpus & sangui-

guinem Christi: unde Anastasius Sinaita *Odegi cap.* 13. *pag.* 233. adversus Timotheum, qui inter præsules Eutychianos insignis fuerat, quique docebat solam divinitatem esse naturam Christi, etiamsi incarnatus sit, disputans ad hominem, ut aiunt, & ipsum sibi contradicere demonstrans, " Impius igitur est Timotheus, inquit, cum ait, natura " Christi post incarnationem est sola divinitas. Si enim Christus est " sola divinitas, divinitas vero sub visum & tactum non cadit, neque " sacrificari potest, membrorum simul & ejus expers: liquido conficitur Timotheum ...... inficiari sacrificium & communionem sanctissimorum mysteriorum corporis & sanguinis Christi: neque credere " vereque confiteri corpus & sanguinem Christi, visibile creatum & terrestre esse quod offerens tradit his verbis populo *Corpus & sanguis* " *Domini & Dei & Salvatoris Jesu Christi*. Si enim solam divinitatem " naturam Christi esse asserit, teneri autem, & frangi, & dividi, & " transmutari, & dentibus conteri, a divinitate prorsus abhorret, in alterutram foveam Timotheus incidat oportet, ut aut divinitatem passibilem & mutabilem statuat, aut neget corpus & sanguinem Christi, " quæ offert & manducat in mystica mensa, traditque his verbis populo: *Corpus & sanguis Domini nostri Jesu Christi*: debebat enim potius " sumentem ita alloqui: *Sola divinitas Domini nostri Jesu Christi*. " Sic Anastasius ibi, quasi diceret: Juxta vos, o Eutychiani, verum Christi corpus etiamnum est in altari, & hoc ipsimet vestri pontifices profitentur dum ad sacram communionem porrigunt populis Eucharistiam. Ergo divinitas non est sola Christi natura, quod impie docet Timotheus sectæ vestræ antesignanus; aut vobiscum ipsi pugnatis.

Probatur 3. Theodoreti testimonio, aut potius Eutychianorum apud eum, fidei professione *dialogo* 2. ubi Orthodoxus & Eutychianus, quem Theodoretus *Eranisten* vocat, secum invicem disputant, an natura humana fuerit a divina absorpta, & in eam mutata. Cum enim Orthodoxus obiter, ex eo quod Eucharistica symbola sint sacramentum seu signum sensibile corporis Christi, colligeret inesse Christo corpus, sic contra Eutychianus occasionem oblatam captans, & in Orthodoxum retorquens argumentum: " Opportune, inquit, de divinis mysteriis " intulisti sermonem: nam inde tibi ostendam corpus Christi in aliam " mutari naturam: responde igitur ad mea interrogata.

" Orthodoxus. Respondebo.

" Eranistes. Qui appellas *δῶρον* donum quod offertur ante sacerdotis invocationem?

" Orthodoxus. Aperte dicendum non est: verisimile est enim adesse aliquos mysteriis non initiatos.

" Eranistes. Respondeatur ænigmatice.

" Orthodoxus. Cibum ex talibus seminibus.

" Eranistes. Alterum vero symbolum quomodo vocamus?

" Orthodoxus. Commune & hoc nomen est, poculi speciem significans.

" Era-

„ Eranistes. Post sanctificationem vero, quomodo hæc appellas?
„ Orthodoxus. Corpus Christi & sanguinem Christi.
„ Eranistes. Et credis te corpus Christi & sanguinem percipere?
„ Orthodoxus. Ita credo.
„ Eranistes. Sicut ergo symbola Dominici corporis & sanguinis „ alia sunt ante sacerdotis invocationem, post invocationem vero mu-„ tantur, & alia fiunt, ita Dominicum corpus post ascensionem in di-„ vinam substantiam mutatum est. " Sic Eutychianus disputat.

Ex quo evidenter consequitur ab ipso & præsentiam realem & transsubstantiationem fuisse admissas. Ac 1. quidem præsentiam realem. Eranistes enim ex communi Ecclesiæ fide Orthodoxum eo adducit interrogatis suis, ut fateatur panem quidem & vinum esse in altari ante invocationem Spiritus sancti, seu consecrationem Eucharistiæ, postea vero corpus & sanguinem Christi ibi esse. Proinde ex altari percipi corpus & sanguinem Christi. Hæc autem, ut liquet, præsentiam realem arguunt. 2. Transsubstantiationem ab eo pariter agnosci non minus est manifestum. Propositum enim Eranistæ est probare naturam humanam Christi in divinam esse conversam. Ex eo autem colligi humanam naturam in divinam potuisse converti, & reipsa esse conversam, quod in Eucharistia panis & vinum in corpus & sanguinem Christi mutetur. Itaque totius illius argumenti fundamentum est transsubstantiatio Eucharistica. Scilicet Eutychianus loquebatur de reali & physica conversione naturæ humanæ in divinam: eam autem astruit oblato exemplo illius, quæ in Eucharistia utrimque credebatur, mutationis: proinde vera utrimque admittebatur ac physica mutatio substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi: alioqui ridicula omnino esset disputandi ratio. Fingamus enim Ecclesiam agnovisse duntaxat in Eucharistia figuram aliquam corporis Christi in cœlo existentis, ut Calviniani volunt, absurde profecto argumentatus esset Eutychianus: ratiocinaretur enim in hunc modum: In Eucharistia panis manet panis, sed evadit in figuram corporis Christi: ergo pariter natura humana non mansit in Christo, sed reipsa in divinam est conversa. Hoc autem argumento quid insulsius esse possit non intelligo. Ergo cum Eucharistiæ exemplo astrueret humanæ naturæ conversionem in divinam, non potuit similiter non admittere veram & realem panis & vini mutationem in corpus & sanguinem Christi, ut comparatio quadret, eique vis aliqua constare videatur.

Probatur 4. ex fidei professione Gaianitarum apud eundem Anastasium Sinaitam *ibidem*, *cap.* 23. Cum enim illic Gaianitam interrogasset Orthodoxus, " Num communio sacratissimi corporis & sangui-„ nis Christi, quam offers & participas, vere est verum corpus & san-„ guis Christi filii Dei, vel nudus panis qualis ostiatim venditur, vel „ vicem duntaxat & figuram gerit corporis Christi, ut sacrificium hir-„ ci quod Judæi offerunt: " Sic Eutychianus ille respondet: " Absit, inquit,

„ inquit, ut dicamus sacram communionem esse tantum figuram cor-„ poris Christi, aut nudum panem; sed ipsum corpus & sanguinem „ Christi filii Dei incarnati vere accipimus. “ Nihil luculentius. His enim verbis jugulatur error Calvinianorum, qui existimant Eucharistiam esse, non corpus Christi, sed ejus figuram: simul & stabilitur dogma catholicorum, qui contendunt eam vere esse verum corpus & sanguinem Christi: utrumque autem ita diserte asseritur, ut nihil supra.

PROBATUR 5. ex dissertatione ejusdem Anastasii contra Monophysitas *ibidem*, *cap.* 14. Cum enim asseverent non esse veram naturam, sed solum Verbum, sic contra pugnat. “ Est, inquit, res admiratione di-„ gnissima, corpus quod sub aspectum cadit, ... quod augmentum „ capit, quod fasciis involvitur, circumciditur, ... colaphis cæditur, „ occiditur, ...quod immolatur, frangitur, dividitur, manduca-„ tur, conteritur, distribuitur & participatur, non esse naturam seu „ veritatem: Verbum vero inaspectabile, ... quod neque in partes „ diviserunt, neque manducarunt, ... hoc, inquam, Verbum naturam „ esse confitentur: atque ut aliquid tanquam insipiens proloquar, id quod „ videtur, & alicubi comprehenditur, magis ab omnibus naturæ nomen „ mereri censetur ac creditur. “ Illic, ut patet, pro confesso ab Eutychianis sumit Anastasius illud ipsum Christi corpus, quod ex virgine ortum est olim & oculis usurpatum, quod fasciis est involutum & circumcisum, quod colaphis cæsum est, & in cruce suffixum, hoc, inquam, ipsum Christi corpus quotidie in altari immolari, fidelibus distribui & ab iis manducari: & ex eo colligit hoc idem corpus veri nominis esse naturam, contra quam opinabantur Monophysitæ. Disputat enim in hunc modum: Corpus quod videtur, tangitur, immolatur, manducatur, veri nominis est natura. Atqui Christi corpus juxta communem & vestram doctrinam olim visum est & tactum, atque etiamnum immolatur in altari, indeque sumitur & comeditur. Ergo veri nominis natura est. At nullum inesset huic argumento robur, imo ne species quidem ulla aut ullus color, nisi præsentia realis ex utraque parte fuisset credita. Ergo.

OBJICIES 1. cum Claudio *supra* & *responsionis* 3. *lib.* 5. *cap.* 2. Eutychiani sentiebant nullum in Christo corpus esse; sed illud vel ab incarnationis exordio, vel ab ascensionis tempore in ipsius divinitatem fuisse conversum. Ergo non poterant simul profiteri verum Christi corpus etiam nunc sub eucharisticis symbolis latere iisque contineri: alioqui non sibi illi constitissent.

NEGO 1. consequentiam. Potuerunt enim secum ipsi pugnare: neque nostrum est præstare constantiam in hæreticis, maxime vero Eutychianis, quorum ut impia, sic etiam stolida fuit doctrina.

NEGO 2. antecedens. Quidquid enim de humana natura Christi dixerint aut senserint Eutychiani, profecto verum quoddam in eo corpus

semper agnoverunt, quod quidem pluribus historiæ monimentis omni exceptione majoribus comprobatur.

Primum petitur ex variis fidei professionibus quas identidem ediderunt.

1. Enim. Eutyches ipse in synodo Constantinopolitana ab Eusebio accusatus & interrogatus a Flaviano, " Profiteor, inquit, adventum " Christi cum carne ex beatæ virginis carne factum esse & hominem " perfectum nostra causa esse factum : " quæ referuntur *act.* 1. *concilii Chalcedonensis*. *Ibidem* " Ipsum, inquit, corpus Dei confiteor : non " dixi corpus hominis corpus Dei; humanum autem corpus.

2. Dioscorus *ibidem*, postquam dictum esset ex duabus Christi naturis, divina scilicet & humana, unam esse factam, sic rem explicat, " Neque confusionem dicimus, inquit, neque divisionem, neque con- " versionem : anathema dicenti aut confusionem, aut conversionem, " aut commixtionem.

3. Eranistes apud Theodoretum *dialogo* 2. cum Orthodoxus ab eo sciscitatus esset an Christus non tantum Deus, sed etiam homo appellandus sit, sic respondet : " Omnino, inquit : *& paulo post* : Carnem, " inquit, & animam rationalem assumpsisse Deum Verbum confitemur. " *Ibidem*, Deum & hominem Christum, ... inquit, sæpe confessi su- " mus. " *Ibidem*, de his Christi verbis disserens : *Pater mi*, *si possibile est*, *transeat a me calix iste* : " Homo, inquit, factus filius Dei, & ver- " bis & reipsa nunc quidem carnem, nunc vero divinitatem ostendit, " sicut certe hoc loco & animæ & carnis infirmitatem ostendit : est enim " timoris affectio. *Ibidem*, ex Scripturis demonstrat animam rationis " compotem & carnem in Christo esse. Quod si, inquit, post incar- " nationem anima non est intelligenda anima; nec corpus ergo corpus " intelligendum : & invenietur inane spectrum magnum dispensationis " mysterium, nullumque discrimen erit inter nos & Marcionem & Ma- " neten, qui tales fabulas commenti sunt. " Sic etiam sæpius in operis decursu suorum fidem ac doctrinam aperit Eutychianus.

4. Timotheus, de quo Anastasius *supra* non secus ac reliqui præsules Eutychiani inter administrandam communionem sacram sic ajebat, " Corpus & sanguis Domini & Dei & Salvatoris Jesu Christi.

5. Monophysitæ apud eumdem *supra*, corpus quidem in Christo esse fatebantur; sed illud non esse veri nominis naturam asserebant.

6. Jacobitæ Orientales apud Rainaldum *ad annum* 1247. *num.* 37. pariter asseverant Christum esse verum hominem.

7. Patriarcha Cophtitarum in prima fidei professione non ita pridem edita, & relata *tomo* 3. *perpet. lib.* 8. *cap.* 19. testatur a se & ab omnibus suis verum in Christo corpus agnosci : declarat idem altera fidei formula *ibidem*.

8. Æthiopes hoc ipsum in liturgia profitentur : sic enim ait sacerdos post consecrationem : " Amen, vere hoc est corpus & hic est sanguis.

" Em-

„ Emmanuel Dei nostri : amen : credo : credo : credo : amen, hoc est „ corpus, & hic est sanguis Domini, quod & quem assumpsit ex Maria „ & illius cum divinitate sine mixtione aut permutatione naturæ.

9. Idem assèverat patriarcha & primas Armenorum una cum pluribus aliis ejusdem gentis præsulibus & pontificibus *tomo 3. perp. pag.* 771. Idem alii qui in Ægypto erant Armeni *ibid. pag.* 775. Hoc fere ipsum quoque alii in Perside profitentur Armeni *ibid. pag.* 780. Et deinde, inquiunt, " quamvis credamus unam naturam Verbi incarnati juxta Cyrillum Alexandrinum, non tamen confusam juxta Eutychum „ hæreticum : sed ex perfecta divinitate & perfecta humanitate & ex „ una persona unum Dominum Jesum Christum unitum cognoscimus in- „ confuse; unde & credimus & dicimus Christum habere corpus & ani- „ mam, quod largitur pretiose omnibus digne accipientibus. " Quibus verbis nihil profecto esse potest disertius.

Secundum momentum desumitur ex intestinis, quæ inter Eutychianos exortæ sunt, contentionibus, & variis illius sectæ divortiis. Scilicet cum apud omnes vulgo Eutychianos constaret verum in Christo corpus extitisse, gravis postea exarsit inter omnes contentio, qualenam foret ejusmodi corpus, corruptibile, an incorruptibile. Et corruptibile quidem ante resurrectionem fuisse Severus pronunciabat : contra autem incorruptibile Gaianus. Hinc qui concordes prius erant, in varias factiones abierunt. Alii enim dicti sunt *Severiani* & *Corrupticolæ*; alii *Gaianitæ* & *Incorrupticolæ*. Id narrat Anastasius Sinaita *in Odego cap.* 22. " Severus, inquit, & Gaianus initio concordes erant, eam- „ demque sententiam sequebantur, & simul in decimo octavo vico Ale- „ xandriæ degebant. Quadam igitur vice interrogavit Severum Gaia- „ nus, utrum corpus Christi vocandum sit corruptibile an incorruptibi- „ le. Respondente Severo fuisse corruptibile ante resurrectionem a mor- „ tuis, secessionem ab ipso Gaianus fecit, ratus, si quis corpus Christi „ corruptibile asserat, necessario duas in Christo naturas confitendas es- „ se. Hæc est causa cur sejuncti sint. " Eamdem historiam refert Theodorus Raitensis *tomo* 11. *Biblioth. Patrum*. At nullum esse potuisset inter eos ejusmodi schisma domesticum, nisi prius pro certo habuissent esse in Christo corpus. Ergo.

Tertium depromitur ex Patribus qui Eutychianorum doctrinam nobis repræsentant.

Flavianus Constantinopolitanus episcopus, qui primus Eutychen damnavit *in epist. ad Leonem papam act.* 1. *concilii Chalcedonensis*, de Eutyche loquens; " Ajebat, ... inquit, corpus Domini non esse quidem „ corpus hominis; humanum vero corpus esse quod est ex virgine.

Anastasius Sinaita *in Odego cap.* 18. " Audiverunt, inquit, Severum „ asserentem, quemadmodum unius in homine naturæ alia pars est ani- „ ma, alia corpus; sic & in Christo ejusque una natura, unam partem „ esse divinitatem, alteram corpus.

H 2 Vigi-

Vigilius Tapsitanus *lib.* 4. *contra Eutychen*, *num.* 4. Hæc Eutychianorum placita considerans, ex iis colligit duas in Christo naturas ab iis admitti. " Dixisti, inquit, ipse Deus, qui in carne natus est, qui „ factus est inconvertibiliter perfectus homo, permanens Dei filius unigenitus, & Deo similis in virtute, & nobis similis in infirmitate. „ ... Non prudentis est in re simili dissimilia confiteri... Nostram, „ imo catholicam, adversus quam niteris, fidem confirmas. " *Ibidem* „ *num.* 12. " Qua professione, inquit, ut tecum simpliciter agam duplicem in Christo fateris esse naturam. *Ibid. nu.* 19. " Geminas profecto, „ integras, immutatas, inconfusas, Verbi & carnis fatemini esse naturas.

Quartum ex iis erroribus depromitur, qui Eutychianis olim attributi sunt, Valentinianorum nempe & Apollinaristarum. Scilicet Valentiniani, ut notum est, verum in Christo corpus agnoscebant; sed e cœlo allatum, quod per Mariam virginem, velut aqua per canalem, transiisset; ita ut ex ea nec formatum esset, nec delibatum. Apollinaristæ autem docebant a Verbo divino quidem assumptam fuisse carnem, sed animæ prorsus expertem; ita ut Verbum animæ loco ei esset, & caro in unam cum Verbo sibi conjuncto naturam coalesceret. Utrique igitur veram in Christo admittebant carnem. Jam vero incusatus est ab antiquis Patribus Eutyches, quod extinctos dudum eorum errores renovaret.

Ac 1. quidem Valentinianorum Theodoretus *in præfatione dialog. contra Eutychianos tomo* 4. " Quod, inquit, ex virgine nativitatem confi„ teantur quidem, sed eam trajectitiam dicant fuisse, nec Deum Ver„ bum quidquam ex virgine sumpsisse, ex Valentini .... dictis hau„ serunt. " *Ibidem lib.* 4. *hæret. fab. cap.* 13. " Jam pridem exoletam, „ inquit, Valentini hæresim instauravit. " Idem eis ascribunt Gennadius *de dogmatibus eccles. cap.* 2. Fulgentius *resp.* 4. *ad Ferrandum*; Ferrandus ipse *in epist. ad Anatolium*; Anastasius Sinaita *in Odego cap.* 3. Liberatus *in Breviario cap.* 11. Nicephorus *lib.* 18. *historiæ cap.* 53. Unde Vigilius Tapsitanus *lib.* 3. *contra Eutychen num.* 1. " Eutychiana hæresis, „ inquit, in id impietatis prolapsa est, ut non tantum Verbi & carnis „ unam credat esse naturam; verum etiam hanc eamdem non de sacro „ virginis Mariæ corpore assumptam; sed de cœlo dicat, juxta infan„ dum Valentini & Marcionis errorem, deductam, ... ut per virgi„ nem, ac si aqua per fistulam transiisse videatur. Denique Facundus „ *lib.* 1. *cap.* 4. " Dei genitrix, inquit, ... carnem ex se omnium Do„ mino ministravit, quod Eutyches negat. " Attamen, quod fatendum est, errorem hunc longe a se amoliri nitebatur Eutyches, ut *act.* 1. *concilii Chalced.* legere est.

2. Apollinaristarum. Domnus enim Antiochenus apud Facundum *lib.* 8. *cap.* 5. *in epist. ad Theodosium imperatorem*, " Apollinaris hæresiar„ chæ impietatem Eutyches presbyter renovare pertentat. " Unde idem Facundus *lib.* 12. *cap.* 5. " Domnus Antiochenus, inquit, ... Euty-

„ chi

„ chi Apollinaris hæresiarchæ impietatem renovare tentanti primus re-„ stitit.. " Hinc idem ipse *lib.* 8. *cap.* 4. asserit Synousiastas, sive ut auctoris sui nomine sunt vocati, Apollinaristas, progenitores Eutychianæ dementiæ fuisse.

Itaque veterum judicio non omnem Christo carnem abjudicabant Eutychiani.

QUINTUM tandem hujus rei documentum ducitur ex quatuor exponendæ Eutychianæ hæreseos modis *supra* recensitis. Sive enim dixerint in incarnationis mysterio Verbum divinum in carnem esse conversum, sive humanam naturam a divina absorptam, sive ex duabus Verbi ac hominis naturis commixtis simul ac confusis tertiam quamdam exsurrexisse, sive tandem ex iis simul junctis & integris manentibus unam conflatam esse naturam compositam; his loquendi modis omnem a Christo carnem ablegare nunquam voluere.

Primo qui definiebant Verbum in carnem esse conversum, non ideo negabant Christo inesse carnem, imo vero ne dum hacce locutione extinctam & abolitam carnem significare voluerint, si verba pressius urgeas, sic illa sonant, ut potius videri queat mutata divinitate sola post incarnationem in Christo caro superfuisse. Verum is non fuit illorum sensus. Qui enim sic loquebantur, iidem nihilominus sentiebant.

1. Deum esse immutabilem. Sic cum apud Theodoretum *dialogo* 1. *pag.* 6. Orthodoxus dixisset, " Immutabilis igitur est etiam unigenitus „ Filius, sicut & Pater, qui ipsum genuit & Spiritus sanctus : " Res-„ pondet Eranistes assentiens, " Immutabilis. " *Dialogo* 2. *pag.* 70. " Sæpe jam confessi sumus immutabilem esse Deum Verbum..

2. Deum nullam tunc conversionem esse perpessum. Eranistes *supra*, *dialogo* 1. *pag.* 6. " Non per mutationem, inquit, ipsum carnem fa-„ ctum esse dicimus; sed quomodo ipse novit. " Quandoque tamen fatebantur mutationi obnoxium fuisse tunc Verbum divinum. Sic enim Eranistes apud Theodoretum *dialogo* 1. " Qui mutationem, inquit, in „ carnem sustinuit, caro factus est, ... quomodo ipse novit. " Sed vulgo tamen negabant. Quocirca, ut duo ista simul conciliarent, ajebant Verbum esse inconvertibiliter conversum. Theodoretus *lib.* 4. *hæret. fab. cap.* 79. " Dicebat, inquit, Verbum inconvertibiliter conver-„ sum & carnem factum. Ridiculis enim ejus verbis utor.

3. Divinitatem mansisse illibatam. Eranistes apud Theodoretum, *dial.* „ 1. *pag.* 8. " Sæpe dixi, inquit, quod non per mutationem Verbum „ factum sit caro : sed manens quod erat, factum sit quod non erat. " *Dial.* 2., *pag.* 70. interrogante Orthodoxo, " An igitur conversus est in carnem? " Eranistes respondet; Nequaquam. "

Quid ergo, inquies, illi Eutychiani qui dicebant Verbum divinum eo temporis puncto fuisse in carnem conversum, iidem tamen carnem in eo admittebant? Eum enim reipsa hominem esse & carnem ei inesse arbitrabantur.

 1. Enim

1. Enim fatebantur eum esse reipsa perfectum hominem simul & Deum : *dial.* 3. *pag.* 124. " Filium Dei, inquit, Deum Verbum non " incorporeum apparuisse confessi sumus; sed humanam naturam per- " fectam assumpsisse. " Eranistes, " Hæc confessi sumus, inquit.

2. Corpus & carnem pariter in eo esse pronunciabant. Sic cum apud Theodoretum dixisset Orthodoxus *dial.* 1. *pag.* 7. " Si non carne as- " sumpta, caro factus dicitur; duorum autem alterum affirmari neces- " se est, vel ipsum in carnem mutatum esse; vel opinione tantum ta- " lem visum esse; revera autem carnis expertem esse Deum " Erani- " stes respondet : " Hæc Valentinianorum, & Marcionitarum & Ma- " nichæorum est opinio : nos vero sine controversia incarnatum esse " Deum Verbum didicimus. *Dialogo* 3. Orthodoxus, " Si corpus & " animam assumpsit humanam, hac de causa etiam filius hominis ap- " pellatus est. " Eranistes, " Verum est, inquit, *pagina* 134. " Sæpe " confessi sumus, inquit Eranistes, ipsum corpus & animam assumpsisse. Sed de prima Eutychianorum loquendi ratione satis.

Qui autem secundum loquendi modum Eutychiani sectabantur, aje- bantque naturam humanam in Christo fuisse a divinitate absorptam, licet prima fronte videantur esse debuisse magis a carne Christo relin- quenda alieni, reipsa tamen, cum penitus eorum doctrina introspici- tur, ipsam non minus quam alii deprehenduntur agnovisse, ita ut eo- dem cum primis illos recidere appareat, nec nisi verbo ab iis discre- pare.

1. Enim qui paulo superius ad primum momentum *num.* 3. a nobis appellatus est Eranistes *ex* 2. *Theodoreti dial.* unus ex illis Eutychianis, qui arbitrabantur & contendebant absorptam fuisse Christi humanita- tem ab ejus divinitate. Sic enim conceptis verbis loquitur *pag.* 77. Idem tamen mentem suam explicans, multifariam confitetur carnem in Christo fuisse nihilominus posthac superstitem, ut ibi demonstravi- mus. Ergo.

2. Idem *ibid. pag.* 48. interrogante Orthodoxo, " Perfectam ergo " dicimus a Deo Verbo assumptam Verbi formam? Perfectam, inquit assentiens Eranistes.

3. Idem *ibid.* " Non dicimus, inquit, deletam esse naturam quæ as- " sumpta est. " *pag.* 78.

4. Idem *ibid. pag.* 56. quærente Orthodoxo, " Annon divinitatem " in eo perfectam & humanitatem similiter, cui nihil deest agnosci- " mus? " Sic respondet. " Hæc, inquit, sæpe confessi sumus.

5. In Christo corpus & animam eamque rationalem esse non tan- tum confitetur, sed etiam ex Scripturis ipse probat *pag.* 55. 56. 66. 74. 124.

6. Aliam esse contendit incarnatam Dei Verbi naturam, aliam ip- " sius carnis, quam assumens Dei Verbi natura incarnata est & homo " facta : " *pag.* 70.

7. Idem

7. Idem pariter consentit a Christo, dum viveret, modo divinitatem, modo carnem, quæ sibi inessent ostensam. *pag.* 74.

8. *Ibid.* Ex his omnibus ipse conficit unam esse Christi personam cui divina pariter & humana conveniant; *pag.* 72. " Unam quidem, „ inquit, esse Christi personam, eique & divina & humana conveni- „ re rectissime dixisti, & hoc fidei decretum amplector.

Quapropter nihil manifestius esse potest quam Eutychianos, qui juxta duplicem eorum loquendi rationem profitebantur absorptam fuisse in Christo a divinitate naturam humanam, eos ipsos nihilominus veram in eo post incarnationis mysterium carnem agnovisse.

Jam vero qui tertiam loquendi rationem frequentarent, dicerentque ex duabus Christi naturis, divina scilicet & humana simul commixtis ac confusis, tertiam quamdam naturam ab ambabus differentem exsurrexisse, pauci fuerunt. Odiosum enim statim evasit *confusionis* vocabulum. Quo factum est ut Eranistes illud repudiet *dial.*2. *pag.*73. " Mi- „ hi, inquit, *confusionis* nomen vitandum videtur. " Et vero Dioscorus *Act.*1. *Concil. Chalced.* pronunciat anathema dicenti aut confusionem aut conversionem aut divisionem. Fuisse tamen hoc nomen ab Eutyche usurpatum initio verisimillimum est. Sequebatur enim Apollinarem. At Apollinaris, ut monet ipsemet Eranistes *dial.*2. *pag.* 115. confusionem primus induxit, & Domnus Antiochenus *epist. ad Theodosium imper.* apud Facundum *lib.* 8. *cap.*5. " Eutyches, inquit, ... „ pertentat apostolicas labefactare doctrinas, ... divinitatem unigeni- „ ti & humanitatem unam naturam vocans, commixtionem & confu- „ sionem asserens factam. " Ita etiam Armeni ex Perside *tomo* 3. *perp. pag.* 780. " Quamvis, inquiunt, credamus unam naturam Verbi in- „ carnati juxta Cyrillum, non tamen confusam juxta Eutychem hæ- „ reticum. " Eamdem *confusionis* vocem adhibuisse quoque primi videntur Eutychiani. Inde enim apparet prodiisse tot catholicorum adversus illam querelas & libros, sic enim v. g. Theodoretus duplicem dialogum inscripsit *Inconfusus* : *&* *in compendio bujus dialogi pag.* 179. eamdem impugnat ut ab iis assertam : sic Maxymus Martyr peculiari tractatu illam refellit : sic Leontius, *lib.* 1. *adversus Nestorium, & Eutychem*: sic Euthymius *in Panoplia tit.*7. adversus hanc confusionem scribunt. Et vero illam Timotheanis attribuit Gennadius *de dogm. Eccles. cap.* 2.

Sed quid illi hoc nomine intelligerent, & quænam esset tertia illa natura a duabus discrepans, quæ ex ambarum confusione efflorescerer, non satis compertum est. Mihi quidem omnia Eutychianorum de placitis suis, & veterum de iis scriptorum dicta diligenter expendenti, non videtur ab illis dici natura, quam illa una natura Christi ex ejus divinitate, & humanitate simul conjunctis conflata, quæ post illam conjunctionem nec esset divinitati Patris nec humanæ naturæ consubstantialis. Una enim illa natura Christi non poterat dici Patri consub-

ſtantialis propter carnem ei adhærentem , quam includebat , & quam non habet Pater : nec poteſt dici nobis conſubſtantialis ob divinitatem quam habet illa , nos vero non habemus . Sic ex iſta commixtione videtur enata eſſe quæpiam ab iis ſingulis differens natura . Namque natura compoſita differt a ſimplici. At in ſuo genere ſimplices ſunt illæ naturæ ex quibus natura compoſita eſt. Ergo ab iis diſcrepat, ut recte notat Joannes Damaſc.*lib.de natura compoſita Chriſti*, & *lib.3. de fide cap.3.* " Etenim , ut inquit *ibidem* Damaſcenus , non eſt Patri conſubſtantialis , „ quia Pater non eſt compoſitæ naturæ ex divinitate , & humanitate , „ ſed ſimplicis : ſed nec matri (Mariæ) conſubſtantialis eſt; quippe ma- „ ter ex divinitate , & humanitate compoſita non eſt . Ergo alterius eſt naturæ . Sic Eutyches videtur confuſionem naturarum intellexiſſe , & ex iis ſimul commixtis aliam quamdam effectam : ſic etiam Patres utrumque acceperunt . Certe , ut ait Theorianus *in diſput. contra Armenos* , ſi naturam unam dicis compoſitam , mutationem , & confuſionem inducis naturarum , ex quibus una eſt compoſita facta natura. Et vero Theodorus patriarcha Hieroſolymitanus *in epiſt. ſynodica* , *relata act. 3. ſynodi VII.* teſtatur ab Eutyche admiſſam unam quamdam ex duabus compoſitam naturam . Neque alia forte cauſa fuit cur Euchyches fateri vulgo nollet Chriſtum eſſe nobis conſubſtantialem ſecundum carnem . Hoc enim hæreſeos illius exordium fuit , & ab hoc ejus pronunciato cœpiſſe videtur error . Flavianus quippe *in epiſt. ad Leonem Papam* , " Dicebat , inquit, virginem quidem quæ eum genuit ſecun- „ dum carnem conſubſtantialem nobis eſſe : ipſum autem Dominum „ non ſuſcepiſſe ex ea carnem conſubſtantialem nobis. " Liberatus pariter *in breviario* referens erroris initia , " Aſſerebat , inquit , Domi- „ num noſtrum Jeſum Chriſtum conſubſtantialem nobis non eſſe ſecun- „ dum carnem . " Unde in ſynodo Conſtantinopolitana ſuper eo interrogatus , reſpondit hactenus ſe Domini corpus conſubſtantiale eſſe noſtro minime putaſſe : tamen ſi aliter Patribus videretur , ſe quoque idem dicturum . Ferrandus *in epiſt. ad Anatolium* . " Conſubſtantialem „ Filium matri , inquit , fateri noluit " Atque hoc Eutychiani plures diu propugnarunt, quod ex naturæ hujus compoſitæ conditione repetere potuerunt. Sed ne quid diſſimulemus, huic conjecturæ obſtare videtur , quod dum renuerint fateri Chriſtum nobis eſſe conſubſtantialem quoad corpus , vulgo tamen concedebant ipſum eſſe Patri æterno conſubſtantialem, ut ex illius temporis monumentis conſtat. At ſi conſubſtantialem nobis eſſe negarent propter compoſitam illam ex divinitate , & humanitate naturam , cujuſmodi non gerimus , certe eadem de cauſa nec Patri potuiſſet dici conſubſtantialis , utpote qui nec naturam ejuſmodi compoſitam habeat . Quocirca forte ſatius erit opinari Eutychen ideo negaſſe Chriſtum eſſe nobis conſubſtantialem quoad corpus , vel quod putaret carnem Chriſti e cœlo allatam eſſe , non ſumptam e virgine; vel quod exiſtimarit carnem eam licet humanam non poſſe dici con-

ſub-

ſubſtantialem hominibus, quæ non hominis eſſet, ſed Dei, & in unam cum Deo naturam coaluiſſet. Prius indicat Liberatus *ſupra*. " Aſſerebat .... Chriſtum conſubſtantialem nobis non eſſe ſecundum car-„ nem, ſed e cœlo corpus habuiſſe. " Poſterius autem Flavianus innuit. " Dicebat, inquit, ... Dominum non ſuſcepiſſe .... carnem „ conſubſtantialem nobis, & corpus Domini non eſſe quidem corpus „ hominis: humanum vero corpus eſſe, quod eſt ex virgine. " Quidquid ſit, ex his ſemper conficimus verum in Chriſto corpus ab Eutyche fuiſſe admiſſum. Non poteſt enim corpus in Chriſto non agnoſcere, qui ait ejus naturam eſſe ex divinitate, & humanitate compoſitam, aut carnem ejus e cœlo aſportatam, aut humanam quidem eſſe, & ex virgine; ſed ideo a nobis diverſam, quod Dei caro facta fuerit. Itaque tertius Eutychianæ hæreſeos exponendæ modus nobis incommodare non poteſt.

Denique quod pertinet ad eos quibus arridebat quarta loquendi ratio, quique naturam in Chriſto unam venerabantur ex duabus integris manentibus compoſitam, id profecto longiſſime aberant a negan-da Chriſti carne, cum definirent contra in Chriſto integram, quam aſſumpſerat, carnem a divinitate diſtinctam perſtitiſſe quidem, ſed in unam aliquam totalem naturam cum ea coaluiſſe, eo fere modo quo ex anima & corpore homo conficitur.

Ea porro opinio quæ Dioſcori primo fuit ac deinceps Acephalorum & ſemi-Eutychianorum, temporis lapſu apud omnes Eutychianos paſſim obtinuit, & ſola jam obtinet apud Cophtitas, Æthiopes, Jacobitas, Syros & Armenos.

" Acephali, inquit Facundus *lib.* 1. *cap.* 5. quos ſignificantius nos „ ſemi-Eutychianos poſſumus appellare, ... dicunt quoniam ſi & una „ prædicetur Filii Dei natura, poteſt accipi eadem una natura ſecundum „ aliquid naturæ Patris eſſe conſubſtantialis, & iterum ſecundum aliquid „ noſtræ.

Ibid. cap. 6. " In hoc, inquit, quod putantes unam ex duabus fa-„ ctam eſſe naturam, a fundatiſſima Patrum auctoritate diſcedunt .... „ Dicunt igitur, ſicut ex duabus naturis, id eſt anima & carne, una „ compoſita eſt humana natura; ſic ex divinitate, & humanitate una com-„ poſita eſt Chriſti natura.

Adde Sophronium *epiſt. ad Sergium relata act.* 11. *ſynodi* 6. & Nicephorum *lib.* 18. *hiſtoriæ*, *cap.* 46.

Itaque nedum inficiarentur Chriſtum eſſe nobis conſubſtantialem ſecundum carnem, contra affirmabant. At ſi Chriſtus conſubſtantialis eſt nobis quoad carnem, jam carne carere non poteſt. Ergo.

Deinde non poteſt dici ejus natura, ut aiunt, totalis eſſe ex divinitate, & humanitate conflata, niſi vera in eo humana natura agnoſceretur.

Tandem illi in exemplum compoſitæ Chriſti naturæ aſſumere conſue-

verant

verant naturam hominis ex anima & corpore conflatam. At in homine verum eſt corpus veraque anima poſt conjunctionem. Ergo & juxta eos in Chriſto poſt incarnationem vera erat humana natura, non ſecus ac divina.

Objicies 2. Qui primam loquendi rationem amplectebantur Eutychiani, nolebant confiteri corpus fuiſſe a Chriſto aſſumptum. Theodo-
„ retus enim *lib.* 4. *hæret. fab. cap.* 13. “ Eutyches, inquit, corpus aſſumptum negavit. “ Eraniſtes pariter *dial.* 1. *pag.* 19. “ Quod ſæpe
„ dixi, inquit, neque ego incorporeum apparuiſſe Deum Verbum di-
„ co; ipſum tamen non corpus aſſumpſiſſe, ſed carnem eſſe factum af-
„ firmo. “ Ergo nullum ei ineſſe corpus arbitrabantur.

Distinguo antecedens: confiteri nolebant quoad loquendi rationem; concedo: quoad rem; nego. Eutychiani eas refugiebant locutiones, quæ diſtinctionem naturarum magis arguere videbantur: ſic pati non potuere carnem Chriſti dici fuiſſe divinitatis indumentum, velamen, vel cætera id genus, ut conſtat *ex dialogo* 1. Sic etiam averſabantur eos qui dicerent corpus a Verbo eſſe aſſumptum, quod hæ voces diſcrimen aliquod præ ſe ferrent inter Deum aſſumentem, & humanam naturam aſſumptam. Hac vero potius evangelica locutione delectabantur, qua dicitur *Verbum caro factum*, quod hæc unitatem arctiorem ſonet. Cæterum Eraniſtes eo ipſo in loco qui objicitur, concedit Chriſtum non apparuiſſe incorporeum, ut & *dial.* 3. *pag.* 134. imo & alibi ſæpe hanc ipſam loquendi rationem admittit, & corpus a Chriſto fuiſſe aſſumptum fatetur Eraniſtes, *pag.* 47. 54. 55. 66. 70. 74, 124. 13;.

Instabis. Eutychianus idem *dial.* 1. *pag.* 18. Chriſtum *incorporeum*
„ vocat. “ Ego autem, inquit, eum incorporeum dico. “ Ergo.

Distinguo antecedens: vocat Chriſtum incorporeum a nobiliori parte, hoc eſt divinitate: concedo: quod corpus non haberet; nego. Scilicet Chriſtus divinitate incorporeus eſt. Eutychiani autem opinabantur eum a parte nobiliori eſſe appellandum. Sic eum Deum duntaxat appellabant non hominem, niſi urgente neceſſitate. Porro eum non incorporeum apparuiſſe mox aiebat Eraniſtes. *Dialogo* autem 3. *pag.* 140.
„ Corpus habebat, inquit, homo factus Deus Verbum.

Objicies 3. Qui apud Theodoretum *dialogo* 2. diſputat cum Orthodoxo Eutychianus, quique ſecundam Eutychianorum loquendi ratio-
„ nem aſſerit *pag.* 77. in Chriſto “ manſiſſe divinitatem, ab hac vero
„ abſorptam eſſe humanitatem: “ inſuper ſic addit *pag.* 78. “ Non dicimus, inquit, deletam eſſe naturam quæ aſſumpta eſt; ſed mutatam
„ eſſe in ſubſtantiam divinitatis. “ *Ibidem* “ Non igitur habet huma-
„ num genus. “ *Ibidem pag.* 79. “ Poſtquam a mortuis reſurrexit ca-
„ ro, mutationem in divinitatis naturam ſortita eſt. “ *Ibidem pag.* 82.
„ Non puto, inquit, te dicturum quod non in divinitatis naturam mu-
„ tatum ſit. “ *Ibidem, pag.* 83. “ Corpus Chriſti poſt aſcenſionem in

„ cœ-

„ cœlos, inquit, non puto demonstrare te posse corpus esse appellatum.
„ Proinde naturam humanam in divinam esse mutatam contendebat,
non vero superesse. Ergo.

DISTINGUO antecedens: naturam exteriorem, hoc est proprietatum & accidentium congeriem; concedo: interiorem seu proprie dictam substantiam & essentiam; nego. Itaque *natura* & *substantiæ* nomina duplici modo sumuntur, ut aliquando demonstrabimus, proprie scilicet & improprie: proprie, si accipiantur pro intima substantia & essentia rei alicujus: improprie, si usurpentur pro exteriori specie & proprietatum accidentiumque congerie. Porro Eranistes non contendebat intimam humanæ naturæ substantiam in divinitatem fuisse conversam. Ergo cum nihilominus asserit naturam humanam in divinam mutatam esse, nihil aliud eo vocabulo intellexit aut intelligere potuit, quam externam ejus speciem & proprietatum accidentiumve congeriem, quam amiserit humanitas Christi & ad se proprie veluti jure divinitas attraxerit, & in se transtulerit. Quod autem sic exponi debeat mens Eutychiani, multiplici ratione probatur.

Ac 1. quidem, ex eo quod, ut satis superque jam ostendimus, intimam humanæ naturæ substantiam post incarnationis mysterium in Christo mansisse superstitem *ibidem* frequentissime confessus fuerit, imo & demonstraverit.

2. Ex eo quod *ibidem* afferat ipse pro hujus mutationis exemplo con-
„ versionem guttæ mellis in mare. " Ego autem, inquit, dico mansisse
„ divinitatem, ab hac vero absorptam humanitatem, ... ut mare, si
„ guttam mellis accipiat: statim enim gutta illa evanescit maris aquæ
„ permixta. " At in eo casu gutta mellis amittit quidem proprium nomen, figuram, peculiarem dulcedinem: sed non amittit intimam substantiam. Ergo.

3. Ex subjecto disputationis, quæ tunc erat, argumento. Eo enim ventum erat, ut de proprietatibus & accidentibus, an manerent dissereretur.

Pagina enim 68. quæsiverat Orthodoxus ab Eraniste, " An non na-
„ turæ utriusque propria fateretur? " Eranistes vero, " Post unionem,
inquit, haud quaquam.

Ibidem pag. 71. " Si manserunt, inquit, sine mixtione naturarum
„ propria, quomodo cum corpore cibum appetit anima.

Ibidem pag. 72. " Quid autem, inquit, dicis, oportere de naturis dif-
„ ferentes, quæ cuique sunt propria ei tribuere? id mihi unionem solve
„ re videtur. " *Pagina* autem 78. interrogare pergens Orthodoxus, „
„ An non habet natura humana priorem circumscriptionem? " Eranistes respondet, " Nequaquam.

Ibid. pag. 79. " Nihil igitur, inquit Orthodoxus, post resurrectionem in
„ ea (humanitate) mansit eorum, quæ naturam declarant & manifestant.
„ Eranistes autem, " Si mansit quidpiam, non est facta divina mutatio.

Age-

Agebatur itaque illic de naturæ humanæ proprietatibus, de figura, de accidentibus, quæ naturam extrinsecus manifestant. Ea autem *naturæ* nomine appellabat Eraniftes. Sic enim paulo poft *pag.* 81. cum Orthodoxus dixiffet corpus Chrifti ante refurrectionem fuiffe quidem mortale & patibile, poft refurrectionem vero incorruptibile & impatibile & immortale, fic regerit Eraniftes: " Si eft, inquit, incorruptibile " & impatibile & immortale, in aliam naturam mutatum eft. " Amiffionem igitur corruptibilitatis & mortalitatis, & tranfitum ad incorruptionem & immortalitatem feu mutationem qualitatum, ipfe *mutationem naturæ* nominabat.

Uno verbo contendebat humanitatem poft fuam cum Verbo conjunctionem non amplius videri, tangi, palpari, circumfcribi, aut propriis humanæ naturæ indiciis extrinfecus manifeftari.

Contra autem Orthodoxus ibi & *pag.* 82. *& fequentibus* oftendit humanam naturam manfiffe circumfcriptam & oculis corporis vifam fuiffe & olim effe videndam.

Quæ cum ita fint, de exteriori duntaxat fpecie ibi tunc erat fermo, cum pronunciabat Eutychianus obforptam effe a divinitate naturam humanam, & hanc in alteram effe mutatam.

Objicies 4. Eutychianus idem *ibid.* ftatuit Chriftum *Dei* duntaxat nomine effe vocitandum *pag.* 49. " Eft igitur, inquit, Deus folum Jefus Dominus. " Ergo nullam ei humanitatem ineffe cenfebat.

Distinguo antecedens: *Dei* duntaxat nomine effe vocitandum, tanquam a parte nobiliori, & aliis de caufis fententiæ noftræ non officientibus; concedo: quod folam in eo divinitatem agnofceret; nego. Igitur ut in brevem fummam, omnia illius, quicum differit ibi Theodoretus, Eraniftæ & aliorum paffim Eutychianorum doctrinæ capita colligamus: & quæ fpecie tenus fecum invicem pugnant, conciliemus, obfervandum eft.

1. Veram divini Verbi incarnationem fuiffe ab illis admiffam. *Dialogo* enim 2. *pag.* 62. quærente Orthodoxo " Difpenfationem (incar- " nationem) veramne dicimus an imaginariam & falfam? " Eraniftes refpondet: " Veram. "

2. Juxta eofdem illam in eo pofitam effe quod Verbum affumpferit corpus & animam rationalem. *Dialogo* enim 2. *pag.* 47. fcifcitante Ortho- , doxo: " Deum ergo Verbum carnem affumpfiffe dicimus? " Omnino, inquit, Eraniftes. Pergente autem Orthodoxo ac dicente: " Carnem " autem quid intelligimus? Corpus ne folum, ut Ario & Eunomio " vifum eft, an corpus & animam "? Eraniftes refpondet: " Corpus " & animam. " Urgente autem rurfus Orthodoxo & percontante, " Qua- " lem animam: rationalemne, an eam quæ a nonnullis vegetativa feu " vitalis appellatur? " Eraniftes, " Rationalem, inquit, ego di- " co. " Inftante vero iterum Orthodoxo " Perfectam ergo dicimus a Deo " Verbo affumptam fervi (feu hominis) formam? " Eraniftes, " Perfectam,

ctam, inquit. Idem postea frequenter repetit, *pag.* nempe 55. 66. 70. 74. 124. *&* 134.

3. Quod consequens est juxta eosdem, in Christo extitisse divinitatem & humanitatem perfectam. Id enim conceptis verbis agnoscit Eranistes *dial.* 2. *pag.* 56. *& supra* retulimus.

4. Hanc divinitatem & humanitatem, si per se & seorsum ab unione considerentur, duas esse veri nominis naturas: sed post unionem nonnisi unam naturam esse. *Dialogo* 2. *pag.* 66. Eranistes " Duæ, in-„ quit, erant ante unionem, copulatæ vero unam efferunt natu-„ ram " *Ibidem pag.* 67. " Ex duabus naturis dico Christum: duas „ vero naturas non dico. " *Pag.* 68. " Ego unam novi naturam post unionem.

Cur autem duas post unionem naturas non admitterent, plures caussas allegabant: imprimis vero, ne duo filii in Christo agnoscerentur. *Dialogo* 2. *pag.* 73. " Duas naturas, inquit Eranistes, dicere nolo, „ ne duos filios dicere videar. " Ita etiam *pag.* 76. Cum tamen aliqua necessitas aderat, non dubitabant illi aliam & aliam in Christo dicere, quin etiam in eo casu tres in eo naturas recensebant, divinitatis, corporis, & animæ. *Dial.* 2. *pag.* 70. cum dixisset Orthodoxus, " Alia quidem est incarnata Dei Verbi natura, alia ipsius car-„ nis. " Eranistes assentiens, " Hæc inquit, ita habere se constat. " *Ibidem pag.* 76. cum Eranistes e Scripturis adversus varios hæreticos demonstrasset Christum esse non divinitate duntaxat præditum, sed etiam carne, & anima rationali, & insuper observasset aliam quamdam esse substantiam animæ quam corporis: subridens autem Orthodoxus eum monuisset tres ab ipso in Christum invehi naturas, cum tamen duas agnoscere recusaret, sic respondet Eranistes; " Suscepta, inquit, cum „ adversariis concertatio hoc facere cogit. " Et paulo post *ibidem*. " Non licebat, inquit, aliter adversariorum solvere argumenta: " sed „ unam tamen duntaxat Christi naturam vulgo prædicabant Euty-„ chiani.

5. Hanc unam Christi naturam primi illi Eutychiani definiebant esse naturam Verbi, naturam divinam, naturam incarnatam, uno verbo divinitatem, utpote quæ æterna, genuina, primigenia & primaria esset ipsius natura, ac naturalis ejus veluti fundus: humanitatem vero *naturæ* nomine non dignabantur; sed instar accidentis, & nominis cujusdam ac novæ accessionis habebant; imo vix ac ne vix quidem eam nominari patiebantur, velut si naturæ divinæ majestate ac splendore ita esset oppressa & obliterata, ut memorari nunquam deberet, nisi forte cum urgebat disputationis necessitas.

Eranistes *dialogo* 2. *pag.* 70. " Unam, inquit, agnosco Verbi naturam in-„ carnatam. *Ibid. pag.* 62. " Nomen Dei, inquit, nomen est naturæ, homo „ autem dispensationis.

Theodoretus *in præfatione dial. pag.* 2. " Quod, inquit, Christi Domini „ divi-

„ divinitatem & humanitatem unam naturam vocant, ex nugis Apollinaris furati sunt.

Quia igitur natura humana per sese natura est & esse debet, coniuncta autem Verbo, naturæ rationem & nomen juxta eos amittebat, hinc dicebant naturam humanam propter easdem causas a divina, esse absorptam, & humanam naturam in divinam esse mutatam.

6. Ex iis colligebant Christum solummodo Deum esse appellandum, non vero hominem, nisi cum adversus hæreticos ejus humanitatis mentio necessaria foret.

Quod enim pertinet ad nomen *Dei* multis in locis Eranistes sententiam suam declarat.

Dialogo 2. *pag.* 49. Eranistes; " Est igitur, inquit, Deus solum Jesus Dominus.

Idem *ibidem pag.* 64. allatis Christi ipsius verbis, sic subjungit: „ Ex quibus, inquit, perspicuum est, quod Deus appellari velit, „ non homo.

Idem *ibid. pag.* 49. primam ejus causam profert, " Quia, inquit, „ sine mutatione factus est homo, sed mansit qnod erat, appellandus „ est quod erat.

Idem *ibid.* secundam dat causam: " A meliore parte, inquit, facienda est „ nuncupatio.

Idem *ibid. pag.*62. tertiam commemorat rationem, " Non congruit ei, „ inquit, *hominis* nomen, sicut nomen *Dei*.... Nomen *Dei* nomen est natu„ ræ, *homo* autem nomen dispensationis.

Unde Theodoretus *in præfatione dial.* 2. *pag.* 2. " Deum tantum, „ inquit, Christum Dominum nominant. " *In demonstrationibus* autem *per syllogismos pag.* 180. " Si Deus Verbum, inquit, ut ipsi„ met dicunt, caro factus est, cur ipsum *Deum*, & *solum Deum* no„ minant?

Quod autem spectat ad *hominis* nomen sic mentem aperiebant suam.

Eranistes *dial.* 2. *pag.* 51. " Quid vero cogit vos ut servatorem „ Christum *hominem* appelletis. " *Ibid. pag.* 54. Orthodoxo petente an non quando cum hæreticis manus conserimus, qui Christum hominem negant, ejus humanitatis mentio facienda sit. Eranistes, " Sic, „ inquit, facere convenit. Eis ergo dicemus, inquit Orthodoxus, „ quod Christus non tantum Deus, sed etiam homo appellandus „ sit. " Eranistes, Omnino, " inquit. Tum Orthodoxus: Qua ra„ tione, inquit, fieri potest ut nos, qui Christum hominem appel„ lare abnuimus, hoc aliis præcipiamus.... Si res confitemur, cur nomina „ fugimus. " Eranistes, " A præstantioribus, inquit, Christum appellare „ convenit. " Sic & *pag.*62.

Idem *ibidem pag.* 55. " Hominem, inquit, appellare orbis terrarum servatorem, de Domini gloria detrahere est.

Ibidem objiciente Orthodoxo Christum ab apostolis hominem sæpe

„ esse

„ esse vocatum, " Infidelibus, inquit Eranistes, illi hanc doctrinam proponebant.

Pag. 56. " Hominem appellare Christum supervacaneum existimo, præsertim si fidelis cum fideli loquatur.

Ibidem, *pag.* 62. " Ante passionem, inquit, appellatus est homo, „ post passionem vero nequaquam.

Pag. 85. exemplo Eucharistiæ, quæ post consecrationem nomen mutat nec jam panis & vinum, sed corpus & sanguis Christi dicitur, " „ Oportet ergo etiam, inquit, veritatem (Christum) *Deum* & non *corpus* vocari.

Hinc Theodoretus *in appendice dial.* seu *in demonstrationibus per syllogismos*, *supra*, " Si Deus Verbum, inquit, ... caro factus est, „ cur .... *hominem* .... cognominare nolunt? Sed & nos qui, cum ... „ .. Deum fatemur, etiam hominem esse dicimus, vehementer accusant. " Sic igitur juxta Eutychianos natura non solum humana a divina absorpta erat; sed & ipsum *hominis* nomen absorptum erat a Deo Verbo: non quod humanitas ipsa aut homo in Christo non superesset; sed quod propter infinitam divinitatis ac Verbi dignitatem memorari non deberet.

7. Ex his omnibus rursus concludebant omnes humanitatis proprietates, omnia accidentia, omnes affectiones ac perpessiones esse naturæ Christi divinæ & Verbo attribuendas, ita ut deinceps non solum Deus diceretur natus & mortuus, sed etiam divinitas ipsa nata, visa, passa, mortua, palpata, circumscripta, ambulasse, resurrexisse. Scilicet juxta Eutychianos, unio facta erat non modo in persona, sed etiam in natura: ita ut quomodo una persona est, sic etiam esset una natura; & eamdem communionem idiomatum admitterent illi in natura, quam nos in persona agnoscimus. Nempe omnes proprietates & accidentia, omnes affectiones & perpessiones attribuendæ sunt aut supposito aut naturæ. At in Christo nullum est suppositum nisi Verbi, & juxta Eutychianos nulla est alia natura quam divinitas. Ergo soli aut Verbo aut divinitati ascribenda sunt: sicque humanitas, quæ suppositum non est, nec juxta eos natura, nihil habet in Christo quod ipsi tribuatur. Itaque a divina absorbetur, etiam quoad suas proprietates, ut pote quæ ab illa veluti transeant in divinitatem. Sic etiam eoque sensu dicebatur divinitas esse conversa in carnem, quod in ejus conditionem quadantenus migrasset, & omnes ejus induisset proprietates. Ambæ enim illæ loquendi rationes eodem relabuntur. Attamen non ita delirabant Eutychiani, ut dicerent divinitatem in se & per se esse passam; sed eam carne duntaxat esse passam & mortuam opinabantur.

Domnus Antiochenus *in epist. ad Theodosium imperatorem*, apud Facundum *lib.* 8. " Eutyches presbyter, inquit, pertentat apostolicas labefactare doctrinas, ... salutarem passionem ipsi incontaminabili „ divinitati annectens.

Theo-

Theodoretus *lib.* 4. *hæret. fab. cap.* 13. " Dicebat ..... (Eutyches), " inquit, cruci affixam & appensam fuisse unigeniti divinitatem, eamdem tumulo mandatam, resurrexisse.

Idem *in præfatione dialog.* " Quod Christi divinitati, inquit, passionem tribuunt, ex Arii & Eunomii blasphemia compilarunt.

Eranistes *dial.* 1. *pag.* 11. ex eo colligit divinam naturam in humanam esse conversam, quod in Bethleem nata sit: " Optime fecisti, " inquit Orthodoxo, totum prophetæ Michææ laudans testimonium. " Ostendit enim Deum esse qui in Bethleem natus est. " Pro eodem accipit ibi Deum & divinitatem. Unde Orthodoxus eum refellens, " Non Deum modo, inquit, verum etiam hominem. " *Ibidem* ex Jeremiæ vaticinio instans, probare nititur divinitatem esse visam, quod ibi dicatur visus qui solum est Deus. *Pag.* 12. " Ad Jeremiæ prophe-" tiam, inquit, quid dices? Illa enim solum esse Deum prædicat ..... " *Hic Deus noster: non reputabitur alius præter eum ..... Post hæc in ter-" ris visus* ..... In his propheta nec de carne, nec de humanitate, " nec de homine, sed de solo Deo vaticinatus est. " *Ibidem* tamen alia ex parte confitetur naturam divinam citra dubium ullum esse invisibilem. Idem *dialogo* 2. causam, cur ita loquerentur, exponit *pag.* 72. cum enim dixisset Orthodoxus, " Sic de Christo habenda est ra-" tio, ut cum de naturis loquimur, sua cuique tribuamus, sciamusque " divinitatis quædam esse propria, & quædam humanitatis: at cum de " persona verba facimus, communia facienda sunt, quæ naturarum sunt " propria: " Contra Eranistes in hanc communionis idiomatum regulam " insurgens, " Unam quidem, inquit, esse Christi personam, eique & " divina & humana convenire, rectissime dixisti: & hoc fidei decre-" tum amplector. Quod autem dicis, oportere de naturis differentes " quæ cuique sunt propria ei tribuere, id mihi solvere unionem vide-" tur: quare hos & similes sermones non approbo.

Ibid. pag. 68. pronunciat humanitatem spoliatam esse propria natura & circumscriptione, quod *supra* retulimus. Contra ipsum autem probat *pag.* 82. & 83. Orthodoxus divinitatem nec circumscriptam esse, nec unquam visam, nec videri posse.

Idem *dial.* 3. *pag.* 127. naturæ divinæ lassitudinem tribuit. Interrogante enim Orthodoxo " Divinæ igitur lassitudinem naturæ tribuis? sic mihi videtur, " inquit, " *Ibid. pag.* 117. " Ideo, inquit, carnem assum-" psit Verbum ut per patibile id quod erat impatibile passionem sustine-" ret. " *Ibidem* " Dixi quod carnem assumpserit ut pateretur. *Ibidem*, " Natura divina immortalis est, carnis vero mortalis. Unita est itaque mortali immortalis, ut per eam gustaret mortem.

Pag. 120, " Carne dicimus ipsum mortem sustinuisse. " *Ibidem*, " Cur igitur, inquit Orthodoxo, non dicitis Deum Verbum carne esse passum?

Pag. 144. " Nec ego, inquit, Deum Verbum dico sine corpore pas-" sum

„ ſum eſſe, ſed carne paſſum eſſe aio. *Ibidem*, Impatibiliter ipſum paſſum eſſe dicimus.

Ibid. pag. 145. exprobrante Orthodoxo, quod impie diceretur divi-
„ nitas eſſe paſſa, " Deſine, inquit, impietatem nobis objicere: non
„ enim nos naturam divinam paſſam dicimus, ſed humanam; divi-
„ nam vero una cum corpore paſſam eſſe.

Itaque nihil innovavit Petrus Gnapheus Antiochenus epiſcopus, ſed antiquis & communibus inhæſit hæreſeos ſuæ placitis, cum docuit divinitatem eſſe paſſam, & ſectæ Theopaſchitarum initium dedit, ad Triſagii, quo Deus ter ſanctus celebrabatur, finem, hanc clauſulam addens, *Qui paſſus eſt pro nobis*, *miſerere nobis*: quod infinitis in Orientali Eccleſia turbis dedit locum, & maximam ei apud catholicos conflavit invidiam: de quo Petavium vide *lib.* 1. *de Incarnatione cap.* 15. *num.* 4. *&* *cap.* 16. *num.* 5. *&* 8.

Hoc autem virus ab eo hauſtum, Jacobus Zanzalus ſectæ Jacobitarum conditor, ſuis inſtillavit, ut narrant Nicephorus *lib.* 18. *hiſtoriæ cap.* 52. & anonymus *de hæreſi Jacobitarum*.

Hinc Armeni ejus quondam diſcipuli dicuntur ab eodem Nicephoro *ibidem*, ſenſiſſe divinitatem ipſam unigeniti Filii cruci affixam & in ſepulchro collocatam fuiſſe: unde & *Theopaſchitæ* nominati ſunt.

An vero exiſtimaverint divinitatem ipſam dolori fuiſſe obnoxiam, non ita exploratum eſt. In eam enim partem inclinat Eraniſtes *dialogo* 3. *pag.* 145. Contra autem *in appendice pag.* 184. ita loquitur Orthodoxus, quaſi id ut blaſphemum rejicerent Eutychiani.

Quidquid ſit, ex his omnibus & ſingulis, opinor, liquet Eutychianos verum in Chriſto corpus & veram carnem ſemper admiſiſſe, nec eorum doctrinam poſſe exponi, quin ſtatim undequaque pateat eos nunquam ab hac fide receſſiſſe.

Unum hoc addamus ex dictis conſequens; nempe corpus Chriſti ab ipſis fuiſſe dictum non hominis corpus; ſed Dei aut divinitatis, licet humanum per ſe corpus eſſet.

Ita enim Flavianus *ſupra*, *in epiſt. ad Leonem*, teſtatur Eutychem dixiſſe corpus Domini non eſſe quidem corpus hominis; humanum vero corpus eſſe, quod ex virgine eſt.

Ita Euthymius *tit.* 20. de Armenis Eutychianis loquens, " Affir-
„ mant, inquit, ... Chriſti carnem in divinitatis naturam converſam:
„ atque ut mellis aut aceti ſtilla in altum mare demerſa nec videtur
„ amplius, nec ſubſiſtit, ita corpus illud divinitatis commixtum pela-
„ go ac depreſſum, naturam ſuam non amplius retinet, nec pro-
„ prietatem conſervat. Propter hoc, inquiunt, in Chriſto non ſunt na-
„ turæ duæ, ſed una tantum eademque tota divinitatis: unde & ſacri-
„ ficium panis carnis Chriſti, non corpus eſſe Chriſti, ſed divinitatis
„ corpus prædicant.

Utrum vero hoc corpus in divinitatis proprietates quodammodo tran-

fierit, dum divinitas in humanitatis proprietates migravit, factumque fuerit spiritale, inaspectabile, incorruptibile, variabant Eutychiani.

Eranistes enim apud Theodoretum & alii vulgo sentiebant corpus illud patibile fuisse & mortale, nec divinitatem dici passam nisi propter corpus, cui erat conjuncta.

Alii, ut Gaianitæ *supra* & Armeni, apud Euthymium mox laudatum, asserebant Christum non suscepisse consubstantiale nobis corpus, sed incorruptibile & impatibile, subtile, increatum & cœleste. Idem porro aspectari solitum, manducare, bibere & cætera hominum habere propria specie tenus. Quo & nonnulla referri possunt identidem *in dialogo* ab Eranifte dicta.

Quapropter Eutychiani sæpius accusati sunt, quod in Docetarum seu Phantasiastarum impietatem reciderent. Hujus enim erroris eos insimulavit Leo Magnus *epist.* 1. *&* 23. Anastasius Sinaita *Odegi cap.* 6. Vigilius Tapsitanus *lib.* 3. initio; Joannes II. papa *in epist. ad Avienum aliosque senatores*; Damascenus *lib. de hæresibus*: Harmenopulus *de sectis hæresi* 5. Nicephorus modo, & alii.

ASSERTIO II.

JACOBITÆ circa Eucharistiam non erraverunt.

PROBATUR 1. ex iis quæ *supra* universe de Eutychianis dicta sunt. Cum enim Jacobitæ ex Eutychianorum grege sint, & Eutychiani sanam & catholicam de Eucharistia fidem non violaverint, eam quoque Jacobitæ integram & illibatam servasse merito censentur, ac, nisi aliud probetur, omnino censendi sunt.

PROBATUR 2. omnium, qui de iis eorumve erroribus verba fecere, auctorum super ea re silentio.

Multi enim ex antiquis, multi ex recentioribus generatim de hæresibus libros ediderunt: nullus vero hanc eis hæresim affixit. Inter alios legi possunt Guido Carmelita *in summa de hæresibus*, ubi late exponit errores Jacobitarum; Bernardus de Luxemburgo *in catalogo hæreseon*, verbo *Jacobitæ*; Prateolus *in elencho hæreticorum omnium*, verbo *Jacobitæ*; Daviti *de hæresibus antiquis & novis*.

Multi veteres speciatim quæ esset Jacobitarum doctrina, qui errores, studiose exposuerunt, aut de iis fecerunt mentionem, aut etiam adversus eos pro suo in catholicam fidem studio pugnarunt, iique cum Græci tum Latini & Orientales.

E Græcis quidem Anastasius Sinaita Jacobi sectæ conditoris fere æqualis *in Odego* apud Euthymium *tit.* 15. *pag.* 628.

Damascenus de *hæresibus num.* 83. *tomo* 1. *monimentorum Ecclesiæ Græcæ Cotelerii*.

Nicephorus Constantinopolitanus *can.* 33. *tomo* 3.

Timo-

Timotheus ex Nicone *tomo* 3.

Græci in Latinos *ibid.*

Theodorus Abucara *tomo* 11. *biblioth. Patrum*.

Nicephorus Callixtus *lib.* 18. *historiæ*, *cap.* 45. 52. & 53. idque fuse.

E Latinis vero,

Humbertus Sylvæ-Candidæ episcopus *tomo* 4. *biblioth. Patrum*, *parte* 2.

Jacobus de Vitriaco, quondam in Palæstina episcopus, ubi diu cum Jacobitis versatus fuerat, &. in eorum fidem ac ritus diligenter inquisierat, quæ postmodum accurate exposuit *in historia Hierosol. capit.* 75.

Matthæus Paris *in Henrico* 3. *pag.* 426. *ad annum* 1236.

Sanutus.

Anonymus *in Epitome bellorum sacrorum tomo* 6. *Canisii*.

Burchardus *ibid. in descriptione terræ sanctæ*, quam inviserat & in qua frequentes occurrebant Jacobitæ.

Ayto Armenus Jacobitarum popularis *cap.* 13. & 14.

Willebrordus ab Oldemborg, *in itinerario terræ sanctæ*.

Godefrigus monachus Sancti Pantaleonis.

Auctor Gallicus *Mappemundi* manuscriptus apud Cangium, verbo *Jacobitæ*.

Bartholomæus a Saliniaco *in itinerario terræ sanctæ fol.* 31.

Auctor *chronici Orientalis* ab Abrahamo Echellensi editus, *pag.* 50. 60. 120. 121. 122.

At nullus ex tot scriptoribus istum circa Eucharistiam errorem notat in Jacobitis, aut contra dimicat, licet alia non tantum gravia, sed minutiora recenseant.

Multi pariter recentiores ex professo de propriis sectarum Orientalium ac nominatim Jacobiticæ placitis ac opinionibus scripserunt tam catholici quam heterodoxi: quam plurima in iis observant circa alia fidei capita, alia quoque circa Eucharistiam: sic enim Jacobitas reprehendunt quod sal fermento ad Eucharistiam conficiendam admiscerent: de ipsa autem Eucharistiæ summa omnes ad unum tacent: de quo consule

Rainaldum *ad an.* 1236. *num.* 90. & *ad an.* 1326. *num.* 28.

Bzovium *ad an.* 1330. *num.* 52. & *ad an.* 1349. *num.* 18.

Spondanum *ad eosdem annos*, & *ad annum* 1553. *num.* 18.

Leonardum episcopum Sidoniæ, apud Thomam a Jesu *lib.* 7. *capit.* 14.

Bionium *in historia imperatoris Tartarorum lib.* 4. *cap.* 17.

Thomam a Jesu *supra*.

Abrahamum Echellensem *in notis ad can.* 7. *concilii Niceni*, & *in epistola ad Morinum*, *ad calcem Gabrielis Philadelphiensis*.

Sacchinum *in historia societatis suæ, parte 2. lib. 6.*

Simonium, non suspectæ apud heterodoxos fidei testem, *in notis ad iter Libani, in præfatione*, & *historia critica fidei Orient. cap. 9.*

Thevenotium *in itinerario, parte 2. cap. 55.*

Herbelotium *in bibliotheca Orientali*, verbo *Jacoub-aberdaim*, & verbo *Souiros.*

Renaudotium *in vindiciis perpetuitatis*, & *in præfatione ad Gennad. pag. 11.*

Joannem Gotovicum *in itineratio Hierosol. lib. 2. capit. 6. pagin. 322.*

Hoornebeckum, Hottingerum, Breerevodum heterodoxos.

Uno verbo omnes sive qui itineraria, sive qui historias conscripsere, omnes, inquam, nullo excepto, id silent. Nullus ne minimam quidem injicit suspicionem. Nullus vel levi conjecturæ dubio locum facit.

Quis autem non intelligat hujus silentii vim omni exceptione majorem esse? Nec enim casu vel de industria fieri potuit, ut in ejusmodi silentium conspirarint tot variarum gentium & ætatum scriptores, tam diversis ad scribendum rationibus impulsi, tam varie in Jacobitas & alios animati? Quid enim huic consensioni opponi potest? An quod ignorarint illi omnes peculiarem Jacobitarum ea de re doctrinam? At quomodo fugere potuit tot viros doctos, qui catholicæ fidei zelo in id toto animo incumbebant, ut errores Jacobitarum detegerent & convellerent? Qua arte incognita mansit iis, qui cum Jacobitis morabantur, & pro officio in eam inquirebant? Quo pacto popularium diligentiam fefellit? Qui latuit tot historicos, tot eruditos, tot curiosos, tot in eorum regionibus peregrinantes, tot in eorum libris versatissimos viros? At sedem apostolicam latere præsertim non potuit, nec summos pontifices, qui a tempore Innocentii IV. frequentes ad eam sectam cum Ecclesia catholica in concordiam revocandam legatos mittere non destiterunt, & innumerabiles hactenus in eorum regionibus evangelicos operarios habuerunt. Cum nullus ergo ex summis pontificibus eos propter hunc errorem arguerit aut damnarit, ignorantiæ tribui non potest hoc tam generale de Jacobitis silentium.

An igitur existimabitur ex eo provenire, quod is error esset levis? At contra capitalis est. Aliunde vero *ibidem* multa alia leviora prosequuntur. An quod nulla causa esset cur eum notarent? At catholicos ad id observandum movebat religionis amor; hæreticos rei veritas; viatores singularis observationis novitas & occasio; Calvinianos sectæ suæ studium, doctrinæ consensio, in Ecclesiam odium. Itaque licet hoc argumentum inficiale sit, ineluctabilis plane roboris iis apparebit, qui illud expendere voluerint.

PROBATUR 3. ex liturgiis Jacobitarum. Testatur enim Renaudotius *ad Gennadium pag. 211.* se præ manibus habere triginta sex & plures litur-

liturgias Jacobiticas ex optimis codicibus exſcriptas, in quibus multa ſunt & evidentia præſentiæ realis a Jacobitis creditæ indicia.

PROBATUR 4. ſcriptorum Jacobitarum teſtimoniis quæ refert Renaudotius *in vindiciis pag.* 136. & inter alios Joannis Abuzachariæ cognomine Abuſebah *in tract. de ſcientia Eccleſiaſtica cap.* 83,

PROBATUR 5. Jacobitarum cum Melchitis & Neſtorianis in ea re conſenſione. Ebneſſalus enim inſignis inter Jacobitas theologus aſſeverat, apud Renaudotium *in appendice Gennadii pag.* 206. concordem eſſe omnium illarum ſectarum de Euchariſtia fidem.

PROBATUR 6. eorumdem Neſtorianorum ac Melchitarum de ſe & Jacobitis teſtimonio. Id enim affirmant Ebneltaib Neſtorianus & Natif filius Jemel Melchita *ibid.*

PROBATUR 7. ex quatuordecim communibus Neſtorianorum & Jacobitarum fidei ac diſciplinæ capitibus, quæ ex Renaudotio *in vindiciis pag.* 512. retulimus *ſupra*, cum de Neſtorianis verba faciebamus.

PROBATUR 8. ex ritibus apud Jacobitas ſicut & alios Orientales uſitatis. Sic enim v. g. Jacobitæ ex præſanctificatis liturgiam celebrant, ut monet idem Renaudotius *ad Gennadium pag.* 209. At is ritus aperte arguit Chriſti corpus conſecratione facta in Euchariſtiæ ſacramento permanere, nec in ſolo eſſe uſu aut ſumptione, quod Calviniani & Lutherani ſomniarunt. Unde idem Renaudotius *ibidem*, " Quod illa (li-
„ turgia) inquit, Proteſtantium doctrinæ penitus repugnet, argumento
„ eſt illius ſimul cum adoratione & aliis ritibus, qui abſque realis præ-
„ ſentiæ fide locum non habent, apud omnes Reformatos, abro-
„ gatio.

OBJICIT Claudius. Iacobitæ ſunt Eutychiani. At Eutychiani quodlibet corpus Chriſto abjudicant.

NEGO minorem, quam *ſupra* confutavimus. De his conſule Simonium *ad Gabrielem Philadelphienſem pag.* 194. &c.

ASSERTIO III.

COPHTITÆ Ægyptii circa Euchariſtiam non errant. Eſt adverſus Claudium *ſupra*.

PROBATUR 1. ex iis, quæ *ſupra* de Eutychianis & Jacobitis diſputata ſunt. Cum enim illi molliores Eutychiani ſint & mitigati Jacobitæ, quæ pro his in commune dicta fuerunt, in illos magis valent.

PROBATUR 2. omnium qui de Cophtitis unquam eorumque religione ſcripſerunt ſuper ea re ſilentio. De Cophtitis diſſerunt

E catholicis Andreas Maſius librorum Orientalium peritiſſimus; Baronius *ad calcem tomi 6. annalium;* Rainaldus *ad an.* 1432. Spondanus *in annalibus*; Ludovicus Patricius Romanus *in itineraria;* Athanaſius Kirkerus *in prodromo Cophtico*; Allatius *de conſenſu utriuſque Eccleſiæ lib.* 3. *cap.* 8. Thomas a Jeſu *lib.* 7. *cap.* 5. Vanslebius *in hiſtoria Eccleſiæ Cophticæ ;*

Auctor *perpetuitatis fidei tomo* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. Bulæus *in itinerario & observationibus suis parte* 3. *cap.* 2. Thevenotius *parte* 2. *cap.* 7. Herbelotius *in biblioth. Orient.* Sacchinus *in historia societatis suæ*; Simonius *in historia critica fidei gentium Orientalium*, & *in notis ad Gabrielem Philad.* Renaudotius *in vindiciis*, *& in appendice ab Gennadium*.

Ex heterodoxis Josephus Scaliger, qui epistolam habuit ab Ignatio patriarcha Antiocheno ad se scriptam, quæ edita est in lucem, & in qua de Cophtitarum natione sermo habebatur.

Chytræus *in orationibus suis*; Georgius Douza *in itinerario Constantinopolitano*; Joannes Cotovicus *in itinerario Jerosolymitano & Syriaco lib.* 2. *cap.* 6. Gerardus *de Ecclesia Cophtica*.

Inter eosdem vero heterodoxos Hoornebek Breerevodus & Hottingerus catalogos texuerunt opinionum, quibus sectæ Orientales ab Ecclesia Romana dissiderent.

Nullus tamen est inter eos sive catholicos sive hæreticos, qui moneat Cophtitas a catholicorum doctrina dissentire quoad id caput. Proinde reipsa in eo concordant. Neque enim ignorare illi potuerunt, quænam esset Cophtitarum fides. In libris enim sectarum Orientalium eruditissimi sunt Masius, Kirkerus, Herbelotus, Simonius, & Renaudotius. In Oriente aut etiam apud Cophtitas versati sunt Ludovicus Patricius, Thomas a Jesu, Vanslebius & Herbelotus. Cophtitas Romæ viderat Baronius. In eorum religionem alii dedita opera inquisierunt. At si non ignoraverunt, certe nec dissimulassent errorem; præsertim cum alia leviora, idque circa ipsam Euchariftiam notent.

Probatur 3. multiplici Ecclesiæ Ægyptiacæ ac Cophticæ cum Romana reconciliatione. Sic enim v. g.

Anno 1237. sub Gregorio IX. Cophtitarum archiepiscopus in gremium Ecclesiæ catholicæ admissus est, & Romanæ sedi se subjecit, rem promovente Philippo Dominicanorum in Palæstina Priore, ut ipsemet refert apud Rainaldum *ad eumdem*, *num.* 87.

Anno 1441. & 1442. rursus in apostolicæ sedis gratiam & ad Ecclesiæ catholicæ sinum reversi sunt Cophtitæ sub Eugenio IV. Acta redintegratæ unionis fuse comprobat Rainaldus *ibidem*, & extant *tomo* 13. *conc.*

Anno 1562. sub Pio IV. nova inita concordia est agente Roderico, qui ad eos legatus missus fuerat: de quo idem Rodericus apud Sacchinum *lib.* 6. Rainaldus *ad eum annum*, & Simonius *in historia fidei Ecclesiæ Orientalis cap.* 10.

Anno 1582. sub Gregorio XIII. iterum tentata est. Tunc enim habita est Memphi synodus, in qua omnia discussa sunt, errores retecti, exposita catholica fides. Jamque prope erat ut Cophtitæ ad sanam doctrinam redirent, cum aliquorum malignitate omnia pacis consilia disturbata sunt. De quo Thomas a Jesu.

Anno 1593. sub Clemente VIII. agente Gabriele Alexandrino; Cophtitarum patriarcha, cujus reconciliationis acta retulit Baronius *supra*, *tomo*

tomo 6. annal. Atque in eam quidem reconciliationem acriter insurrexit Grogorius Douza, eamque ut fictitiam audacter explosit, eo potissimum argumento, quod Alexandrinæ Ecclesiæ præsul tunc esset Meletius Pyga, non Gabriel: Douzan secuti sunt Chytræus, Cotovicus, Regenvolscius, Breerevodus, Hoornebek, imo & Thomas a Jesu *libro* 7. *cap.* 6. nec non & Simonius *cap.* 11. Atque in eam partem inclinat Thuanus. Sed Douzan egregie refellit Allatius, docuitque duos fuisse tum simul, ut & semper, in Ægypto patriarchas Alexandrinos, alterum Melchitarum, alterum Cophtitarum, & his quidem præfuisse Gabrielem, illis Meletium. Quod idem amplexus est auctor *perpetuitatis tomo* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. & postmodum allatum aut memoratum Alexandrinorum præsulum catalogum firmarunt Vanslebius *in historia Ecclesiæ Alexandrinæ*, & Renaudotius *in vindiciis pag.* 25. & 68. & ex instituto *in sua de Meletio Pyga observatione ad Gennad. pag.* 92.

Anno denique 1637. sub Urbano VIII. eamdem unionem instauravit Matthæus Cophtitarum patriarcha Constantinopolitanus, cujus litteras Arabice scriptas ad summum pontificem exhibet idem Allatius.

Jam vero dubium esse nemini potest, quin ante unamquamque reconciliationem multa præcessissent colloquia, multæ ultro citroque disceptationes. Ad unionem enim hinc Cophtitas invitabant apostolici viri in eas regiones ab apostolica sede missi; illinc præsules diu resistebant. Neque enim brevi res tanta conficiebatur. Igitur utrimque dogmata innotescebant. Alia enim erant deserenda, alia amplectenda. Proinde si errassent illi circa Eucharistiam, aut a nobis dissensissent, profecto hoc caput, ut inter alia præcipuum memoratum esset, & ejusmodi erroris ejuratio a Cophtitis postulata esset & præstita. At nullum occurrit usquam ejusmodi ejurationis vestigium. Ergo reipsa in hoc capite cum apostolica sede concordes erant Cophtitæ Ægyptii.

PROBATUR 4. ex liturgiis Cophticis. Tres enim illi liturgias habent, ut perhibet Vanslebius *parte* 2. *pag.* 28. nempe sanctorum Basilii, Gregorii, & Cyrilli nominibus inscriptas, ex quibus Æthiopicæ manaverunt. Hæ porro liturgiæ, quæ vetustissimæ sunt, ut pote a scriptoribus undecimi & duodecimi seculi jampridem laudatæ, transsubstantiationem panis in corpus Christi & præsentiam ejus realem in Eucharistia clarissime sonant. Hujus autem rei plura sunt indicia.

Primum Oratio qua sacerdos in iis omnibus sicut & in Græcis Spiritum sanctum invocat, ut panem in corpus Christi, & vinum in ejus sanguinem mutet, convertat, transferat.

In liturgia Basiliana, " Rogamus te, Christe Deus noster, inquit, „ . . . . ut adveniet Spiritus-sanctus tuus: . . . & hunc panem faciat „ corpus sanctum ipsius Domini nostri . . . . Jesu-Christi, . . . & hunc „ calicem, sanguinem pretiosum . . . . Jesu-Christi.

In Gregoriana, " Tu Domine noster, inquit, voce tua sola conver„ te has oblationes, mitte super nos gratiam Spiritus-sancti tui, qua

„ sanctificet ac transmutet oblationes propositas in corpus & sangui-
„ nem Servatoris nostri &c.

In Cyrillina, " Mitte, inquit, Spiritum sanctum tuum . . . . super
„ has oblationes tuas pretiosas, ut sanctificentur & transmutentur : . . .
„ & hic panis fiat corpus sanctum Christi . . . . Amen : & hic calix
„ pariter sanguis Christi. Amen.

De quo auctor *perpetuitatis fidei tomo* 1. *lib.* 5. *cap.* 13. & post eum Simonius *ad Gabrielem Philadelphiensem pag.* 155. 186. 192. & 224. & 290. Renaudotius *in vindic. pag.* 387. 518. & *in præfat. ad Gennad. pag.* 9. 24. & 25. & *in suis ad Allixii notas observationibus*, *ibid. pag.* 206.

Secundum est allocutio qua facta consecratione sacerdos idem Christum affatur præsentem.

In liturgia Gregoriana, " Benedictus es, Jesu Christe, Deus noster
„ omnipotens, inquit, qui factus es homo, & cum hominibus conver-
„ satus es, quique incarnatione tua mirabili præparasti nobis hunc pa-
„ nem cœlestem, qui est corpus tuum sanctissimum, sacrum vere my-
„ sterium, qui præparasti nobis hunc calicem ex vera vite, id est e
„ divino latere tuo.

In Cyrillina vero, " Dignare Domine largiri nobis verum illum car-
„ bonem, qui vivificet mentes nostras, corpora nostra & animas no-
„ stras, qui est corpus sacrum & sanguis pretiosus Christi tui : neque
„ iis communicemus ad judicium & ruinam nostram.

Tertium tandem, idque disertissimum, est fidei professio, quam super Eucharistia, simul ac consecrata est, edunt sacerdos & populus. Dum enim præ manibus Eucharistiam habet minister ad sacram communionem porrigendam, & ait SANCTA SANCTIS, eamque sustollit, ut fidelibus humi prostratis & adorantibus ostendat.

In liturgia S. Basilii sacerdos Græce sic loquitur, " Corpus sacrosan-
„ ctum & sanguis pretiosus filii Dei : populus autem respondet : Amen.
„ Sacrosanctum & pretiosum corpus & sanguis verus Jesu Christi. Tum
„ sacerdos : Corpus, inquit, & sanguis Emanuelis Dei nostri, hoc est
„ in veritate. Amen. Credo, credo, credo, & confiteor usque ad ex-
„ tremum spiritum : hoc est corpus vivificum, quod accepisti, Chri-
„ ste Deus noster, a domina nostra Deipara, & unum fecisti cum di-
„ vinitate tua, sine commixtione & confusione, & sine mutatione, &
„ tradidisti illud pro omnibus nobis sponte in ligno : . . . Credo, cre-
„ do, credo hoc revera ita esse. " Sic & in reliquis liturgiis ex qui-
„ bus eamdem fidei confessionem expresserunt Æthiopes.

Hæc autem confessio, ut eam vocant, tanto apud eos in pretio habetur, ut juxta Ecclesiæ Cophticæ libros rituales, nemo aut episcopus aut presbyter consecrari possit, quin consecrans episcopus particula Eucharistiæ in manu consecrati posita ab eo hanc confessionem exigat; & ne cui verbo desit, singulas ei voces suggerat inter pronunciandum. Si autem

autem ſit extraneus qui conſecratur, hanc confeſſionem lingua propria edere debet, ut de recta ejus fide certa eſſe poſſit omnis Eccleſia.

Et vero id obſervatum fuiſſe legitur in hiſtoria patriarcharum Alexandrinorum, dum in patriarcham inauguraretur Gabriel filius Tarich anno 1131. Etenim cum primum ſacrum faceret in eccleſia S. Macarii, ægre tulerunt monachi, quod in ejuſmodi confeſſione diceretur Chriſtus carnem ſuam feciſſe unam cum divinitate ſua, quod id Apollinaris aut Eutychis errorem redoleret. Quocirca placuit addere has voces *ſine commixtione & confuſione & ſine mutatione*. Anno autem 1147. in ordinatione patriarchæ Joannis inſuper vocabulo *corporis* adjecta eſt vox iſta, *vivificum*, quod hæc a Cyrillo ſit uſurpata & Neſtorianæ hæreſi contraria viſa fuerit.

De his legendus eſt auctor *perpetuitatis tomo* 1. *lib.* 5. & Renaudotius *in Vindic.* 518. 519. *&* 520. & *ad Gennad. pag.* 207. *&* 208.

PROBATUR 5. ex ſcriptoribus illius gentis, qui ſuam de Euchariſtia fidem expoſuerunt.

1. Enim Severus epiſcopus Aſchmonim inſignis apud Cophtitas theologus & hiſtoricus (de quo Vanslebius *in catalogo ſcriptorum nationis Cophticæ pag.* 331.) in tractatu inſcripto, *quæſtiones & reſponſa*, apud Renaudotium *in Vindic. pag.* 515. propoſita hac quæſtione, quo fundamento innixi Chriſtiani credunt panem & vinum fieri corpus & ſanguinem Chriſti; Sic, inquit, reſpondendum eſt: ea de re perſuaſi ſunt „ verbis Domini noſtri Jeſu Chriſti, quibus teſtificatus eſt ea eſſe cor„ pus & ſanguinem ſuum. Neque vero his verbis minor habenda eſt „ fides, quam aliis omnibus quibus aliquid docuit, præcepit aut ve„ tuit. Ille porro, cujus verba ita vera ſunt, ut a nemine in dubium „ revocari poſſint, qua nocte tradebatur Judæis, accepit panem: .... „ denique multis verbis nos docuit hunc panem & hoc vinum eſſe cor„ pus & ſanguinem ſuum. Ne igitur dicas hanc eſſe parabolam, hiſto„ riam aut metaphoram. " Sic etiam in opere cui titulum fecit *confirmatio fidei Orthodoxæ*, *in expoſitione myſterii Incarnationis*, in tractatu *de Paſchate*.

2. Michael diaconus *in continuatione hiſtoriæ ejuſdem Severi Aſchemonenſis*, *in vita Philothei* 63. *patriarchæ*, refert miraculum, quo ad comprimendam juvenis cujuſdam infidelis e regia ſtirpe principis impietatem, Deo ſic volente, in Euchariſtia viſus ab ipſo eſt pulcherrimus puer, cujus caro in varias partes dividebatur, & ſanguis effundebatur in calicem, & quo ſic ille obſtupefactus eſt, ut ad religignem Chriſtianam converſus fuerit. Cum autem juvenis ille a ſacerdote quæreret Euchariſtiæ inſtitutionem & naturam, " Jeſus Chriſtus, inquit ſacerdos, ... „ accepit panem & vinum, & dixit, *Accipite*, *comedite*, *hoc eſt corpus* „ *meum;* & poſtea *: Bibite*, *hic eſt ſanguis meus :* Ejus autem diſcipu„ li nobis tradiderunt orationem, quam ſuper panem & vinum dici„ mus .... & panis mutatur & fit caro; & vinum fit ſanguis occul-

„ ta

„ ta ratione ; ut tibi hodie demonstravit Deus : specie tamen est pa-
„ nis & vinum ; quod nemo sit qui carnis humanæ particulam sumere
„ velit, aut sanguinem effusum bibere. De quo auctor *perpet. fidei to-*
„ *mo* 3. *lib.* 8. *cap.* 22.

3. Aliud miraculum idem refert apud eumdem Renaudotium *ad Gennad. pag.* 207. *in vita Christoduli patriarchæ* 66. de exundante vino consecrato in calice, & digitum sacerdotis colore sanguineo ita tingente, ut nunquam evanuerit.

4. Aliud *ibid. pag.* 209. narrat historia patriarcharum Alexandrinorum sub Jacobo anno Christi 826. de calice sacro, ex quo, cum infideles eum ex Ecclesia abstulissent & aurifabro vendidissent, & ab eodem aurifabro frangeretur, cruor manaverit. Verane sint an falsa, quæ hic describuntur, prodigia, nihil interest : eæ saltem narrationes illius nationis & ætatis fidem ac doctrinam testantur. Alia enim illa esse non potest quam nostra, quæ hisce miraculis locum præbeat.

5. Monachi S. Antonii Cophticæ gentis tractatum edidere de sanctissima Eucharistia anno 1394. de quo Abraham Echellensis ad calcem *responsionis sive ad Joannis Seldeni origines*, & Simonius *ad Gabrielem Philad. pag.* 115. 198. & 199.

Jam vero primum tractatus illius caput universæ Ecclesiæ fidem de sacramento Eucharistiæ proponit, quæ nempe una conspiratione agnoscit oblationem seu Eucharistiam sanctam esse corpus Domini nostri Jesu Christi, quod probatur ex ipsius Christi verbis instituentis illud sacramentum : quibus interjectis statim *eodem capite* hæc subjiciuntur, "
„ Necesse autem est, ut omnis fidelis, qui sumit illud corpus Christi
„ sit vere fidelis in corde, & lingua confiteatur illud quod accepit jam
„ factum esse corpus Domini nostri Jesu Christi, Salvatorisque nostri,
„ & sanguinem ejus pretiosum ipso interventu consecrationis sacerdo-
„ tis, illiusque precum & descensionis Spiritus sancti.

Caput vero *secundum* exponit modum quo panis & vinum in Christi corpus & sanguinem transmutentur : " Spiritus sanctus, inquiunt,
„ efficiens corpus sanctum in utero virginis ex materiis Mariæ, ...
„ ipse idem est qui efficit hunc panem & hunc calicem corpus Domi-
„ ni nostri, & sanguinem ejus purissimum, . . . & divina virtus tran-
„ scendens consuetudinem in producendo, ... corpus Jesu in utero
„ sancto sine humano semine, ea est quæ nunc miraculum operatur in
„ conversione panis & vini in corpus Domini nostri & sanguinem
„ ejus.

Capite autem *nono* exponuntur variæ diversarum gentium circa res eucharisticas consuetudines, quarum hæc summa est ; alias Christi corporis sacramenta pane fermentato, alias vero azymo conficere ; & ex illis non deesse quæ salem & oleum fermentato admisceant : aliquas etiam vinum aqua non temperare ; sed illarum consuetudinum diversitatem unitati fidei nullatenus officere. " Dissenserunt nationes Christia-

„ næ,

„ næ, inquiunt, in qualitate sanctæ Eucharistiæ, quamvis conveniant „ circa ipsam in fide, ... & scias stante veritate fidei rectæ & cre- „ dendi firmitate sacrosanctam Eucharistiam esse corpus Domini nostri „ cui gloria, & sanguinem ejus pretiosum, non obstare varietates con- „ suetudinum circa ejus qualitates, quin sit corpus Domini nostri & „ sanguis ejus pretiosus.

PROBATUR 7. duplici patriarchæ Cophtitarum testimonio non ita pridem, dum apud nos celebres illæ de Eucharistia controversiæ fervèrent, edito, & relato *tomo 3. perpet. lib. 8. cap. 19. pag. 763. & 766.*

ASSERTIO IV.

ÆTHIOPES circa Eucharistiam non errant.

PROBATUR 1. ex iis, quæ mox de Cophtitis dicta fuerunt. Ex quo enim ab Ægyptiis ad Christianam religionem conversi sunt Æthiopes, ut ab iis semper acceperunt antistites suos, sic fidem semper sunt affectati, adeo ut qui Cophtitas novit, etiam Æthiopes norit.

PROBATUR 2. silentio omnium scriptorum, qui de Æthiopum religione loquuntur.

PROBATUR 3. ex eorum cum Ecclesia Romana reconciliationibus: prima sub Alexandro III. anno 1177. secunda anno 144. & 1442. sub Eugenio IV. tertia sub Sixto IV. anno 1481. quarta sub Clemente VII. anno 1533. quinta anno 1555. sub Paulo IV. ultima sub Urbano VIII. In his enim occasionibus Æthiopes propriis quidem, & inolitis dudum erroribus nuntium remisere: at nullum unquam circa præsentiam realem aut transubstantiationem ejurare conati sunt.

PROBATUR 4. ex Æthiopum liturgiis, quæ similes sunt Ægyptiacarum.

PROBATUR 5. domesticis Æthiopum, imprimis vero eorum, qui ab Æthiopiæ imperatoribus ad Lusitaniæ reges missi sunt, legatorum testimoniis.

Primus est Matthæus, qui super fide, & religione Æthiopum consultus ab Emmanuele Lusitaniæ rege in frequenti virorum illustrium, & eruditorum consessu, inter alia de Eucharistia sic respondit: " Eu- „ charistiam, inquit, habent Æthiopes ut omnium sacramentorum ma- „ ximum, eamque indubitatum Christi cum corpus tum sanguinem esse „ sincera fide profitentur: " ut refert Damianus Goez *in epist. ad Joan. Magnum Gothum archiepiscopum Upsaliæ.*

Secundus est Zagazabo, de quo idem Goez *in expositione religionis Æthiopum.*

Tertius est Maria Tecla presbyter Æthiops, cujus responsa refert Thomas a Jesu *lib. 7. cap. 13.*

Quar-

Quartum testimonium trium Æthiopum, quorum fidei quoad id professionem refert Vattholdus Nihusius *in programmate suo* Moguntiæ edito.

ASSERTIO V.

SYRI Jacobitæ circa Eucharistiam non errant.

PROBATUR 1. omnium auctorum silentio.

PROBATUR 2. ex eorum liturgiis, quæ consentaneæ sunt aliis omnibus Orientalibus.

PROBATUR 3. ex variis eorum cum Ecclesia Romana reconciliationibus, in quibus nunquam ab iis est postulatum ut ullum circa eucharistici mysterii substantiam errorem abjicerent.

Prima est sub Gregorio IX. anno 1237. secunda, tertia, & quarta sub Innocentio IV. quinta sub Nicolao IV. anno 1289. de quibus Rainaldus *ad hos annos:* sexta sub Julio III. anno 1553. cujus acta referuntur *in bibliotheca Patrum*.

PROBATUR 4. ex aliis Jacobitarum Syrorum ecclesiasticis libris, de quibus *tomo 3. perpet. lib.* 8. *cap.* 24.

PROBATUR 5. ex ipsis Jacobiticæ in Syria sectæ scriptoribus. Primus est Dionysius Barsaliby, apud Echellensem *in notis ad catalogum Hebed-Jesu pag.* 52. *tomo* 1. *perpet. lib.* 5. *cap.* 11. & apud Simonium *ad Gabrielem Philadelphiensem*, *pag.* 118. Renaudotius *in Vindiciis pag.* 517. *& in præfatione ad Gennadium*, *pag.* 25. Secundus Michael Patriarcha Antiochenus ejusdem sectæ apud Renaudotium *in Vindiciis*, *pag.* 516.

PROBATUR 6. recentiorum in Syria Jacobitarum consensione.

Primo enim luculentum est ea de re testimonium *tomo* 1. *perpet. in appendice pag.* 83. ubi patriarcha nationis Syriacæ cum archiepiscopo uno & pluribus presbyteris, sic loquitur omnium nomine: " 1. Christi corpus & sanguinem vere & realiter in Eucharistia contineri firmiter credimus, non figuram tantum ejus atque virtutem, ut quidam novi hæretici commenti sunt. 2. Item panem, & vinum in verum Christi corpus & sanguinem realiter & substantialiter, vi divinæ consecrationis mutari atque converti, seu transsubstantiari, quod idem est &c.

Secundo Episcopus Damasci cum multis Ecclesiæ suæ presbyteris idem se credere profitetur, & Calvinianorum errorem damnat *tomo 3. perp. lib.* 8. *cap.* 18.

PROBATUR 7. virorum fide dignorum, quibus ignota esse non potuit ejusmodi Syrorum fides, judicio & testimonio.

Primus Franciscus Piquetus *tomo* 1. *perpet. lib.* 5. *cap.* 14.

Secundus Patriarcha Jerosolymitanus *in Synodo Bethleemitica anni* 1672.

Ter-

Tertius Simonius, qui *in notis suis ad iter Libani cap.* 24. hanc esse Syrorum Jacobitarum doctrinam asseverat.

ASSERTIO ULTIMA.

ARMENI sanam & catholicam de Eucharistia doctrinam semper retinuerunt.

PROBATUR 1. ex generalibus argumentis ex superiori disputatione ductis. Cum enim Armeni Eutychianorum ac præsertim Dioscori, & Jacobi Zanzali doctrinam amplexi sint & etiamnum sequantur, non potest alia esse eorum de Eucharistia mens, quam Eutychianorum, & Jacobitarum. Atqui jam edicimus omnes Eutychianos, & Jacobitas, omnes Dioscori discipulos recte de Eucharistia sensisse. Ergo.

PROBATUR 2. ex liturgiis Armenorum, quæ aliis Orientalibus sunt consentaneæ.

1. Eadem est in iis, quæ in reliquis formula invocationis Spiritus sancti, ut panem & vinum mutet in corpus, & sanguinem Christi: quod ex ipsa Armenorum liturgia Romæ excusa, & ad Romanæ normam correcta colligit Simonius *ad Gabrielem pag.* 152. *&* 227. Unde teste Benedicto XII. summo pontifice *in actis inquisitionis de fide Armenorum* Avenione habitæ apud Rainaldum *ad annum* 2331. *numer. 66.* sic inquiebat sacerdos: " Adoramus, supplicamus & petimus a te, „ benigne Deus: mitte in nobis & hoc propositum donum coessentia- „ lem Spiritum sanctum, per quem panem benedictum corpus veraci- „ ter efficies Domini nostri & Salvatoris Jesu Christi. " Et dicta verba dicebat ter. Et deinde dicebat sacerdos super calicem & vinum be- „ nedictum, " Sanguinem efficies Domini nostri Jesu Christi. " Hinc *tomo* 1. *perp. in appendice pag.* 77. Haviodour, patriarcha Armenus, " Certum facimus vos, inquit, quod nos Armeni habeamus ab an- „ tiquis Patriarchis nostris . . . . . in liturgia nostra verba hæc, *Pa-* „ *ter omnipotens emitte Spiritum sanctum, & cooperante eodem, transmuta panem hunc in corpus, & vinum hoc in sanguinem Domini nostri* „ *Jesu Christi*. Sic etiam Uscanus episcopus sancti Sergii in majori Armenia *ibidem pag.* 80. testatur hanc esse orationem in liturgia gentis suæ: " Adoramus, & rogamus, & postulamus a te. . . . mitte in „ nos & anteposita munera . . . . . sanctum Spiritum, quo panis iste „ benedictus corpus vere factum est Domini nostri Jesu Christi, amen. „ & calix iste benedictus vere fuit sanguis Domini nostri Jesu, amen." Eamdem habes orationem apud Georgium Cassandrum *de rebus liturgicis, cap.* 12. ex versione Andreæ Lubeczych, sed corruptam. Sic enim ait Sacerdos. " Ut sanctificaretur iste panis verum corpus Christi Salvato- „ ris Domini nostri: " Et hoc dicit ter super calicem: Sanguis verus „ est Domini nostri Jesu Christi. " Verum hæc interpolatio nobis non officit.

2. Post

2. Post consecrationem in iisdem liturgiis apud Galanum *par.* 2. *qu.* 1. *sect.* 6. *pag.* 44. sic orat sacerdos: " Fac, Domine, animum nostrum esse mun„ dum tabernaculum præstantissimi corporis & sanguinis unigeniti filii tui „ & Salvatoris nostri Jesu Christi.

3. Dum sacram Eucharistiam suscipit sacerdos, hanc edit fidei pro„ fessionem: " Credo me manducare sanctum, & vivificum corpus „ tuum, Domine Jesu Christe, Deus meus, in remissionem pecca„ torum meorum: Credo me bibere purificantem, & sanctificantem, „ sanguinem tuum, Domine Jesu Christe Deus meus, in remissionem „ peccatorum meorum." Antequam vero eam populo porrigat sub utraque specie, clara voce ter dicit: " Credo & confiteor hoc esse verum corpus „ & verum sanguinem filii Dei, qui tollit peccata mundi. „*Ibid. pag.* 45.

PROBATUR 4. ex antiquis scriptoribus illius nationis.

Primo Isaac Catholicus Armenorum in hæreticos Armenos declamans, *invectiva* 1. *cap.* 1. " Ecclesiæ catholicæ traditiones, inquit, & Chri„ sti sacramenta pro illius unius naturæ ratione quam blasphemant in „ Christo mutantes, similiter nova moliti sunt, & sacramentorum „ communionem, id est panis sacrificium, qui est Christi caro, haud „ quaquam Christi Dei corpus appellant, uti Christus ipse dixit; sed „ deitatem." Ex quo apparet utrosque Armenos tam catholicos quam hæreticos, in admittenda præsentia reali Christi in Eucharistia concordasse. Quod enim Isaac eam admitteret, manifestum est: quod autem pariter eam agnoscerent hæretici, ex eo colligitur, quod Eucharistiam appellarent *Christi divinitatem*. Scilicet illi, ut pote Eutychiani, unam agnoscebant in Christo naturam, nempe divinitatem. Ergo cum dicebant Eucharistiam esse Christi divinitatem, arbitrabantur veram esse Christi naturam ac substantiam, ipsum Christum.

2. Cum ad Armenos legatus missus est a Manuele Græcorum Imperatore Theorianus, obiter quidem, sed clare, Armenorum patriarcha quæ esset de Eucharistia Ecclesiæ suæ fides, bis aperuit in ea disputatione quam habuit cum eo Theorianus, quæque extat *tomo* 11. *Biblioth. Patrum*. Ac 1. quidem *in epist. ad Manuelem* sic aiens: " Vi„ num, inquit, sanguinis Christi materies est, & cujuscunque sit „ coloris, recipi debet, sive nigrum, sive rubrum, sive album vi„ num fuerit: quoniam per mysterium sanctificatur, & Christi fit „ sanguis." 2. *In responsione ad quæst. Theoriani:* cum enim patriarcham interrogasset Theorianus, cur liturgiam solam in templo celebrarent Armeni, cætera vero officia ecclesiastica extra Ecclesiam, sic reposuit patriarcha: " Doctores nostri, inquit, solum divinam litur„ giam intra sacrum templum perficiendam statuerunt; .... cætera „ fieri extra templum debere: nec id citra rationem ordinarunt. Nam „ valde veteribus nova præstant, ut umbræ veritas. Quippe tractatur „ intus Dei filius pro totius mundi salute." Sic sacramenta vetera pro umbris, & figuris corporis Christi habebant Armeni; Euchari-

stiam

ftiam autem pro ipsa corporis veritate. Præterea agnoscebant illam ut sacrificium, in quo præsens esset, & offerretur Christus Dei filius.

3. Cum anno 1318. sub Joanne XXII. Ecclesiæ & nationi Armenæ legati Romam accessissent concordiæ renovandæ causa, & propter nonnullos de Armenis sparsos rumores ab iis quæsivisset summus pontifex, an fidei professionem a Clemente IV. editam amplecterentur, in qua sic habetur inter alia: " Sacramentum Eucharistiæ ex azymo conficit " eadem Romana Ecclesia, tenens & docens; quod in ipso sacra-" mento panis vere transubstantietur in corpus Christi, & vinum in " sanguinem Domini nostri Jesu Christi: " respondit omnium Armenorum nomine Jacobus Episcopus, se eamdem fidem tenere. Sic enim Joannes ipse rem narrat *in epist. ad regem Armenorum Offinum* apud Rainaldum *ibidem*.

PROBATUR 5. ex libris apologeticis gentis Armenæ. Cum enim post Joannis XXII. mortem sub Benedicto XII. ejus successore & Clemente VI. nova in Armenorum de Eucharistia aliisque pluribus fidem tempestas orta esset, & eorum summorum pontificum primus hac incensus suspicione, inquisitionem juridicam habuisset, illiusque inquisitionis acta misisset in Armeniam, statim in eam criminationem ut falsam insurrexerunt Armeni, eamque ut meram calumniam a se depulerunt.

Ac 1. quidem rex Armeniæ Leo. Ut enim refert Rainaldus *ad annum* 341. *num.* 118. cum superiorum errorum catalogus pervenisset in regis Leonis manus, tulit ille graviter regnum suum ea fœditate inquinatum, & Armenos ut hæreticos apud sedem apostolicam traduci: quare illius jussu Daniel monachus ad excusandos Armenos commentarium edidit, quem transmisit ad Benedictum, in quo eos errores ab invidis impositos conquestus est: repertusque is liber est in archivo Avenionensi, legato Octavio Aquaviva Cardinali, & Romam translatus.

2. Catholicus seu patriarcha, aliique præsules Armenorum eosdem errores a se procul amoliti sunt ac detestati, ut narrat idem Clemens VI. & Rainaldus *ad annum* 1346. *num.* 68.

3. Idem Catholicus ad Clementem VI. fidei suæ & Armenæ gentis professionem mittens, inter alia *capitulo* 42. affirmavit " Se credere " & tenere, quod corpus Christi natum de virgine, & mortuum in " cruce, quod nunc est in cœlo vivum, post verba consecrationis " panis, quæ sunt, Hoc EST CORPUS MEUM, est in sacramento " altaris sub specie & similitudine panis. " Apud Rainaldum *ad annum* 1351. *num.* 11.

PROBATUR 6 luculentis ipsorummet testimoniis Armenorum.

1. Est Haviodori patriarchæ Armeni, qui Romæ tunc versabatur, & Basilii doctoris ejusdem ecclesiæ (quæ maxima est apud eos dignitas, nonnisi

nisi viris eruditioribus conferri solita) relatum *tomo* 1. *perp. in appendice* , *pag.* 77.

2. *Ibidem pag.* 78. Uscani episcopi sancti Sergii in majore Armenia, qui apud Batavos degebat . " Credunt Armeni Christiani , in-„ quit , tam illi qui Ecclesiæ Latinæ communicant , quam qui ab „ ejus communione alieni sunt , corpus & sanguinem Christi revera „ sumi a communicantibus sub speciebus panis & vini , ipsiusque pa-„ nis , & vini substantiam per consecrationem sacerdotis verti in cor-„ pus & sanguinem Christi: itaut post consecrationem non sit amplius „ panis & vinum, sed verum corpus & sanguis Christi sub speciebus aut si-„ gnis panis & vini.

3. Est Davidis patriarchæ Armenorum Alepi , & in Palæstina habitantium , simul & plurium in iis regionibus Episcoporum , *ibidem pag.* 82.

4. Jacobi patriarchæ majoris Armeniæ , & aliorum Episcoporum ac Presbyterorum , prioribus non absimile *in responsione generali lib.* 1. *cap.* 18.

5. Archiepiscopi Armenorum in urbe Constantinopolitana , & in vicinis partibus habitantium , Joannis Archiepiscopi Amateæ , & Joannis alterius Adrianopoleos Archiepiscopi *supra* allatis consentaneum , *ibidem*.

6. Idque non minus apertum & disertum Cruciadoris patriarchæ Lizensis in minore Armenia una cum Episcopis, doctoribus & presbyteris illius gentis, *tomo* 3. *perp. lib.* 8. *cap.* 20.

7. Istis conforme est Armenorum in Ægypto degentium, *ibid.*

8. Nec minus illustre est Armenorum e Perside , Davidis scilicet Archiepiscopi civitatis regiæ Spahan , Isaaci Archiepiscopi , Stephani Episcopi &c. *ibid.*

PROBATUR 7. exterorum, qui Armenorum super eo fidem ac doctrinam notissimam habuere, judicio ac testimoniis.

Primus est Lanfrancus *in lib. de corpore & sanguine Christi contra Berengarium*. Eum enim impugnans consensione omnium Ecclesiarum *cap.* 22. " Interroga, inquit, universos qui Latinæ linguæ nostrarumve litte-„ rarum notitiam perceperunt . Interroga Græcos, Armenos seu cujus-„ libet nationis quoscumque Christianos homines: uno ore hanc fidem se „ testantur habere.

Secundus Euthymius *in Panoplia tit.* 20. Licet enim Armenorum errores quantum potest odiose exponat, " Dicunt, inquit, carnem ipsius „ in divinitatem esse conversam, & ejusdem factam essentiæ, cujus est „ ipsa divinitas : . . . . . ex quo sacrificium etiam panis carnis Christi „ negant esse corpus Christi, sed divinitatis corpus esse dicunt. " Proinde sentiebant illi juxta Euthymium Eucharistiam esse corpus divinitatis : divinitatis autem corpus illud appellabant, quod unam in Christo crederent esse naturam, quam vocabant *divinitatem*.

Ter-

Tertius Georgius Cassander, qui in liturgiis suis Armenorum cum Ecclesia Romana & Græca consensionem ostendit ex liturgia Armenorum Leopolitanorum, ex Petro Bellonio *lib.* 3. *observationum cap.* 12. & ex libro Italico Odoardi Bargooze.

Quartus Stanislaus Orechovius Roxolanus *in epist. ad Hosium cardinalem & tunc concilii Tridentini præsidem*, in qua dolet Armenos veluti schismaticos ab Ecclesia divelli, cum tamen in fide consentiant & in ritibus duntaxat discrepent, apud Simonium *ad Gabriel. Philadelph. pag.* 195.

Quintus Gerlachius Lutheranus *in epist. ad Crusium*. De Armenorum enim patriarcha & Armenis verba faciens, quos Constantinopoli sacra facientes viderat, & quibuscum postea colloquium habuerat. " In „ cœna Domini, inquit, verum & substantiale corpus & sanguinem „ Domini adesse dicunt; sed videntur transsubstantiationem probare. " *tomo* 1. *perp. lib.* 5. *cap.* 7.

Sextus Alfonsus a Castro qui *lib.* 6. *de Eucharistia*, loquens de erroribus circa præsentiam realem ac transsubstantiationem: " Hujus er- „ roris, inquit, primi duces, ut Guidoni placet, fuerunt Armeni. Ne- „ scio tamen quos auctores in hoc secutus fuerit Guido, ut hanc hæ- „ resim Armenis impingeret, quam nullum alium illis tribuisse repe- „ rio. Omnes enim quos hujus perversi dogmatis fecisse mentionem „ reperio, asserunt hanc fuisse Berengarii inventionem.

Septimus Lazicius Polonus apud Forbesium *in considerationibus æquis & modestis*, *pag.* 408.

Octavus Clemens Galanus *in conciliatione Ecclesiæ Armenæ cum Romana*, *parte* 2. *quæst.* 1. § 1.

Nonus Olearius, *in epistolis ad Sebastianum Josephum du Cambout*, *tomo* 1. *perp. in appendice*, *pag.* 56.

Decimus Anonymus *ibid. pag.* 81.

Undecimus Patriarcha Jerosolymitanus *in synodo Bethleemitica anni* 1672.

Duodecimus Simonius *in observationibus ad Gabrielem Philadelph. pag.* 197. *& in historia critica fidei sectarum Orient. cap.* 12.

Objicies 1. In inquisitione juridica sub Benedicto XII. & Clemente VI. de qua *supra*, innotuit Armenos existimasse Eucharistiam esse figuram corporis Christi. Ergo.

Distinguo antecedens: Armenos quosdam, ut ibi dicitur; concedo: omnes aut plerosque communiter; nego. Reclamarunt enim adversus hanc criminationem rex Armeniæ catholicus & antistites nationis, quos memoravimus.

Objicies 2. Guido Carmelita Armenos accusat ejusdem erroris, & cum plures alii secuti sunt. Ergo.

Nego consequentiam. Est enim ille auctor levis admodum fidei, ut pote ignarissimus. Eum autem alii secuti sunt re non discussa.

De erroribus seculi VI.

Nullum seculo sexto publicum errorem circa Eucharistiam exortum esse legimus ; sed privatum cujusdam Romanæ matronæ omittere piaculum foret, ei similem quem in Monacho Scete nuper observavimus, & pari miraculo revictum. Historiam narrat anonymus auctor vitæ B. Gregorii papæ coætaneus, apud Bollandum *tomo* 2. *Martii* : seu potius (ut probat Mabillonius *ad seculum I. Benedictum* & *Analectorum tomo* 1. *pag.* 319. quem monachi Benedictini *in postrema Gregorii operum editione* sequuntur) Paulus diaconus *num.* 23. *pag.* 10. & post eum Joannes diaconus *lib.* 2. *num.* 41. *pag.* 58. sic scribens : " Matrona quædam B. Gregorio per stationes publicas missarum solemnia celebranti, solitas oblationes obtulerat : cui post mysteria traditurus cum diceret : *Corpus Domini nostri Jesu Christi conservet animam tuam*; lasciva subrisit. Ille continuo dextram ab ejus ore convertens, partem illius Dominici corporis super altare deposuit. Expletis vero missarum solemniis matronam coram populo inquisivit, quamobrem corpus Dominicum sumptura ridere præsumpserit. At illa diu mussitans tandem prorupit, quia panem, inquiens, quem propriis manibus me fecisse cognoveram, tamen corpus Dominicum esse perhibebas. Tunc Gregorius pro incredulitate mulieris cum tota plebe se in orationem prostravit, & post paululum surgens particulam panis, quam super altare posuerat, carnem factam reperit, quam coram cunctis incredulæ matronæ demonstrans ad credulitatis gratiam, tam illam revocare potuit, quam totum populum confirmare curavit. Rursus itaque in orationem cum iisdem prostratus, carnis frustum in panis primordia reformavit." Rem fusius exponit Paulus diaconus *supra*, & habitam a Gregorio tunc orationem referens, sic eum inducit loquentem: " Disce, inquit, veritati vel modo jam credere contestanti : *Panis quem ego do caro mea est, & sanguis meus vere est potus* : sed præscius conditor noster infirmitatis nostræ, ea potestate qua cuncta fecit ex nihilo, & corpus sibi ex carne semper virginis operante Spiritu sancto fabricavit : panem & vinum aqua mixtum manente propria specie, in carnem & sanguinem suum ad catholicam precem, ad reparationem nostram Spiritus sui sanctificatione convertit." Ad quem locum Benedictini monachi, " Hic habes, inquiunt, transsubstantiationis dogma longe ante Paschasium Ratbertum, quem ipsius auctorem fingunt Calvinianæ sectæ ministri, claris verbis assertum.

De erroribus seculi VII.

Septimo seculo floruit Anastasius Sinaita scriptis suis, ac potissimum eo cui nomen *Odegos* est, adversus Eutychianos edito celeberrimus.

mus. In eum omnes Calviniani declamant ut primum novitatis in Eucharistiæ negotio auctorem. Putant enim eum, cum hactenus omnis Ecclesia secum consensisset, in iis rebus novasse, & primum ad eam doctrinam, quam profitemur, gradum fecisse.

Et quidem Albertinus *lib. 3. de Eucharistia pag. 906.* arbitratur Anastasium admisisse in Eucharistia verum Christi corpus & sanguinem, non tamen transsubstantiationem panis & vini, aut consubstantiationem, sed quamdam impanationis speciem ab aliis post planius expositam.

Laroquanus vero *in Eucharistiæ historia parte 3. cap. 11.* opinatur ab eo nec præsentiam realem nec transsubstantiationem aut impanationem fuisse admissam; sed ipsum contra in antiqua, hoc est Calviniana, doctrina perstitisse, novitatem vero ab ipso invectam in verbis ac sola loquendi ratione consistere, quod primus nimirum definierit Eucharistiam non esse figuram & antitypum corporis Christi, non panem, sed verum Christi corpus e Maria virgine assumptum.

Claudius Laroquanum consectatur & Anastasii fidem Calvinianæ esse consentaneam contendit.

Banagius autem *lib. 15. historiæ Eucharisticæ cap. 6. num. 6.* ingenue confitetur ab Anastasio verum Christi corpus fuisse agnitum: sed in eo dupliciter errasse, 1. quod ita senserit; 2. quod addiderit hoc Christi corpus in Eucharistia esse corruptioni obnoxium.

Denique e nostris Natalis Alexander *in hist. eccles. cap. 4. art. 13. tomo 5.* ejusdem est cum Banagio quoad postremam partem sententiæ. Concedit enim Anastasium corpori Christi in Eucharistia corruptionem attribuisse; sed hunc errorem elevat, quod non pertineat ad mysterii substantiam.

ASSERTIO V.

Anastasius Sinaita præsentiam realem & transsubstantiationem docuit.

Probatur 1. tribus ejus disertissimis testimoniis a nobis *supra*, cum de veteribus Eutychianis ageremus, allatis.

1. Enim *Odegi cap. 13.* contra Eutychianos probat divinitatem non solam esse Christi naturam, quod ipsi una cum catholicis in Eucharistia profiterentur esse Christi corpus, quod immolatur ac manducatur, cum divinitas nec immolari nec manducari possit: ex quo consequens est ipsum de oris manducatione verba facere: si enim de spiritali per fidem apprehensione seu manducatione sermonem haberet, certe non minus illa in divinitatem quam in humanam naturam competeret.

2. *Ibidem, cap. 14.* idem argumentum persequitur adversus eosdem & ostendit humanitatem Christi nomine *naturæ* esse donandam non minus quam divinitatem, imo potiori jure, quod nempe divinitas videri

non possit nec manducari ; corpus autem Christi in Eucharistia a nobis videatur, tangatur, manducetur. " Id quod videtur, inquit, & alicubi comprehenditur, magis ab omnibus *naturæ* nomen mereri censetur & creditur, quam illud, quod videndi sensum, omnemque loci comprehensionem effugit, solaque auditione, & aliena relatione cognitum habetur. Nam Christi divinitatem fide ex auditu accepimus : at carnem ejus ipsa rerum experientia didicimus, vidimus & contrectavimus. Unde sic pergit : " Dicant nobis illi, qui Christi carnem inaspectabili divinitatis pelago commixtam . . . . . contendunt; unde adversariis divinitatem Christi persuadere velint, nisi sola fide? . . . . . At vero naturam, qua corpus constat, non modo novimus fide; sed ipsa experientia rerum quas vidimus & contrectavimus, illudque corpus quotidie in natura sua & veritate communicantes manducamus. " Ex illis porro multa colligere est nobis aperte faventia : ac 1. quidem in Eucharistia comedi corpus Christi eo modo quo comedi non potest divinitas : proinde proprie dicta & orali manducatione, quod realem corporis Christi præsentiam arguit, ut ipsimet fatentur Calvinistæ : 2. manducari Christi corpus, non modo, ut iidem somniant, per virtutem aliquam ab ipso e cœlo transmissam, sed juxta Anastasium in natura sua & veritate : 3. quod inde consequens est, a nobis videri & experientia quotidiana contrectari corpus Christi : 4. ex eo quod ita contrectetur & videatur a nobis in Eucharistia corpus Christi, concludi hoc ipsum corpus esse *naturæ* titulo insigniendum.

3. *Ibidem cap.* 23. adversus Gaianitas, qui ajebant Christi corpus ab ipso incarnationis exordio fuisse corruptionis expers, probat illud ante resurrectionem fuisse corruptibile ex Eucharistia. Postquam enim interrogavit Gaianitam quid de Eucharistia crederet, & respondisset ille se credere Eucharistiam non esse tantum figuram corporis Christi, aut nudum panem, sed ipsum corpus & sanguinem Christi filii Dei incarnati & ex sanctissima Deipara nati, quod vere accepimus; hanc fidei professionem confirmans Anastasius, quia ita docuit Christus, sic prosequitur : " Cum igitur, inquit, ipse Christus fateatur verum esse corpus suum & sanguinem, quem nos fideles sumimus, agedum affer nobis aliquid ex communione vestræ Ecclesiæ ; . . . . & in vase cum omni honore reponemus hoc sanctum corpus Christi & sanguinem. Et si intra paucos dies non corrumpatur, aut immutetur, aut alteretur, planum fit vos recte asserere corpus Christi penitus ab ipso incarnationis exordio corruptionis expers esse: si vero corrumpatur aut immutetur, necessarium erit ut unum e duobus fateamini, aut id quod sumitis non esse verum Christi corpus, sed solam figuram & quasi vicarium quoddam, aut propter perversam fidem vestram Spiritum sanctum in illud non descendisse; aut corpus Christi ante resurrectionem corruptioni subjectum esse, ut pote immolatum, morti traditum, vulneratum, divisum & manducatum. Nam immortalis natura neque scinditur, neque

" late-

„ latere & manibus vulneratur, neque in parte dividitur, nec mortifi„ catur, neque manducatur, neque teneri potest, neque tangi, ut patet „ exemplo incorruptibilium naturarum angeli & animæ. " Hoc loco nullus potest esse illustrior. Ibi enim Anastasius tradit Eucharistiam, 1. non esse meram figuram corporis Christi aut nudum panem; 2. esse contra corpus Christi, corpus, inquam, verum de Maria natum, in cruce suffixum; quod ore manducamus.

PROBATUR 2. ex Anastasii in hac disputatione proposito scopo. Agebatur enim haud dubie Anastasium inter & Eutychianos, speciatimque Gaianitas, de vero ac genuino Christi corpore: an 1. in eo esset post unionem: 2. an esset veri nominis natura: 3. an fuisset ante resurrectionem corruptionis expers, an corruptioni obnoxium. Jam vero Anastasius ex Eucharistia adversus eos pugnat, & ostendit 1. hujusmodi corpus inesse Christo, quia hoc ipsum corpus est juxta ipsos in Eucharistia: 2. illud idem esse naturam, quia non modo visum est olim ac palpatum, sed etiam nunc in Eucharistia videtur, tangitur, & manducatur: 3. fuisse in Christo corruptibile ante resurrectionem, quia etiamnum est in Eucharistia corruptioni obnoxium.

Porro ex hoc tertio argumento liquet ab Anastasio agnitam esse panis transsubstantiationem. Si enim panis substantia remaneret, imbelle prorsus esset & nullum argumentum ex Eucharistiæ corruptione ductum: in promptu enim responsio fuisset, & dixissent statim Eutychiani non ipsum corpus ibi corrumpi, sed panem.

ASSERTIO II.

POTUIT Anastasius opinari corpus Christi in se esse corruptioni obnoxium.

PROBATUR 1. ex obvio verborum intellectu. Fatendum est enim, nisi illa emolliantur, eo sponte ducere, ut ita eum censuisse existimemus.

PROBATUR 2. quod reipsa fieri potuerit ut falleretur circa mysterii adjuncta, & id ei in mentem veniret, quod postmodum aliis multis in mentem venisse certum est. Qui enim ecclesiasticam historiam evolverunt, non ignorant in Ecclesia Latina XI. XII. & XIII. seculo acriter fuisse disputatum inter theologos, cujusmodi esset corpus Christi, quod ipse in ultima cœna discipulis tradiderit, imo & quale nos etiamnum suscipiamus: an corruptionis expers, an corruptioni obnoxium. In Ecclesia autem Græca XII. seculo agitatam fuisse pariter hanc quæstionem, an tale sit in Eucharistia corpus Christi, quale jam est in cœlo, gloriosum scilicet & immortale; an contra mortale & corruptioni obnoxium, ut erat tempore institutionis Eucharistiæ. De quo R. P. Paris auctor Gallicus *Vindiciarum fidei Græcorum, tom. 2. lib. 2. cap. 3.*

A S S E R T I O III.

Satius est Anastasium excusare, & ejus verba, ut fieri potest, in benigniorem sensum interpretari.

Probatur 1. eo quod multi veteres multique recentiores supra omnem suspicionem positi, simili fere modo locuti fuerint: sic v. g. Chrysostomus *homil.* 24. *in* 1. *Cor.* ait id pati nunc Christum in Eucharistia, quod olim passus non est in cruce: nunc frangi corpus ejus, ut eo nutriamur & satiemur &c. alibi asseverat in Christi carnem nunc a nobis dentes infigi: sic etiam summus pontifex Nicolaus II. in concilio Romano ad annum 1059. Berengarium, ut errorem abdicaret, voluit ab ipso dici verum corpus Christi sensualiter non solum sacramento, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, & frangi, & fidelium dentibus atteri.

Probatur 2. quia, ut id dicatur, satis est si accidentia panis post consecrationem in ipso corpore Christi, ut in subjecto, collocentur: tunc enim dici poterit corpus Christi in se, & penes antiquas suas ac naturales dimensiones esse intra Eucharistiæ sacramentum inviolabile, immortale, gloriosum, incorruptibile, impalpabile, invisibile, &c. sed penes accidentia nova novasque dimensiones panis in se receptas dividi, dentibus atteri & corrumpi. Cum enim hæc omnia patiantur illæ species panis superstites, eadem poterunt earum subjecto attribui: ut enim aiunt Logici, denominationes sunt subjectorum. Jam vero accidentia panis post transsubstantiationem in ipso Christi corpore recipi, & ab ipso sustentari multorum olim theologorum sententia fuit, & nonnullorum etiam e recentioribus, ut ostendit idem auctor *ibid. libro* 1. *cap.* 7. §. 3. & reipsa Anastasium ita interpretatur eodem loci post auctorem *perp. fidei lib.* 7. *cap.* 2.

Porro hæc opinio videtur apud Græcos veteres fuisse communis. Unde mirum non fuerit, si eamdem supponat in Gaianitis Anastasius, ex eaque argumentum eruat.

A S S E R T I O IV.

Novator non fuit Anastasius in Eucharistiæ negotio; sive rem ipsam spectes, hoc est corporis Christi in ea præsentiam realem ac transsubstantiationem, quam docuit; sive loquendi rationem, quam de iis usurpavit.

Probatur 1. omnium ad hæc usque tempora scriptorum silentio. Si enim in re tanti momenti, quanti est Eucharistia, quidquam novasset Anastasius, vel etiam solemnem, & in Ecclesia vulgatum loquendi modum mutasset, haud dubio in omnium statim incurrisset offensionem, cum præsertim omnium manibus ejus libri versarentur, &

om-

omnium ore atque usu notissimi forent. At nedum eo nomine fuerit unquam reprehensus apud cunctos; contra, ut magnus, ut admirabilis, ut divinus, Anastasius habitus est, quod ex veterum de eo elogiis constat. Ergo cum eum jam novitatis accusant Calviniani, novitatem inauditam proferunt ipsi, & calumniam toti antiquitati repugnantem.

PROBATUR 2. ipsorum Anastasii verborum & doctrinæ consideratione. Quod enim asserit Eucharistiam esse verum Christi corpus, & sanguinem, idem plerique omnes ante eum professi sunt, ut ex dictis liquet. Quod autem addit non esse nudum panem, aut figuram tantum Corporis Christi, in eo a communi veterum loquendi ratione non recessit. Tantum enim abest, ut omnes antiqui dixerint Eucharistiam esse nudum panem aut meram figuram corporis Christi; ut contra nullus ita locutus fuerit. Quin etiam plurimi notant eam non esse panem, quamvis species panis remaneant. Ergo nec in re ipsa, nec in loquendi modo ullam Anastasius invexit novitatem.

OBJICIES. Multi e sanctis Patribus Eucharistiam appellaverunt sacramentum Corporis Christi, figuram, typum, antitypum. Ergo, &c.

NEGO consequentiam. Aliud est enim Eucharistiam dicere esse figuram, typum & sacramentum corporis Christi; aliud, non esse nisi figuram ac typum illius. Primum quidem est verum, & apud veteres usitatum; sed secundum falsum est, & apud nullum e priscis doctoribus comparet: primum & nos ipsi dicimus, nihil enim est apud nos frequentius, quam Eucharistiam appellare sacrosanctum corporis Christi sacramentum; sed secundum detestamur, utpote quod excluderet ab Eucharistia corpus Christi, quod in ea esse confitemur. Scilicet utrumque de Eucharistia prædicamus: est enim sacramentum corporis Christi simul, & ipsum Christi Corpus: sacramentum penes exteriorem partem; corpus penes interiorem. Porro Anastasius tantum negat Eucharistiam esse nudum panem, aut meram Corporis Christi figuram; in quo non solum nobiscum consentit, sed etiam cum antiquis.

De erroribus seculi VIII.

EAM ætatem illustrarunt inter alios duo sanctissimi viri, Germanus patriarcha Constantinopolitanus, & Joannes Damascenus. Ambos ut novitatis ab Anastasio inductæ auctores, & propugnatores insectantur Calvinianæ sectæ ministri: sed immerito, ut mox demonstrabimus.

Duæ etiam hoc seculo habitæ sunt synodi, altera Constantinopoli ab Iconomachis, altera Nicææ a catholicis: hanc iidem Calviniani aversantur; illam vero ad cœlum usque efferunt, non solum quod imaginum cul-

tum proscripserit, sed etiam quod antiquam servaverit aut in usum revocaverit cum sentiendi tum loquendi rationem.

De Germano Constantinopolitano.

HUJUS Germani nomine circumfertur mysticus in liturgiam Græcam commentarius, vulgo dictus *Theoria rerum ecclesiasticarum*, quam ut genuinum ejus fetum agnoscunt hinc Bellarminus, illinc Albertinus *lib.* 3. *pag.* 207. negant vero Allatius & Banagius *supra*, *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 4. an vero res ita sit dubitant auctor *perp. tomo* 1. *lib.* 7. *cap.* 3. Laroquanus *sup. pag.* 342. & cæteri. Verum Simonius *ad Gabrielem Philadelph. pag.* 249. & 287. monet eum quidem ei tribuendum; sed interpolatum esse opus, cui multa a recentioribus incerta fuerint: quod ex manuscriptis codicibus probat; addens eumdem quandoque Basilio, sed perperam, ascribi.

Quatuor porro in eum jactat *ibidem* Albertinus convicia: primum, quod sit magnus imaginum, hoc est, illius judicio, idololatriæ patronus: secundum, quod de Eucharistiæ sacramento mirum in modum seu ridiculum philosophetur: tertium, quod mentem suam perturbare proponat: quartum, quod Anastasii novitates sectatus fuerit, atque adeo pariter existimarit Verbum divinum ac divinitatem cum eucharistico pane eodem aut simili fere modo conjungi, quo cum humana natura sua conjunctum est: ita ut panis quidem semper maneat, sed corpus tamen fiat ejusdem Verbi, non naturale, non humanum, non idem cum eo quod e virgine assumptum est, sed adventitium, & improprie sic nominatum: quia nempe cum divinitate copulatur, cum qua etiam copulatur Corpus Christi naturale: quæ autem sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Hanc enim esse Anastasii ac Germani aliorumque plurium e Græcis recentioribus mentem ariolatur Albertinus.

Laroquanus contra audacter pronunciat eum esse mere Calvinianum. Banagius autem eum prætermittit, ut qui inter veteres fidei nostræ testes audiri non mereatur.

A S S E R T I O.

1. GERMANUS catholicam seu nostram de Eucharistiâ fidem apertissime docuit, nec ullam induxit novitatem.

PROBATUR prima pars de præsentia reali corporis Christi in Eucharistiæ mysterio panisque ac vini transubstantiatione, idque disertis ejus verbis.

I. enim de Indis loquens; " Qui in India, inquit, perficiunt magnum hoc mysterium, ... credunt illud corpus Christi, & Dei esse nostri crucifixum, & sepultum, & resurgens." Hanc autem

tem eorum fidem approbat ac laudat. Proinde credebat ipse Eucharistiam esse verum ac naturale Christi corpus ex virgine ab ipso acceptum.

2. Sacerdos, inquit, obsecrat ut conficiatur mysterium filii ejus (Dei), & fiat, sive transmutetur ipse panis & vinum in corpus, & „ sanguinem Christi, & Dei, & impleatur hoc, *Ego hodie genui te*. „ Unde & Spiritus sanctus.... manu sacerdotis obsignat, & trans„ mutat & conficit proposita sancta dona in corpus & sanguinem Do„ mini nostri Jesu Christi, qui dixit,.... *Qui edit meam carnem & „ bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo* " Ergo juxta Germanum panis non manet panis, sed transmutatur in corpus Christi, non in corpus improprie dictum, sed in ipsam ejus carnem, ut & vinum in ejus sanguinem.

3. Signantur autem divina dona ut adventus, & gloriosa Spiritus „ sancti præsentia transmutet & faciat, ex pane quidem ipsum pre„ tiosum corpus Domini Jesu Christi, ex eo autem quod est in cali„ ce ipsum pretiosum sanguinem...... Christi, qui effusus est pro „ mundi vita & salute. " Atqui pro mundi salute effusus est in cruce sanguis: is sane fuit sanguis genuinus ac nativus, non ascititius ille aut improprie dictus, quem hic comminiscuntur Calviniani. Ergo.

4. De sacræ hostiæ divisione disserens. Partitio, inquit, divini corporis fit. " Verum enim vero tametsi in partes dividitur, individuum „ & insectum in singulis partibus sectorum totum agnoscitur, & inve„ nitur. " Itaque corpus illud, quod dividi dicitur, non est panis, qui maneat. Neque enim panis, dum dividitur, insectus & indivisus in se perseverat, nec totus in singulis partibus invenitur: sed est verum Christi corpus, quod licet dividi dicatur propter species superstites quæ franguntur, ipsum tamen individuum manet, & insectum, & in singulis partibus totum, ut synodus Tridentina docuit.

Probatur secunda pars de non inducta novitate. Nihil enim afferri potest ex eo, quod ullam, vel in re, vel in loquendi ratione, mutationem arguat: & revera nihil ejusmodi illi proferunt. Ergo.

Nonnulla obiicit Albertinus, sed leviora quam ut nos morentur: de quibus vide *tomo* 1. *perpet. lib.* 7. *cap.* 3. & Simonium *supra*.

De sancto Joanne Damasceno.

Etsi scriptores Græcos septimi & octavi seculi novitatis passim in scriptis insimulent Calviniani; in beatum tamen Damascenum præ cæteris invehuntur, ut potissimum mutatæ apud Græcos fidei auctorem. Cum enim Damascenus idem sit in Ecclesia Græca, quod in Latina Magister sententiarum aut S. Thomas, nec ejus modo sententias secuti fuerint, sed etiam verba vulgo descripserint theologi Græci recentiores,

nul-

nullum aptiorem invenere Calviniani, in quem corruptæ doctrinæ invidiam conjicerent.

Rivetus itaque decernit eum fuisse consubstantiatorem, adeo ut juxta ipsum panis & corpus Christi in Eucharistia simul consistant.

Albertinus contra *lib.3.pag.911.* censet Damascenum admisisse quamdam unionem hypostaticam panem inter, & Christum: ita ut quemadmodum Christus olim in incarnatione corpus humanum assumpsit in personæ communionem; sic quotidie panem & vinum in Eucharistia asciscat, & illa hoc modo faciat corpus & sanguinem suum.

Claudius Charentonensis idem initio opinatus est *in 1. respons. pag. 19.* sed postmodum mutata sententia definiit *in 2. responsione parte 3. cap. 7. & in 3. lib. 3. cap. 13.* juxta Damasceni mentem, panem & vinum hypostatice cum Verbo divino non conjungi, sed ipsis duntaxat corporis Christi ac sanguinis vim & efficaciam sic indi, ut illa quadantenus evadant accessio & incrementum corporis ac sanguinis Christi, eaque ratione fiant unum cum nativa Christi carne corpus, non reipsa, sed virtute, quæ panem & vinum sic inundat & inde redundat in homines, ut ipsum Christi corpus esse videantur.

Laroquanus autem *cap. 12.* & Banagius *lib. 15. cap. 7. num. 1.* spreto Claudii commento, ad Albertini sententiam redeunt, & hypostaticam panis eucharistici divinique Verbi conjunctionem a Damasceno admissam fuisse arbitrantur.

At centuriatores Magdeburgenses *centuria 8. cap. 4.* ingenue confitentur ab eo creditam fuisse non solum præsentiam realem corporis Christi in Eucharistia; sed etiam panis ac vini transsubstantiationem. „ De transsubstantiatione, inquiunt, habet multa Damascenus. " Iis assentitur Crabbus ex eadem Germana gente, Anglicæ operum Irenæi editionis auctor.

ASSERTIO I.

BEATUS Joannes Damascenus Christi corporis ac sanguinis præsentiam in Eucharistia, & panis & vini in ea transsubstantiationem docuit.

PROBATUR tribus ejus ea de re testimoniis.

PRIMUM petitur ex ejus oratione 3. *de Imaginibus*, in qua postquam dixisset adorare se non creaturam, sed creatorem, qui naturam nostram assumpsit, ut naturæ divinæ nos consortes faceret; sic rem explicat. „ Non naturæ divinæ participes & socii facti sunt Angeli, sed actio„ nis & gratiæ: homines vero participes & socii fiunt naturæ divinæ, „ quicunque sanctum Christi corpus sumunt & pretiosum ejus sangui„ nem bibunt. Per hypostasim enim divinitati conjunguntur corpus & „ sanguis Christi, duæque naturæ in Christi corpore, quod a nobis „ sumitur, sine distractione in unitate personæ copulantur. Itaque du-

„ plicis

„ plicis naturæ participes efficimur; corporis ratione, corporea; divi-
„ nitatis autem ratione, ſpiritali; imo utriuſque per utramque ratio-
„ nem, non quod ſecundum perſonam idem ſumus cum Chriſto, quip-
„ pe qui hoc cum primi eſſemus, poſtea conjuncti fuimus, ſed per
„ corporis & ſanguinis concretionem (σύγκρασιν) ſeu commixtionem
„ in nobis. “ Itaque juxta Damaſcenum, 1. ipſam divinam naturam ſuſcipimus, cum accedimus ad Euchariſtiam: 2. illam ideo ſuſcipimus quod corpus Chriſti a nobis ſumptum ſit cum ea hypoſtatice conjunctum: 3. hoc ipſum corpus hypoſtatice conjunctum divinitati, non modo ratione ſpiritali, ſed etiam ratione corporea, hoc eſt ore corporis, ſumimus: 4. non penes virtutem duntaxat ac gratiam, ſed penes naturam: 5. per veram ac realem iſtius corporis cum noſtro commixtionem.

Secundum *ex libro* 2. *Parallelorum, cap.* 5. quod quidem caput in editis libris brevius eſt, in quibuſdam autem codicibus manuſcriptis prolixius. Ibi enim ex profeſſo agens Damaſcenus de divinis myſteriis, & aptiſſima quæque ſive Scripturarum ſive ſanctorum Patrum loca ad catholicam de iis fidem exponendam ſeligens, tria affert teſtimonia, ex Irenæo ſcilicet *lib.* 5. *cap.* 12. Gregorio Nyſſeno *in oratione catechetica cap.* 37. & Chryſoſtomo *homilia ad Neophytas*. Ex his autem novem propoſitiones colligere eſt, quæ orthodoxam de Euchariſtia fidem ac doctrinam complectantur & explicent juxta Damaſcenum.

Prima eſt, Euchariſtiam eſſe corpus Chriſti, ſecundum hæc Irenæi verba diſputantis adverſus hæreticos, qui dicebant carnem, ut pote mali principii opus, nec a Chriſto fuiſſe aſſumptam, nec ſalutis aut
„ immortalitatis eſſe capacem; “ Eum calicem, qui eſt creatura, ſuum
„ ſanguinem qui effuſus eſt, & eum panem, qui eſt creatura, ſuum
„ corpus confirmavit Chriſtus.

Secunda, Euchariſtiam non eſſe figuram corporis Chriſti, ſed ipſam corporis veritatem juxta Chryſoſtomum, qui ait longe majorem eſſe ſanguinis Chriſti efficaciam ad noſtram ſalutem, quam fuerit olim agni paſchalis ædium poſtibus illiti ad Judæorum liberationem: quia ſanguis agni paſchalis typus tantum fuit ſanguinis Chriſti; qui autem in ore noſtro relucet ſanguis, cum Euchariſtia ſuſcipitur, non typus, ſed verus idem eſt ſanguis. “ Si viderit inimicus, inquit, non poſtibus im-
„ poſitum ſanguinem typi ſed fidelium ore lucentem ſanguinem verita-
„ tis, Chriſti templi poſtibus dedicatum, multo magis ſe ſubtrahit. Si
„ enim angelus ceſſit imagini, quanto magis terrebitur inimicus, ſi
„ ipſam perſpexerit veritatem? “ Proinde ſanguis ille Chriſti verus, cujus agnus paſchalis adumbratio fuit, ore fidelium ſumitur, & in eo relucet.

Tertia, Euchariſtiam eſſe verum Chriſti corpus & ſanguinem per naturæ panis ac vini in ea converſionem, &, ſi ita loqui fas eſt, tranſelementationem, quæ vi conſecrationis fiat, quod ex Gregorio Nyſ-
„ ſeno

„ ſeno tranſcripſit. " Hæc autem dat panem & vinum (Chriſtus) vir-
„ tute benedictionis in illa corpus & ſanguinem ſuum, tranſelementans
„ eorum quæ apparent naturam.

Quarta, panem & vinum in Verbi divini corpus & ſanguinem non minus mutari, quam olim, dum inter mortales degebat Chriſtus; ſed illud eſſe diſcriminis, quod olim panis in ejus corpus vi nutricis facultatis ſenſim & poſt certum temporis intervallum mutaretur, nunc vero in inſtanti, ut aiunt, illud vi ipſorum Chriſti verborum convertatur:
„ *ex eodem ibidem.* " Recte quoque & hunc, inquit, Verbo Dei ſan-
„ ctificatum panem in Dei Verbi corpus credo tranſmutari, ... non
„ quidem per manducationem & potationem migrans in corpus Verbi
„ ſed ſtatim in corpus Verbi per Verbum tranſmutari, ſicut dictum eſt
„ a Verbo, *Hoc eſt corpus meum.*

Quinta, Chriſtum hoc ſuo proprio corpore ac ſanguine ad vitam
„ ſpiritalem nos alere ex Chryſoſtomo: " Quemadmodum mulier, in-
„ quit, filium ſanguine ac lacte ſuo alit; ſic Chriſtus eos quos genuit,
„ ſanguine ſuo ſemper alit.

Sexta, non animas noſtras tantum, ſed etiam corpora noſtra inde
„ nutriri & augeri ex Irenæo. " Apoſtolus ait, ... *quoniam membra*
„ *corporis ejus ſumus, de carne ejus & de oſſibus ejus*, non de aliquo
„ ſpiritali & inviſibili homine dicens hæc: ſpiritus enim neque oſſa ne-
„ que carnem habet; ſed de ea diſpoſitione, quæ eſt ſecundum verum
„ hominem, quæ ex carnibus & nervis & oſſibus conſiſtit, quæ de ca-
„ lice, qui eſt ſanguis ejus, nutritur, & de pane qui eſt corpus ejus,
„ augetur.

Septima, hoc Chriſti corpus naturale, quod in cruce mortem vicit, & ſanguinem in ea effuſum, a nobis ore corporis manducari, & intra viſcera noſtra recipi, ad reparandam ſalutem, pomi vetiti, in viſceribus pariter excepti, eſu amiſſam: quod ex eodem eſt mutuatus. "Cor-
„ pus noſtrum venit ad participationem & contemperationem ejus qui
„ ſalutem dat. Quomodo enim qui venenum ex inſidiis ſumpſerunt,
„ alio medicamento mortiferam vim extinguunt; ſic etiam oportet ſa-
„ lutare medicamento inſtar lethalis admitti intra viſcera hominis ..
„ .. Ita cum guſtaverimus quod noſtram diſſolvit naturam, rurſus ne-
„ ceſſe eſt ut, eum in nobis fuerit hoc ſalutare medicamentum, veneni
„ damnum corpori inditum per contrariam repellat affectionem. " Quod argumento eſt nihil aliud quam corpus illud, quod & morte oſtenſum fuit, eſſe potentius.

Octava, hanc Chriſti vivificam carnem in corpora noſtra admiſſam & commixtam, eſſe ei velut ſemen immortalitatis veramque futuræ reſurrectionis cauſam, juxta hanc Irenæi ſententiam: " Vani ſunt.
„ ... qui carnis ſalutem negant, ... dicentes non eam eſſe capa-
„ cem incorruptibilitatis .... Quomodo carnem negant capacem eſſe do-
„ nationis Dei, qui eſt vita æterna, quæ ſanguine & corpore Chriſti

„ nu-

„ nutritur . . . . . Quemadmodum lignum vitis depositum in terra suo „ fructificat tempore, & granum tritici decidens in terram & dissolutum multiplex surgit per Spiritum Dei, qui continet omnia, . . . „ & percipientia Verbum Dei Eucharistia fiunt, quod est corpus & „ sanguis Christi: sic & nostra corpora ex ea trita & reposita in terram, & resoluta in ea, resurgent in suo tempore, Verbo Dei resurrectionem eis donante in gloriam Dei Patris, qui huic mortali immortalitatem circundat, & corruptibili incorruptelam gratuito donat. Quibus Irenæi verbis alia hæc addit Gregorii Nysseni: " Quomodo, inquit, venenum exitiale commixtum sano pessundat illud; „ ita etiam immortale corpus Christi, cum fuerit intra eum qui sumpsit, universum quoque transmutat in suam naturam. Cum autem solum illud corpus, quod Deum suscepit, hanc gratiam acceperit, „ ostensum sit autem aliter fieri non posse ut nostrum corpus sit donatum immortalitate, ea de causa se per carnem inserit omnibus credentibus . . . . corporibus credentium contemperatus, commixtus, ut „ unione cum eo quod est immortale, homo incorruptionis particeps fiat.

Nona denique est, corpus illud Christi quamvis ab infinitis propemodum hominibus suscipiatur, unum tamen & integrum in se esse ac manere, ut ait idem Nyssenus. " Oportet considerare, inquit, quomodo fieri potuerit, ut unum illud corpus, quod tam multis fidelium „ millibus in universo terrarum orbe semper dividitur totum, per partem sit in unoquoque, & ipsum in se totum maneat.

Hæc autem novem pronunciata, quæ ex illis Patribus exponit ibi Damascenus, non tantum fidei nostræ prorsus consentanea sunt, sed etiam illam evidenter arguunt ac demonstrant; Calvinianam vero funditus evertunt doctrinam, quæ statuit Eucharistiam non esse verum Christi corpus & sanguinem, panem ac vinum in ea non converti, ipsamque Christi carnem a nobis ore corporis non manducari.

Tertium tandem depromitur *ex lib. 4. fidei orthodoxæ cap. 13.* ubi de sanctis & immaculatis Christi mysteriis ex instituto fuse differens, & quæcunque de iis passim antea in variis operibus suis docuerat, in unum colligens,

1. Eucharistiæ naturam sic explicat. " Cibus autem, inquit, ipse est „ panis vitæ, Dominus noster Jesus Christus, qui de cœlo descendit, „ ac . . . . . fractum panem porrexit eis dicens . . . . *Hoc est corpus meum:* „ consimilique modo acceptum calicem . . . . . impertivit eis dicens, „ *Hic est sanguis meus.*

2. Modum exponens, quo panis convertitur in corpus Christi, & dubium quod suboriri posset circa naturæ mutationem, & grande illud miraculum dissolvens, " Quamobrem, inquit, Si *sermo Dei vivus est &* „ *efficax*, ac *Dominus omnia quæcunque voluit fecit: si dixit, fiat lux*, „ *& facta est* . . . . si *verbo Domini cœli firmati sunt* . . . . si ipsemet „ Deus Verbum postquam ita ipsius voluntas tulit, ex puris . . . . semper

„ per virginis sanguinibus carnem sibi ipsi sine semine condidit ; quid
„ tandem afferri potest, quin ex pane corpus suum, & ex vino & aqua
„ sanguinem suum efficere queat? Dixit antiquitus, *Producat terra herbam virentem* : atque ea etiamnum . . . . fetus suos producit divino
„ præcepto impulsa & roborata. Dixit Deus, *Hoc est corpus meum*, &
„ *Hic sanguis meus*, & *Hoc facite in meam commemorationem*, atque omnipotenti ipsius præcepto donec ipse veniat, hoc efficitur . . . Quemadmodum enim quidquid Deus fecit, id Spiritus sancti opera fecit,
„ eodem modo nunc quoque Spiritus operatio ea quæ naturam superant, efficit . . . . . *Quo tandem modo mihi fiet istud*, ajebat sancta
„ virgo, *quoniam virum non cognosco?* Respondit Archangelus : *Spiritus sanctus superveniet in te* &c. Tu quoque nunc quæris, quomodo panis corpus Christi & vinum cum aqua conjunctum sanguis Christi fiat? Tibi idem respondeo : Spiritus sanctus supervenit, eaque efficit quæ orationis facultatem ac mentis intelligentiam excedunt.

3. Cur panis ac vinum pro Eucharistiæ materia assumpta fuerint edisserens, " Panis porro, inquit, & vinum ad eam causam adhibentur, (seu, ut Calviniani vertunt, *assumuntur*). quia Deo nota & explorata est humana imbecillitas. Quippe quæ, ut plurimum, ea, quæ usu & consuetudine minime trita sunt, graviter ferat & aversetur : quo fit ut ille, pro ea qua uti solet erga nos indulgentia, per ea quæ naturæ usitata & familiaria sunt, ea, quæ naturam superant, efficiat : & quemadmodum ipse, quoniam in hominum more positum est, ut aqua laventur & oleo ungantur, idcirco in baptismo gratiam Spiritus cum oleo & aqua copulavit ; eodem modo quoniam ita fert hominum usus & consuetudo, ut panem edant, vinumque & aquam bibant, ideo divinitatem suam cum iis conjunxit, eaque corpus & sanguinem suum fecit, ut per usitata naturæque consentanea, ad ea quæ supra naturam sunt assurgamus. Tunc corpus vere divinitati unitum est, quod ex sancta virgine ortum est, non quod, ut illud in cœlos receptum est, corpus descenderit, sed quia panis ipse ac vinum in corpus & sanguinem Dei immutantur.

4. Ad eamdem, quæ *supra*, difficultatem rediens, ne ulla remaneret umbra dubii, " Quod si, inquit, quo pacto id fiat requiris ; sat tibi sit audire, quod per Spiritum sanctum id fiat : quemadmodum ut ex sancta Dei matre per Spiritum sanctum Dominus sibi ipsi carnem assumpsit, quæ in seipso subsisteret : nec quidquam amplius nobis perspectum & exploratum est, quam quod Verbum Dei verum est & efficax atque omnipotens . . . . Illud vero dicere alienum non est, quod quemadmodum naturaliter panis per cibum, & vinum & aqua per potum in comedentis ac bibentis corpus & sanguinem immutantur, corpusque alterum fiunt, atque a priori ipsius corpore diversum, sic propositionis panis ac vinum & aqua per sancti Spiritus invocationem

„ & ad-

„ & adventum mirabili modo in Christi corpus & sanguinem vertuntur, nec sunt duo, sed unum & idem.

5. Pravos Calvinianorum sensus velut prævidens & tanto ante configens, " Nec vero, inquit, panis & vinum corporis Christi figura sunt „ (absit enim hoc) sed ipsummet Dei corpus divinitate affectum : „ quippe cum Dominus ipse dixerit, hoc est non corporis signum, sed „ corpus, nec sanguinis signum, sed sanguis.

6. Eucharistiæ naturam & debitam ei reverentiam magis ac magis explicans, " Ipsum porro, inquit, omni puritate colamus, hoc est, & „ spiritali & corporea. Si quidem duplex est ipse (Christus) seu duplex „ ipsum est (corpus,) ardenti cupiditate ad eum adeamus, manibusque „ in crucis formam compositis, crucifixi corpus suscipiamus, atque divini carbonis participes efficiamur . . . Vidit quippe carbonem Esaias ... „ carbo porro non simplex lignum est, sed igni unitum : sic panis quoque communionis non simplex panis est, sed divinitati unitus. Corpus „ autem quod divinitati unitum est non una natura est, sed una quidem „ corporis, altera autem divinitatis cum ipso conjunctæ : quo fit ut „ utrumque non una natura sit, sed duæ . . . . Hunc panem figurabant „ panes propositionis, & hæc est pura scilicet hostia & incruenta, quam „ ab ortu solis usque ad occasum sibi offerri per prophetam Dominus dixit ; corpus nempe, & sanguinem Christi in consistentiam animæ „ nostræ & corporis vadentem, nec consumptioni, nec corruptioni, „ nec secessui obnoxium, absit, sed in nostram substantiam & conservationem cedens.

7. Denique eorumdem Calvinianorum objectionibus occurrens, quasi eas vidisset : " Quod si, inquit, nonnulli panem ac vinum corporis ac sanguinis Domini figuram esse dixerunt, quemadmodum divinus Basilius, „ non hoc post consecrationem dixerunt, sed antequam oblatio ea consecraretur, hoc vocabulum usurparunt : participatio autem etiam hoc „ sacramentum dicitur, quia per illud divinitatis Jesu Christi participes efficimur : communio item optimo jure appellatur, quia per illud „ cum Christo commercium habemus ac carnem ipsius & divinitatem percipimus.

Hæc certe plana & perfecta est fidei nostræ professio. 1. Enim juxta Damascenum Eucharistia non est mera corporis Christi figura, sed ipsum Christi corpus, quod divinitati hypostatice conjunctum est, & idem prorsus cum eo quod ex virgine natum est; ita ut non duo sint corpora, sed omnino unum. 2. Fit hoc corpus & sanguis Christi ex pane & vino, ut factus est olim mundus ex nihilo : sic panis, & vinum in ea convertuntur, ut quondam beatæ virginis sanguis conversus est in corpus Christi, quomodo panis ipse a Christo comestus in carnem ipsius mutabatur, dum viveret. Atqui hæ omnes mutationes sunt substantiales. Ergo pariter substantialis est mutatio panis, & vini in Christi corpus, & sanguinem. 3. Panis & vinum ad Eucharistiam conficiendam a Christo adhibita

sunt,

fint, ut eorum species semper apparerent, ne videlicet si caro humana, & sanguis videretur, ab iis sumendis abhorreremus. Proinde intra Eucharistiam est vera caro, verusque sanguis: solæ vero apparent panis ac vini species. 4. Carnem hanc, & sanguinem istum ore corporis suscipimus, & una cum ipsis veram Christi divinitatem. 5. Sic tamen carnem, & sanguinem Christi sumimus, ut licet infinitis hominum millibus distribuantur, non consumantur, non corrumpantur, nec in secessum abeant. 6. Denique Eucharistia est sacrificium a prophetis prædictum. Ergo.

Objicies 1. cum Albertino. Damascenus ex philosophicis effatis definit, 1. corpora, ubicunque sint, ex se esse circumscripta, hoc est variis loci partibus per varias sui partes ita respondere, ut loco contineantur, nec extra esse possint. Sic enim ait *lib.1. de fide orthod. cap. 17. lib.2. cap.3. lib.3.* 2. ea esse necessario palpabilia & visibilia, *ibid. lib.1. cap. 4.* 3. accidentia sine subjecto esse non posse, *lib. de dialectica cap. 1.* Atqui hæc consistere non possunt cum Ecclesiæ Romanæ doctrina de Eucharistia. Ergo.

Distinguo majorem: hæc docet Damascenus de corporibus & accidentibus juxta ordinem rerum naturalem; concedo: spectata Dei potentia extra hunc ordinem; nego. Itaque Patres in scriptis suis modo loquuntur ut philosophi, modo ut theologi: cum philosophos agunt, ordinem rerum naturalem considerant; cum vero theologos, hujus ordinis rationem non habent, sed solius divinæ revelationis, eo quod mysteria supra omnes naturæ limites posita sint, & solo Dei verbo nobis innotescant. Scilicet ordo rerum naturalis ex legibus Dei pendet: harum autem legum Deus arbiter est; & quemadmodum eas fixit, sic easdem potest refigere. Philosophia ratione innititur: at ratio debet obmutescere, cum loquitur Deus. Quocirca quemadmodum B. Damascenus in fidem oculos non intendit, cum tractavit res philosophicas; sic nec attendit ad rationem, cum Eucharistiæ exposuit mysterium: non expendit an rationi consentaneum esset, necne. Vidit quidem generatim illud esse supra mentis captum; sed intellectum captivavit in obsequium Christi. Naturam intuebatur Damascenus, cum aiebat corpora esse circumscripta: at Eucharistiæ mysterium juxta ipsum naturam superat. Cum pronunciabat corpora esse palpabilia & visibilia, communem mentis intelligentiam sequebatur. At hoc sacramentum ex Damasceno, ut rationis facultatem, sic mentis intelligentiam excedit. Quapropter nedum ex eo quod nostra de Eucharistia fides non satis videatur esse philosophicis effatis a Damasceno probatis & naturæ legibus consentanea, colligi possit aliam a nostra fuisse Damasceni fidem; contra ex hoc ipso concludimus Damasceni sententiam cum nostra eamdem esse, & aliam prorsus a Calviniana, quod in Eucharistiæ mysterio juxta Sanctum Damascenum spectanda non sint philosophica effata, sed verba Christi; non natura, sed fides; non ratio; sed summa potestas Dei; nec in pane ac vino naturalis ordo rema-

remaneat, ut Calviniani volunt, sed plane immutetur, ut & nos credimus.

Objicies 2. cum eodem. Damascenus Eucharistiæ sacramentum comparat cum baptismate. Atqui in baptismo aqua semper eadem manet. Ergo.

Distinguo majorem: comparat quoad materiam, quæ adhibetur; concedo: quoad consecrationis effectum; nego. Exemplo scilicet baptismi Damascenus probat indulgentiam Dei, qui ad res maximas & supra naturam positas efficiendas uti dignatur rebus humano generi familiaribus ac passim usitatis, quique propterea panem ac vinum adhibuerit ad spiritualem animæ nostræ refectionem operandam, ut aquam assumpsit ad lavacrum regenerationis: in eo solo comparatio sita est; non autem extenditur ad consecrationis effectum, quasi utrobique sit idem: contra enim juxta Damascenum in baptismo consecrationis aquæ effectus, finis, & terminus in eo consistit, quod fiat lavacrum regenerationis: in Eucharistia vero consecrationis ea vis est, ut panis fiat corpus Christi, & vinum pretiosus ejus sanguis.

Objicies 3. Juxta Damascenum Eucharistia in consistentiam non solum animæ nostræ, sed etiam corporis nostri transit, eaque corpora nostra nutriuntur & augentur. Atqui corpora nostra nutriuntur & augentur pane vinoque, non autem corpore Christi naturali, quod in consistentiam corporis nostri transire non potest. Ergo non est Eucharistia corpus Christi naturale; sed panis ac vinum.

Distinguo majorem: Eucharistia transit in consistentiam corporis nostri sub speciebus ac dimensionibus panis & vini, illaque penes easdem corpora nostra nutriuntur & augentur; concedo: penes ipsam corporis Christi intimam ac nativam substantiam; nego. Triplici nempe modo possunt cogitari corpora nostra nutriri & augeri Eucharistiæ sacramenti sumptione: ac 1. quidem si dicatur speciebus panis & vini, dum corrumpuntur, loco corporis Christi accedere nova substantia, ex qua chylus & sanguis efformetur, ut corpora inde enutriantur & augescant: sic veteres nonnulli theologi, quorum meminit S. Thomas 3. *parte, qu.*77. *art.*4. 5. *&* 6. secundò si intelligamus eam esse vim inditam dimensionibus panis ac vini post consecrationem superstitibus, ut eadem faciant & patiantur, quæ faceret & pateretur ipsa panis ac vini substantia, si remaneret: ita sanctus ipse Thomas *ibidem*: 3. si corpus ipsum Christi censeatur etiam post corruptionem specierum panis & vini, non quidem in omnibus qui illud suscipiunt, sed in justis ac sanctis manere, ita ut Christus, quemadmodum panis & vini substantia mutata, panis ac vini species induerat, sic iisdem panis ac vini speciebus vi nutricis facultatis corruptis transeat sub speciem ac dimensiones chyli ac sanguinis ex speciebus panis ac vini generatas, & postmodum sub species carnis, nervorum, ossium, medullæ ex prioribus enatas, sicque Christus toto corpori nostro commisceatur, & reipsa

illum in ore, in oculis, in singulis denique corporis nostri partibus geramus: quin etiam corporibus nostris in tumulum abeuntibus insolubili nexu adhærescat, iisque semen ac vim quamdam inserat ad beatam immortalitatem.

Postremum hunc mysterii explicandi modum videntur amplexi fuisse plerique Græci, cum antiqui, Irenæus videlicet, Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, Grægorius Nyssenus; tum recentiores, imprimis Damascenus, Cabasilas & alii Latini non pauci, præsertim vero Hilarius & Paschasius Ratbertus, imo & Orientales populi.

Paschasius enim v. g. quem Calviniani contendunt esse primum fidei nostræ architectum *in lib. de corpore & sanguine Domini cap. 21.* " Caro „ aut sanguis Christi, inquit, in nostram convertuntur carnem & sangui„ nem. " Maronitæ etiam orantes pro mortuis in liturgia sua nomine S. Dionysii inscripta, "Respice eos, Domine, in misericordia tua, inquiunt, „ & peccata eis dimitte ob corpus & sanguinem unigeniti filii tui, quæ „ cum eorum corporibus conjuncta sunt, humata ac sepulta.

Itaque his positis jam elucet qua ratione Eucharistia rite suscepta transeat in consistentiam animæ & corporis. In consistentiam enim animæ cedit, quia caro nostra corpore & sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur, quemadmodum ait Tertullianus: cedit quoque in consistentiam corporis nostri, quia inde antecedentibus novis dimensionibus alimur & crescimus.

ASSERTIO II.

Joannes Damascenus non docuit consubstantiationem, seu panem ac vinum simul cum corpore & sanguine Christi in Eucharistia consistere.

Probatur. Ille enim non admisit consubstantiationem, qui non existimavit in Eucharistia post consecrationem, panis aut vini naturam esse superstitem, sed contra in corporis ac sanguinis Christi naturam mutari. Atqui Damascenus ita censuit, ut non modo ex ejus verbis *supra* expensis constat, sed etiam ex allatis ab ipso exemplis sanguinis Mariæ, qui reipsa in corpus Christi est conversus, & panis ac vini, quæ dum a Christo vivente sumebantur, haud dubie in ejus mutabantur substantiam. Ergo.

Probatur 2. ex eo quod juxta Damasceni & aliorum veterum mentem Eucharistia in secessum non emittatur. Atqui si esset panis ac vinum, dubio procul huic communi ciborum conditioni obnoxia foret. Ergo.

Probatur 3. ex eo quod juxta eumdem facta consecratione non remaneant nisi species panis ac vini, idque factum sit certo consilio Dei, ut ingenitus carnis humanæ comedendæ & sanguinis humani bibendi horror tolleretur: quod idem ante eum & post multi pariter observaverunt.

AS-

ASSERTIO III.

Damascenus non docuit panem & vinum a Christo in personæ communionem assumi.

Probatur 1. ex dictis. Si enim hypostatica foret conjunctio panis & vini cum Verbo, panis & vinum in Eucharistia remanerent, nec in corpus Christi mutarentur; sicut mansit humana natura, dum assumpta est a Verbo in incarnatione, nec in divinam conversa est naturam. Atqui panis & vinum in Eucharistia non remanent, sed mutantur in corpus & sanguinem Christi juxta Damascenum. Ergo.

Probatur 2. eo quod si panis hypostatice a Verbo assumeretur, posset quidem vocari panis Christi, aut etiam, si velis, improprie nominari corpus Christi, quia panis est corpus aliquod, sed non posset proprie appellari corpus Christi; multo autem minus posset appellari idem illud Christi corpus, quod ex Maria natum est, aut eadem illa caro, quæ in cruce suffixa data est pro mundi vita. Quin etiam panis ille nullo modo posset appellari caro Christi, nec vinum ejus sanguis. At Damascenus asserit Eucharistiam esse corpus Christi idem quod ex Maria ortum est, & carnem ipsam Christi, quæ in cruce pro nobis est oblata, & sanguinem ejus pro nobis effusum. Ergo.

Objicies 1. cum Albertino & Laroquano. Panis ac vinum juxta Damascenum in Eucharistia a Christo assumpta sunt. Ergo.

Distinguo antecedens: assumpta sunt, id est adhibita, ut vertit interpres, in materiam Eucharistiæ conficiendæ; concedo: in hypostaticam personæ suæ communionem; nego. Res ex ipsis Damasceni verbis liquet. Quod etiam veritatis & evidentiæ vi compulsus sic agnovit Claudius *supra*, ut propterea hoc Albertini commentum, quod primo amplexus fuerat, postea deseruerit. Id quoque evincitur ex Damasceni scopo, qui illic sibi duntaxat proponebat explicare causas cur panem ac vinum usurpasset Christus in hujus sacramenti materiam: ait porro id fecisse Christum, quod res nobis familiares & in cibo usitatas adhibere voluerit ad hoc refectionis salutaris sacramentum; quemadmodum aquam adhibuit ad lavacrum regenerationis, & oleum ad unctionis mysterium.

Objicies 2. cum eodem Albertino. Panis communionis non simplex panis est, sed divinitati unitus. Ergo.

Distinguo antecedens: panis communionis hoc est corpus Christi in Eucharistia latens sub specie panis; concedo: hoc est panis idem, qui ante consecrationem fuit; nego. Eucharistia nempe sæpius appellatur *panis*, non quod panis sit, sed quod ex pane sit facta, & speciem panis semper retineat, cum interim reipsa sit verum Christi corpus. Eo autem sensu haud dubie hic loquitur Damascenus. *Panis* enim *communionis* nomine intelligit ipsum Christi corpus; quod cum sit divinitati unitum

L 2 hypo-

hypostatice, non est simplex, seu una simplex natura; sed duplex, hoc est duas habens naturas, alteram corporis, alteram divinitatis secum conjunctæ, seu ut clarius rem eloquamur, iste communionis panis est ipse Christus, qui non simplex est, sed duplex, seu ex duplici natura compositus, humana videlicet & divina cum corpore copulata. Hunc autem sensum demonstrant tum quæ antecedunt, tum quæ consequuntur, tum Damasceni propositum. 1. Enim paulo ante observaverat Damascenus panem & vinum eucharisticum non esse figuram corporis & sanguinis Christi, sed ipsummet corpus Christi divinitate affectum, hoc est a divinitate hypostatice sustentatum. 2. Postquam dixit panem communionis non esse simplicem panem, sed divinitati unitum, sic propositionem hanc exponit. Corpus autem quod divinitati unitum est, non una natura est, sed una quidem corporis, altera autem divinitatis cum eo conjunctæ: quo fit ut utrumque non una natura sit, sed duæ. 3. Denique hoc ait Damascenus hortans fideles ad Eucharistiam accedentes, ut duplicem eo afferant munditiam, alteram animi seu spiritualem, alteram corporis seu corpoream; quia Christus quem suscipiunt duplex ipse est, hoc est non solum humana natura, sed etiam divina constans. Hoc ipsum explicat Damascenus *supra, oratione 3. de Imaginibus*.

ASSERTIO IV.

Damascenus non credidit Eucharistiam esse merum ac simplicem panem cui impressa duntaxat fuerit efficacia corporis aut divinitatis Christi.

Probatur ex disputatis. Hoc enim figmentum disjiciunt quæcunque hactenus disseruimus. Ex iis enim efficitur Eucharistiam esse corpus ipsum Christi, ipsam Christi carnem, ipsum sanguinem ex beata virgine assumptum & hypostatice cum Verbo conjunctum.

Objicies 1. cum Claudio. Damascenus ibi Eucharistiam confert cum baptismate, & monet Christum sic in Eucharistia cum pane & vino conjunxisse divinitatem suam, ut cum aqua Spiritus sancti gratiam copulavit. Atqui Spiritus sancti gratia in baptismate sic cum aqua copulatur, ut nec transubstantiatio fiat, nec ulla hypostatica unio. Ergo pariter in Eucharistia.

Distinguo majorem: confert quoad aliqua; concedo: quoad omnia; nego. In eo confert, quod sicut in baptismo ad aquam, qua vulgo lavantur homines, accedit Spiritus sancti gratia; sic in Eucharistia ad panem & vinum, quibus homines vulgo aluntur, accedat divinitas Christi: sed in fine & effectu discrepant: in baptismate enim ad aquam accedit gratia Spiritus sancti, non ut aquæ natura mutetur, sed ut evadat solummodo lavacrum regenerationis; in Eucharistia vero ad panem & vinum accedit divinitas, ut ea præpotenti vi sua in corpus in sanguinem Christi convertat. Unde addit statim, " Eaque corpus &

san-

„ sanguinem suum fecit. " *Et paulo post*, " Panis ipse ac vinum in „ corpus & sanguinem Dei immutantur. " Atqui hæc loquendi ratio Græcis est familiaris. Sic enim v. g. Thedorus Abucara, " Spiritus san„ ctus illabitur, inquit, & in panem & vinum, eaque igne divinitatis „ suæ in corpus & sanguinem suum transmutat, " Samonas pariter, " „ Deus, inquit, cum pane & vino quæ nobis familiaria sunt, divini„ nitatem suam conjungens, ea in corpus & sanguinem suum conver„ tit. " Ita quoque Nicolaus Methonensis &c.

Obiicies 2. Damascenus *ibidem* affirmat Eucharistiam esse carbonem illum ignitum, quem vidit Isaias. At carbo ignitus non est carbo in ignem conversus, sed ignis duntaxat vi præditus. Ergo pariter Eucharistia non est panis transsubstantiatus, sed corporis Christi efficacia instructus.

Distinguo majorem: affirmat Eucharistiam esse carbonem illum ignitum quem vidit Isaias, hoc est corpus ipsum Christi esse illum carbonem; concedo: Eucharistiam, id est panem; nego. Quæstio igitur est quid Damascenus *carbonem* appellet; an panem merum, qui tamen efficaciam quamdam divinam sibi adjunctam habeat; an corpus ipsum Christi divinitati velut igni cuidam purissimo hypostatice conjunctum, primum asserit Claudius, nos secundum. Judicet Damascenus; atque ut litem dirimat, mentem suam explanet. Jam vero paulo ante sic loquitur diserte Damascenus: " Ad eum (Christum) adeamus, in„ quit, manibusque in crucis formam compositis, crucifixi corpus su„ scipiamus, atque divini carbonis participes efficiamur. " Proinde corpus crucifixi & divinus ille carbo sunt quid unum prorsus ac idem. Paulo post autem sic iterum hujus locutionis vim aperiens, & obiter perstringens Eutychianos: " Vidit quippe carbonem Isaias, inquit: „ carbo porro non simplex lignum est, sed igni unitum: sic panis quo„ que communionis non simplex panis est, sed divinitati unitus: cor„ pus autem quod divinitati unitum est, non una natura est " &c. Atque adeo juxta Damascenum carbo ille unitus divinitati, est corpus Christi unitum divinitati, in quo non est una simplex natura, sed duæ; altera corporis, altera divinitatis. Verum ut omnis difficultas tollatur, proferamus alium huic similem, sed adhuc luculentiorem, ex Damasceno. Scilicet *homilia sabbatum majoris hebdomada* Josephum ab Arimathea, qui Christum sepelivit, laudans, " O invictam, inquit, animi audaciam! . . . Discipuli ipsi latebras quærunt, & tu mortuum magistrum adeo expetis! . . . . nec tulisti sanctum Domini corpus hypostatice cum divinitate unitum, nudum, insepultumque conspicere . . . Tetigisti divinum illum carbonem, quem sub figura ipsi Seraphim tangere omnino nequiverunt. O beatas manus " &c. Quid clarius quam corpus ipsum Christi divinitati conjunctum, & a Josepho pie atque honorifice sepultum, ibi appellari *carbonem illum* quem Isaias vidit, & Seraphim tangere nequiverunt? Et vero ex Orientis diœcesi erat Jo-

-annes Damascenus. At apud Orientales vulgare fuit Christi corpus divinitati unitum appellare *carbonem illum*, & Mariam virginem, que illud in visceribus tulit, propterea vocare *turribulum aureum* : de quo auctor perpetuitatis fidei *tomo 3. lib. 8. cap. 23.* Imo & apud Ægyptios Cophtitas hæc loquendi ratio viget, ut ex eorum liturgiis *supra* allegatis manifestum est.

ASSERTIO V.

Nec in Ecclesiæ doctrina, nec in loquendi ratione quidquam novavit Damascenus.

Probatur 1. ex iis quæ hactenus prolata sunt momentis. Inde enim patet Damascenum eadem docuisse, quæ ante docuerant omnes Ecclesiæ ac Patres, nec alia quam veteres loquendi ratione usum esse. Ergo.

Probatur 2. ex eo quod per id temporis, nec unquam postea, sive a Latinis Damascenus, sive a Græcis doctoribus novitatis insimuletur. Quis autem sibi persuadeat eum a nullo fore reprehendendum, neminem in eum insurrecturum, si ullam in re tam gravi novitatem admisisset?

Objicies cum Albertino & Claudio. Damascenus negat Eucharistiam esse figuram & imaginem corporis Christi. Atqui nullus ad hanc usque ætatem id inficiatus fuerat; plerique autem veteres contra sic Eucharistiam appellant. Ergo novator fuit Damascenus.

Respondeo distinguendo majorem : negat Eucharistiam esse figuram & imaginem meram, vacuam, sejunctam a veritate ; concedo : figuram & imaginem plenam eo quod repræsentat & cum eo conjunctam; nego. Scilicet *imaginis* ac *figuræ* nomen generatim nihil aliud sonat, quam id quod præter speciem sui, quam sensibus ingerit, aliud quid facit in mentem venire.

Illud porro aliud quod in mentem revocat, potest esse vel ab imagine sua sejunctum, vel cum ea conjunctum, per se tamen latens. Hinc duplex imaginum genus est. Aliæ enim vacuæ sunt & sejunctæ, ut si qua nunc fiat imago Julii Cæsaris : aliæ autem plenæ aut conjunctæ, ut cum dicimus vultum & oculos esse imaginem animi; linguas igneas, quæ die Pentecostes super apostolos apparuerunt, fuisse figuram Spiritus sancti, aut in baptismate lotionem corporis esse imaginem ablutionis animæ.

Quia vero longe plures sunt imagines vacuæ & sejunctæ, quam plenæ & conjunctæ, imo pleræque sunt vacuæ, hinc juxta popularem loquendi rationem *imaginis* vocabulum opponitur veritati, quam repræsentat, eamque excludit : adeo ut ex eo quod aliquid sit figura & imago, vulgo statim colligere soleant homines eam non esse veritatem : figura est, inquiunt ; ergo veritas non est : quod & adversus Eucharistiam usurpare Calviniani consueverunt.

Hinc

Hinc duplex est sensus istius nominis: alter philosophicus & theologicus isque accuratus; alter magis usitatus & popularis. Si enim accurate loqui voluerimus, *figuræ* verbum non excludit veritatem: si populariter, excludit.

Itaque ut hæc ad Eucharistiam applicemus, duplicem illa partem habet: alteram exteriorem; alteram interiorem, eamque propriam & longe excellentissimam. Penes exteriorem figura est, imago, signum, symbolum, sacramentum corporis Christi, quia simul atque exhibetur, corpus Christi sub ea latens illico in mentem venit: penes interiorem est ipsa corporis Christi veritas, seu ipsum Christi corpus verum, & verus ejus sanguis.

Quapropter Eucharistia potest appellari *figura & imago corporis Christi*; potest appellari *ipsum Christi corpus verum*, & ita appellata est: sed in hoc tamen usu nonnulla observanda sunt.

Primum est, quia exterior Eucharistiæ pars ignobilior est, longe vero dignior est pars interior, & a nobilioribus vulgo appellatio ducitur, Eucharistiam multo frequentius vocari debuisse *corpus Christi* quam ejus *figuram* & *imaginem*, quod & contigit. Raro enim a Patribus Eucharistia nominatur *figura corporis Christi*; ubique autem contra passim nomine *corporis* & *sanguinis Christi* insignitur.

Secundum, cum prioribus seculis fidei nostræ mysteria studiosius occultabantur, debuisse *figuræ* ac *imaginis* vocabulum longe sæpius usurpari quam posterioribus, cum omnes jam fere homines essent Christiani, nec ita diligenter celarentur mysteria: quod etiam usu deprehenditur. Quo enim magis a Christo versus hanc ætatem nostram progrederis, eo rarius occurrit *imaginis* nomen.

Tertium, hoc idem nomen debuisse ea de causa sensim obsolescere. Cum enim is esset popularis hujus vocis usus, ut excluderet veritatem; aliunde vero popularis item usus invaluisset, ut Eucharistia vulgo non nisi *corpus Christi* appellaretur, eo factum est annis labentibus, ut Eucharistia passim negaretur esse figura & imago, quia veritas est. Atque hoc etiam in usu venisse comprobatur: nam tertio ipso seculo non desunt qui Eucharistiam esse dicant corpus Christi, non figuram: quarto autem seculo & quinto id in consuetudinem abire incipiebat: sexto vero, septimo, octavo ac nono sic regnabat illa, ut qui *figuræ* nomen usurparent, in invidiam vocarentur & a catholicis plerisque reprehenderentur.

Quartum est, hoc *figuræ* nomen longe invidiosius evadere debuisse, si illud præ ceteris omnibus vocabulis affectaverint hæretici quidam illis temporibus exorti: fieri enim solet ut locutiones alioqui per se catholicæ, propter hæreticos, qui iis delectari consueverunt, suspectæ ac vitandæ videantur, quod ex multis historiæ ecclesiasticæ exemplis compertum habent eruditi.

Quintum est, hanc desuetudinem maximum esse iis temporibus fidei

nostræ argumentum. Cum enim res aliqua duplici appellatur nomine, altero minus congruo, altero magis proprio, potest quidem obsolescere illud nomen, quod rei ideam ac notionem minus bene repræsentat; sed non potest illud aboleri, quod accuratius illam exhibet. Si ergo per ea novem priora secula in Ecclesia viguisset fides Calvinianorum, qui panem ajunt esse figuram & imaginem corporis Christi, non ipsum Christi corpus, nunquam profecto aboleri tunc potuisset aut in odium venire *figuræ* vox & *imaginis*. Quod ergo odiosa tandem evaserit, & non solum fere deinceps nominata fuerit & usitata vox *corporis*, inde merito colligimus nostram fidem eo ævo obtinuisse.

Sed quæ mox observata sunt a nobis, breviter hic probari oportet, ut pateat quam immerito novitatis accusetur Damascenus.

1. Itaque Origenes *homil.* in *Numeros* 7. " Lex Dei, inquit, jam „ non in figuris & imaginibus, sicut prius; sed in ipsa specie veri„ tatis agnoscitur, & quæ prius in ænigmate designabantur, nunc in „ specie & veritate complentur . . . . Tunc in ænigmate erat manna, „ cibus; nunc autem in specie caro Verbi Dei est verus cibus, sicut ipse „ dixit, *Quia caro mea vere est cibus*.

2. Eusebius Cæsariensis *lib.* 1. *demonstrationis euangelicæ cap.* 10. Hieronymus *in cap.* 26. *Matth.* Ambrosius *de initiandis cap.* 9. auctor operis *de sacramentis*, apud ipsum *lib.* 4. *cap.* 5. Chrysostomus *hom.* 45. *in Joan. hom.* 23. 24. *in* 1. *Cor. hom. ad Neophytos* & alibi sæpe; Augustinus *in psal.* 39. *&* 73. *&* *lib.* 17. *de civit. Dei*, *cap.* 20. S.Cyrillus Alexandrinus *contra Nestorium*, *pag.* 112. *lib.* 4. *commentar. in Joann.* & alibi Theodoretus *in cap.* 11. *epist. ad Corint.* & alii plures, non solum pronunciant Eucharistiam esse corpus Christi, sed etiam illam opponunt, ut veritatem, figuris ac imaginibus ejusdem corporis.

3. Gaudentius Brixiensis, Hieronymi æqualis, *tract.* 2. *in Exod.* opponens quoque Eucharistiam figuris, & *figuræ* nomen populari significatione, hoc est exclusiva, accipiens, " Figura, inquit, non est veritas, sed imitatio veritatis.

4. Circa eadem tempora monachus ille Scetensis, cujus historiam *supra* descripsimus, erroris & infidelitatis accusatus fuit, quod diceret Eucharistiam non esse naturale corpus Christi, sed figuram ejus esse. Proinde *figuræ* vox eodem sensu exclusivo intelligebatur, & de Eucharistia negabatur.

5. Anastasius Sinaita *supra cap.* 23. & Eutychiani cum eo sentientes aiunt " Eucharistiam esse corpus Christi, non nudum panem, qualis ostiatim venditur, nec figuram corporis Christi, ut sacrificium hir„ ci, quod Judæi offerunt: quia Christus dixit, *Hoc est corpus meum*; non „ vero dixit, hoc est figura corporis mei.

6. Ipsimet Orientales populi Nestoriani simul, & Eutychiani, sic alieni erant a *figuræ* nomine usurpando, ut cum Græcos libros in linguas suas verterent, & ibi legerent vocabula *figuræ*, *typi*, *anti-*

typi, & alia similia Eucharistiæ attributa, in eorum locum nomina ipsa *corporis* ac *sanguinis* substituerent: quem eorum morem *supra* observavimus.

7. Ea qua vivebat Damascenus ætate, cum Iconomachi omnes e medio tollerent imagines, & *imaginis* nomen Eucharistiæ affectatione singulari tribuere solerent, catholici contra cum majorum exemplo excitati, tum istiusmodi hæreticis repugnandi studio, magis ac magis, *figuræ*, *typi & antitypi* nomina longe ab Eucharistia ablegarunt. Ita synodus VII. œcumenica *act. 6.* & paulo post Nicephorus patriarcha Constantinopolitanus *de Cherubim num. 6. & in Antirrhetico* apud Allatium *de consensu utriusque Ecclesiæ pag.* 1212. & Theodorus Graptus apud Combefisium, *in manipulo originum Constantinop.* imo & apud Latinos Carolus Magnus seu potius sub ejus nomine ejusque jussu præsules Gallicani *in opere Carolino lib. 4. cap. 14.* hoc ipsum *figuræ* nomen, licet synodo VII. non parum infensi, similiter explodunt. His accessit HaimoHalberstadensis *in tract. de corpore & sanguine Domini*, quia nullum signum est illud cujus est signum.

Mirum igitur esse non debet quod Damascenus pro sua in veteres Patres religione & in usum; qui jam invaluerat, observantia, nec minori adversus Iconomachorum hæresim odio animatus, *imaginis* quoque, *typi*, *antitypi* ac *figuræ* vocabula adversatus fuerit, & nedum idcirco novitatis insimulari possit, communem cum majorum, tum æqualium suorum loquendi morem secutus est.

Appendix de Pseudo-Damasceno.

AD calcem operum B. Damasceni sunt duo opuscula, *epistola* nempe *ad Zachariam Goanorum episcopum de corpore & sanguine Domini*, & aliud de hac ipsa re *capitulum* (sive *homilia parva*) a Petro Bambino primum Antuerpiæ typis mandata anno 1601. ac deinde a Billio in posteriores Damasceni editiones inserta.

Jam vero cuinam hæc opuscula tribuenda sint ambigitur, an B. J. Damasceno cognomine Mansur, quem expendimus, & cujus nomen præ se ferre videntur codices; an alteri Joanni item Damasceno presbytero & monacho simul ac medico, qui seculo XII. vixit & sanctus quoque est appellatus, cujus inter libros hæc opuscula extant in bibliotheca regia, an Petro cuidam Mansur, ex eadem forte qua Damascenus antiquior familia, cui hæc opuscula nonnulli codices manuscripti ascribunt: de quo consule Parisium *de fide Ecclesiæ Græcæ par.2. lib.3. cap. 3. sect. 5.* & quæ mox in lucem prodivit Damasceni operum editionem. Mihi quidem certum videtur hæc opuscula multo recentioris esse auctoris, qui longe diversas a vetustiore Damasceno opiniones sectatus fuerit.

Quisquis vero ille sit, non minima quæstio est, quænam sit ejus de Eucharistia sententia. Et

Et Claudius quidem Charentonensis eum ubique jactat ut communem recentioris illius apud Græcos sentiendi ac loquendi rationis, quam *supra* exposuimus, auctorem. Ridicule profecto: cum is scriptor Græcis incognitus fuisse videatur, nec ab ullo laudatus fuerit, aut allegatus, quam a Glyca XII. seculo; omnes autem Græci contra in eo argumento exponendo ad libros *de orthodoxa fide* nuper a nobis prolatos passim confugiant, eosque non modo citent, sed etiam verbatim exscribere consueverint: proinde nemo non videt ex hoc publico, notissimo ac celebratissimo fonte recentiorum Græcorum theologiam ac fidem longe potius esse repetendam, quam ex illis obscuris, quæ nullo in usu aut pretio apud eos fuisse leguntur, opusculis. Neque tamen idcirco concedimus eum nobis adversari: imo vero nobis favet, sed veritati nonnulla admiscet peregrina, nec probanda, nec B. J. Damasceni menti consentanea.

Quatuor enim docet hic auctor: primum, Eucharistiam esse ipsum Christi corpus, & idem omnino cum eo, quod olim ex beata virgine Maria natum est: ita ut duo corpora non sint, sed unum: secundum, Eucharistiam eamdem esse corporis & sanguinis Christi naturalis quoddam velut incrementum, licet ab eo reipsa non distinguatur: tertium, corpus illud eucharisticum transire oportere per eosdem œconomiæ gradus, quos decurrit quondam ac subiit corpus Christi naturale, quartum est, corpus Eucharisticum ideo debere esse corruptioni obnoxium ad certum usque tempus quo in cœlum colligatur. 1. Itaque tradit Eucharistiam esse ipsummet Christi corpus, & idem omnino cum eo quod ex Maria quondam natum est: sic enim *homilia parva* incipit: " Corpus Domini quod participamus, fratres, inquit, id „ ipsum corpus est, quod ex nostra essentia accepit: quod ex impol„ luta Deipara assumpsit. Neque enim duo corpora Christo tribuimus. „ Unum enim ipsius est corpus, unamque hostiam pro nobis obtulit „ Deo & Patri. Quantumlibet enim sæpius mysticum hoc atque incruen„ tum sacrificium peragimus; eadem tamen est hostia. Idem enim corpus „ offerimus, eumdemque agnum Dei, qui tollit peccatum mundi. " Sic ille, nobiscum profecto in eo capite consentiens.

2. Pronunciat Eucharistiam eamdem esse velut quoddam naturalis corporis & sanguinis Christi incrementum, & accessionem quamdam ei in cœlis jam posito advenientem, ita tamen ut ab eo non fit aliud corpus, sed unum prorsus & idem. Cum enim quod in cœlo est corpus, idem in terris iterum producitur, videtur extendi, & augescere per novas dimensiones, quæ recens ei accedunt in sacramento, & in corpore mystico, dum participatione corporis, & sanguinis eucharisti„ ci, nova fiunt & crescunt membra Christi, sub ipso capite Christo. *Epistola ad Zachariam*, " Panis & vinum, inquit, in augmentum „ corporis Christi unum fit corpus, & non duo. " *In homilia* autem, „ Panis & vinum efficitur non naturali „ . . . . sed divina . . . . . dispen- [illegible]

„ sa-

„ ſatione in augmentum Dominici corporis, & ſanguinis, unum cor-
„ pus, non duo." *Et deinde:* "Quemadmodum igitur ex muliere
„ natus infans, perfectus homo eſt; edens autem & bibens augetur
„ quidem, ſed non aliud corpus aſſumit, neque duo aut plura ipſius
„ corpora dicimus, ſed unum, quod natum eſt ex matre; ſic & nunc
„ poſtquam caput noſtrum eſt Chriſtus, & nos cum ipſo corporari
„ ejuſque corpus ſumus, quod ſemper augeſcit, cum ipſo autem
„ concorporati ſumus participatione carnis, & ſanguinis ipſius." Creſcit itaque corpus Chriſti hinc quidem in ſacramento penes novas dimenſiones panis ac vini, quæ ei ſuperveniunt; illinc vero in fidelibus, cum Euchariſtiæ uſu ac potu ipſius corpus myſticum ſemper augeſcit.

3. Addit corpus Chriſti euchariſticum per eoſdem œconomiæ gradus tranſire debere, quos corpus Chriſti naturale olim decurrit. Quinque autem diſtinguit, & recenſet œconomiæ naturalis corporis Chriſti gradus; primum formationis in utero corporis Mariæ; ſecundum incrementi in eodem utero & extra; tertium ſublationis in crucem; quartum deſcenſus in ſepulchrum; quintum reſurrectionis. 1. Enim naturale corpus Chriſti in utero B. Mariæ ex præjacente materia Spiritus ſancti vi formatum eſt. 2. Ex cibo & potu matris intra eumdem uterum auctum eſt idem corpus; extra autem multo majus incrementum cepit ex pane, & vino quæ ſumebat: nec tamen duo facta ſunt corpora, ſed unum. 3. In crucem ſublatum eſt, & in ea vulneratum eſt, & morti ſeu corruptioni datum pro nobis. 4. Sepultum eſt & in terræ viſceribus incluſum. 5. Extremum tamen corruptionis genus non ſenſit, ex ipſa corruptione mortis ac ſepulchri immortale reſurrexit, & aſcendit in cœlos glorioſum.

Quocirca corpus Chriſti Euchariſticum eoſdem percurrit œconomiæ gradus. 1. Enim in altari quaſi in utero Mariæ ex materia præjacente ac præparata Spiritus ſancti invocatione & illapſu formatur Euchariſtia. 2. Ex euchariſtico cibo ac potu ejuſdem altaris, intra hoc ipſum altare, & ſacramentum fit ejuſdem corporis incrementum per novas illius cibi ac potus dimenſiones accedentes, & extra multo magis ex euchariſtico pane & vino per corporis myſtici augmentum; nec tamen ideo duo ſunt Chriſti corpora, ſed unum & idem. 3. A ſacerdotibus ſuſtollitur intra liturgiam. 4. Poſtquam diviſum eſt, & dentibus attritum, eaque ratione quodammodo corruptum, per ſacram communionem in viſcera noſtra velut in quodam ſepulchrum delabitur. 5. Tandem nec dentibus nec viſceribus plane corrumpitur; ſed contra ex iis ſurgit immortale & in cœlis recipitur. *In homilia*, "Oportebat, in-
„ quit, etiam in Dominici corporis accretione, (Euchariſtia) animo
„ contemplari omnem divinam œconomiam ipſius incarnationis, cru-
„ cifixionis, ſepulturæ, reſurrectionis.... Qua autem id ratione fa-
„ ctum eſt? 1. Illic ſancta virgo menſa erat, habens materiam cor-
„ poris.

„ poris . Deinde . . . . Spiritus ſanctus ſupervenit in ipſam : tunc . .
„ . . Verbum . . . . aſſumpſit ex ipſa carnem. Sic etiam jacet tanquam
„ in utero virginis in myſtica illa menſa materia , quæ eſt panis , at-
„ que vini , & aquæ mixtura . Dicit ſacerdos , quemadmodum Ange-
„ lus , ut Spiritus ſanctus ſuperveniens ſanctificet, & faciat panem qui-
„ dem illum Chriſti ſacrum corpus, & poculum illud ſanguinem Chriſti
„ pretioſum . “ Sic etiam *in epiſtola*, “ Jacet panis in ſacra menſa . . . .
„ tanquam in utero virginis, ... quemadmodum dixit angelus virgini, ...
„ *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te :* ſic etiam in menſa Spiritus ſanctus ſu-
„ pervenit, & fit corpus Chriſti .

2. *In homilia* “ Efficitur, inquit, non naturali & nobis inſita, ſed
„ divina & ſupra naturam diſpenſatione in augmentum Dominici cor-
„ poris & ſanguinis, unum corpus, non duo. “ Ita pariter *in epiſtola*,
„ De Dominico corpore, inquit, cujus participes reddimur , hoc dile-
„ ctioni tuæ ſignificamus, duo Chriſti corpora nos dicere non poſſe ;
„ ſed unum eſt ipſius corpus : & ſicut infans ex muliere natus perfe-
„ ctus eſt; edens autem & bibens augeſcit naturali facultate ; & licet
„ augeſcat, non duo efficiuntur corpora , ſed unum eſt : multo magis
„ ſuperventu Spiritus ſancti panis & vinum in augmentum corporis
„ Chriſti, unum fit corpus, & non duo . “ Iterum *in homilia* “ Que-
„ madmodum natus infans perfectus homo eſt , edens autem & bibens
„ augetur quidem, ſed non aliud corpus aſſumit, neque duo aut plura
„ ipſius corpora dicimus, ſed unum quod natum eſt ex matre ; ſic &
„ nunc poſtquam caput noſtrum eſt Chriſtus, & nos cum ipſo concor-
„ porati, ejuſque corpus ſumus, quod ſemper augeſcit : cum ipſo au-
„ tem concorporati ſumus participatione carnis & ſanguinis ipſius. “ 3.
„ *In homilia*, “ Deinde, inquit, extollitur in manibus ſacerdotis , &
„ diſtribuitur confractum. “ *In epiſt.* “ Deinde, inquit, per manus ſa-
„ cerdotis elevatur, velut in cruce. 4. *Ibidem*, “ Et in nobis, inquit,
„ ſepelitur & perficitur œconomia & quoad uſque a nobis ſumitur ,
„ corruptioni ſubjectum illud dicimus . Quomodo enim , ſi corrumpi
„ nequit, frangitur, & comeditur? “ *In homilia* vero ſimiliter , “ At-
„ que ita in nobis ſepelitur , inquit : .... hic enim finis eſt œcono-
„ miæ .... Quoad uſque a nobis ſumitur, omnia quæ corruptionis ſunt
„ ſuſtinet ; nam & frangitur a nobis cum reverentia : & iniquorum ma-
„ nibus, muribus & vermibus ſæpe inhonoratum projicitur. 5. Tamen
„ non omnimodam corruptionem patitur in nobis ; ſed contra ex ea
„ emergens corpus illud recipitur in cœlum. *Ibid* “ Non corrumpitur
„ in nobis , inquit , ut nec Domini corpus in ſepulchro corruptum
„ fuit, neque eo devenit ut eſſe deſinat. Colligitur enim modo inſen-
„ ſibili in unum corpus (Chriſti in cœlo) ..... Nam & Dominus
„ circumciſus fuit, & in cruce ex pedibus, manibuſque , & latere ſan-
„ guinem effudit; ſed in unum idemque tamen coiit : reſurrexit enim
„ totum corpus & integrum : .... mortis memoria corruptio eſt .

„ Cor-

„ Corruptio enim mors, sed non internecinus interitus. " Eodem sen-
„ su *in epistola*, " Post sumptionem, inquit, incorruptibile est & in
„ substantiam essentiamque animæ nostræ migrans, incorruptibile, in-
„ quam, atque interitus expers, ut nos quoque ab omni corruptione
„ atque interitu vindicet.

4. Ex iis colligit Christi corpus eucharisticum esse in eo sacramento corruptibile, donec in viscera nostra descenderit per sacram communionem, postmodum vero incorruptibile fieri per suam ad corpus cœleste aggregationem, sicut corpus Christi naturale corruptioni obnoxium fuit ad sepulchrum usque, immortale autem factum est per suam e sepulchro egressionem, resurrectionem & in cœlum ascensionem. *In epistola*.
„ Sicut corpus Domini, inquit, ex sacra Deipara natum, violabile erat
„ & corruptioni obnoxium usque ad resurrectionem clavis & lancea
„ conscissum, ita etiam corpus quod participamus, omnem hanc com-
„ plectitur œconomiam. " *In homilia* similiter, " Sicut corpus ipsius,
„ inquit, ante resurrectionem corruptioni erat subjectum, ut pote con-
„ fractum, esitatum & potum, non ita tamen ut omnino interiret.
Notat autem ea de causa Eucharistiam fuisse a Christo non post, sed ante resurrectionem institutam, ut videlicet corpus illud ac sanguis frangi posset, edi ac bibi, sicque corruptibile corpus indicaretur. Hu-
„ jus autem rei ergo, inquit *ibidem*, non post resurrectionem illud fe-
„ cit, sed ante resurrectionem, quia corpus quod per resurrectionem
„ existit incorruptibile, neque frangitur, neque editur, neque bibi-
„ tur &c.

Atque is videtur fuisse unus aut saltem præcipuus auctoris nostri scopus. Apparet enim totam ejus orationem eo tendere; ut ostendat corpus Christi in Eucharistia esse corruptioni obnoxium, & ea de causa conjicimus eum vixisse seculo XII. quo gravis erat inter Græcos ea de re altercatio; aliis incorruptibile fuisse asserentibus, quibus favet *in parallelis* B. Damascenus; aliis contra corruptibile esse contendentibus, quorum antesignanus fuerit noster scriptor, quem idcirco allegat Glycas ejusdem partis theologus.

De Iconoclastis.

Eodem seculo exorta est furiosa Iconoclastarum hæresis, quæ totam Ecclesiam ac præsertim Orientalem crudeliter divexavit sub Leone Isaurico & filio ejus Constantino Copronymo, qui ad roborandam impietatem Constantinopoli anno 754. coegit conciliabulum 338. episcoporum, a quibus imaginum cultus damnatus est.

Appellati sunt vero *Iconomachi*, quod omnibus sanctorum Christique ipsius imaginibus bellum indicerent, & *Iconoclastæ*, quod eas confringerent.

Eo autem potissimum argumento Christi imagines impugnabant, quod

quod cunctæ falsæ essent ac mendaces, ut pote quæ Christum ut reipsa
„ est non repræsentarent. Christus enim Deus simul est & homo: di-
„ vinitas ejus infinita est nec circumscripta: humanitas autem ab ea
„ quidem distincta est, cum ea tamen hypostatice conjuncta. Porro
imagines Christi, inquiebant, exhibent aut humanitatem Christi velut
a divinitate sejunctam, aut si divinitatem simul exhibent, eam exhibent circumscriptam & cum humanitate confusam. Proinde fallaces illæ sunt, cum hæresim aut Nestorianam aut Eutychianam sapiant. Sic illi in pseudosynodo Constantinopolitana: quod refertur in synodo Nicæna II. *act.* 6. *pag.* 427. 428. ac præcipue *pag.* 435. & 439. 442. 443.

Unam itaque Christi imaginem in ecclesiis esse retinendam *ibidem* definiebant, sacram videlicet Eucharistiam, quæ sola nobis Christum vere representat.

Ex quo Calviniani colligunt eos secum sensisse. Ita Albertinus *lib.* 3. *supra*: ita Claudius, qui addit eos super ea re tam diserte loqui, ut ne Calvinus quidem ipse clarius sententiam suam exponere potuisset. Nec desunt e catholicis, qui confiteantur Iconomachos in eo etiam capite errasse, imprimis Bellarminus, Coccius & alii.

Vulgo tamen theologi nostri censent eos quidem durius, & aliter quam tunc fieri soleret, esse locutos, non tamen ideo ab antiqua & communi tum temporis doctrina desciviſſe, quod nulla nempe esset novandi causa, nullus novitatis auctor visus fuerit, nulla de eo capite, quod longe majoris fuisset, quam imagines, momenti, ex instituto certamina, nullæ ex professo ea de re synodi, nulla conciliorum expressa decreta; sed obiter tantum de Eucharistia in eo negotio disputatum esse appareat.

ASSERTIO.

ICONOMACHI circa Eucharistiam perperam non senserunt.

PROBATUR 1. ex eorum liturgiis. Cum enim veteres liturgiæ, ut jam observavimus, multa habeant, eaque perspicua, cum realis præsentiæ corporis Christi in Eucharistia tum panis in illud transsubstantiationis documenta, si aliter sensissent Iconomachi eas haud dubie immutassent, nec reliquissent integras aut illibatas. Atqui easdem, quas a majoribus acceperant, liturgias corrupisse aut abjecisse non memorantur. Ergo.

PROBATUR 2. ex diserta eorumdem Iconomachorum in eadem synodo confessione. Sic enim loquuntur *tomo* 7. *conc. num.* 7. *pag.* 447. „ Dominus Jesus, inquiunt, ... sicut carnem quam suscepit, propria „ secundum naturam sanctificatione ex ipsa unitione deificavit; simili- „ ter & Eucharistiæ panem ..... divinum corpus fieri voluit. “ Hæc autem verba & comparatio ipsa evidenter ostendunt verum Christi corpus in Eucharistia esse juxta Iconomachorum sententiam.

PRO-

PROBATUR 3. ex ipsa imaginis ratione, quam in Eucharistia admittebant. Nedum enim, ex eo quod Eucharistiam vocarent *veram Christi imaginem*, colligi possit ab ipsis non esse agnitum in Eucharistia Christi corpus; contrarium inde elicitur. Alias enim Christi imagines idcirco respuebant ut mendaces, quod Christum ut est non repræsentarent. Eucharistiam autem imaginem Christi veram nominabant, quod Christum totum exhiberet: quia sub alia specie, ipsa erat Christus: & non modo Christi humanitatem, sed etiam divinitatem complectebatur. Veram enim Christi imaginem a Christo natura differre non oportere opinabantur. Sed hæc probanda sunt, ne quis ea a nobis confingi putet.

1. Igitur cæteras imagines Christi repudiabant, quod essent mendaces. *Num.* 6. " Colligitur ergo, inquiunt, ab his qui Christi imaginem pingendam existimant, aut divinitatem circumscriptam & carne confusam, aut corpus Christi non deificatum & divisum a divinitate ...... dari ..... Confundantur ..... qui .... colunt imaginem, quæ fallaciter ab eis facta & dicta est Christi. " 2. Eucharistiam contra veram esse Christi imaginem pronunciabant, in eoque veram hanc reponebant imaginem, quod Eucharistia esset verum Christi corpus. *Num.* 7. " Similiter, inquiunt, & Eucharistiæ panem, ut pote non falsam imaginem divinum corpus fieri voluit. " *Ibidem*, " Hæc, inquiunt, demonstrata est vera imago dispensationis, quæ in carne facta est, scilicet Christi Dei nostri. " 3. Imaginem Christi ab eo natura non discrepare debere arbitrabantur, testibus Patribus Nicænis, *ibid. num.* 3. " Ipsi, inquit synodus VII. obcæcati asserunt imaginem & prototypum non differre. " *Ibidem, num.* 5. " Ipsi, inquit eadem synodus, cum nihil habeant consentaneum rationi, quod dicant contra Ecclesiam catholicam, eadem de iisdem imagine & prototypo effantur. *Ibid. num.* 6. " Imaginem & exemplar id ipsum dicunt. " *Ibidem* " Isti, inquit, imaginem Christi & ipsum Christum nihil distare per substantiam dicunt. " Quæ cum ita sint, ex his consequitur Eucharistiam juxta Iconomachos esse ipsum Christi corpus naturale, ipsum esse Christum, nec ab eo natura distingui posse.

PROBATUR 4. eorum ipsorum, qui Iconoclastis restiterunt, testimonio. Iconomachorum enim mentem longe melius dubio procul norant, qui eadem ætate cum illis manus conferebant, quam hodie Calviniani. Jam vero catholici, qui adversus Iconomachos decertabant, ubi de Eucharistia agunt, vulgo eosdem incusare solent, quod ipsi sibi non constent, sed contradicant, dum imaginem dicunt Eucharistiam, quam reipsa sentiebant verum esse Christi corpus.

1. Patres synodi VII. " Ipsi vero viri fortes, (Iconomachi,) inquiunt, volentes venerabilem imaginum demoliri visionem, aliam imaginem introduxerunt, quæ non est imago, sed corpus & sanguis. De-

„ . . . . Deinde dimisso mendacio tangunt pauxillum quid veritatem, „ hanc imaginem divinum corpus dicentes fieri. At si imago corporis est, „ non potest esse hoc divinum corpus. Sic apud eos qui hinc & inde ferun- „ tur, omnia quæ prædicantur, instabilia sunt " &c.

Nicephorus Constantinopolitanus *de Cherubim*, *cap. 6. tomo* 14. *biblioth. Patrum*, " Constantinus Iconomachus, inquit, imaginem Chri- „ sti vocat, quod nobis dedit Christus ad manducandum. Quomodo „ igitur idem dicitur corpus Christi & imago Christi? Quod enim est „ alicujus imago, hoc corpus ejus esse non potest. " *Et rursus*. " Quod est corpus, non potest esse ejus imago. " Idem *in Antirrheti*- „ *co*. 2. apud Allatium *de consensu utriusque Ecclesiæ lib. 3. cap.* 15. „ Non sine stupore admirabitur quispiam, inquit, ipsius quoque in „ his futilitatem atque inconstantiam, quoniam quod paulo ante pro- „ prie vereque corpus Christi contendebat accidere, hoc idem nunc „ imaginem illius affirmat. At idem proprie ac vere corpus esse, & „ imaginem illius esse dicere, an excogitari stolidius potest? Nos enim „ (catholici) neque imaginem, neque figuram corporis illius hæc di- „ cimus, licet symbolice conficiantur; sed ipsum Christi corpus dei- „ ficatum. Illius enim dicentis vox est, *Nisi manducaveritis*, *&c.*... „ Hoc etiam exhibebat apostolis, manducate *corpus meum*, dicens, non „ *imaginem corporis mei*. Quemadmodum enim ex sacra virgine carnem „ per Spiritum sanctum sibi ipsi substituit, & quemadmodum ... panis „ vinum & aqua naturaliter in corpus & sanguinem edentis & biben- „ tis transmutantur, neque dicemus aliud corpus diversum a primo „ fieri, ita & hæc supernaturaliter in corpus & sanguinem Christi trans- „ mutantur, & non duo intelligimus, sed unum & idem fieri credimus. " Vide *& de Cherubim*, *&c.*

Theodorus Studites *in Antirrhet.* 1. *num.* 10. Iconomachos alloquens " Quomodo appellas quæ a sacerdote . . . . tractantur, inquit? ima- „ ginem, an veritatem? Quod si imaginem, o rem absurdam! a „ blasphemia in blasphemiam ruis . . . . Sin autem veritatem, ut re- „ vera est, ipsum enim corpus & sanguinem Christi fideles . . . con- „ fitentur; quorsum nugaris, veritatis mysteria ad figuram traducens? " *In Antirrhetico* autem 2. in morem dialogi contexto *num.*31. Orthodoxus, " Quo in numero habes, (Iconomache) inquit, corpus & sangui- „ nem Domini nostri Jesu Christi? " Hæreticus, " Sancta sunt pro- „ cul dubio, inquit " . . . . Orthodoxus, " Hæc itaque etiam adoranda „ judicas? " Hæreticus, " Et quis adeo impie dicat qui non sancta simul & „ adoranda confiteatur? " Orthodoxus: " Non igitur inquit tecum pu- „ gnantia loqueris? &c.

Eadem itaque de Eucharistia fides erat Iconomachorum, quæ catholicorum, a quibus illi tamen reprehendebantur inconstantiæ, quod cum eam crederent verum esse Christi corpus, idque vere ac proprie, nihilominus eam donarent nomine *imaginis*, quod eo ævo vix aliam habe-

habebat quam popularem significationem, juxta quam idem imago non censetur esse quod natura ac substantia; idem cum eo cujus imago est. Sic enim disputabant catholici : Imago non est id cujus imago est, natura nempe ac substantia . Sic enim conceptis verbis loquuntur Patres synodi VII. *supra num.* 3. 4. 5. & 6. & Nicephorus *de Imaginibus lib.*3. Atqui Eucharistia est ipsum Christi corpus, idem natura & substantia cum corpore ejus naturali. Ergo non potest esse imago . Proinde a vobis *imago* immerito appellatur, qui censetis eam vere, & proprie esse ejus naturale corpus.

PROBATUR 5. ex synodi VII. cum Iconoclastis agendi ratione. Non pauci enim ex iis præsules ad saniorem mentem reversi, ut in synodi VII. cœtum reciperentur enixe postularunt. Annuit synodus, fideique professionem ediderunt illi, qua errores suos ejurarunt. At nulla ibi mentio est de Eucharistia. Ergo reipsa circa Eucharistiam non errabant. Consule *act.* primam synodi, & quomodo admissi sint Basilius Ancyranus, Theodorus Myrensis, &c.

PROBATUR 6. ratione adversus theologos illos catholicos, qui in hac quæstione cum Calvinianis consentiunt. Quis enim putet sine strepitu, & contentione octavo seculo mutari potuisse tam celeriter antiquam, & inveteratam Ecclesiæ de Eucharistia fidem? Quis sibi persuadeat 338. episcopos statim in eam novitatem concessisse? Quis denique non videat, si hoc accidisset, Iconoclastas longe potius ob hoc caput, quod primarium est religionis nostræ dogma, in invidiam & odium fuisse vocandos, quam propter imagines, quæ multo minoris erant momenti? Quapropter non veritatis modo, sed etiam Ecclesiæ catholicæ interest errorem hunc ab Iconomachis depellere.

OBJICIES 1. cum Albertino. Inconomachi in conciliabulo suo de Eucharistia sic loquuntur *act. 6. concilii Nicæni II.* : " Lætentur & exultent & fiducialiter agant, qui veram Christi imaginem sincerissima anima faciunt & desiderant & colunt, & in salutem corporis & animæ offerunt; quia ipse .... Deus noster .... secundum tempus propriæ passionis in typum & rememorationem evidentissimam tradidit ministris suis. Nam .... acceptum panem benedixit, ... & dans dixit : .... *Hoc est corpus meum*; similiter & calicem tradens dixit : *Hic est sanguis meus : hoc facite in meam commemorationem* : veluti nulla alia figura ab eo electa sub cœlo vel imagine, repræsentare ejus incarnationem valente. En ergo imago vivifici corporis ejus pretiose ac venerabiliter facta. Quid enim argumentatus est in hoc sapientissimus Deus? Nonne ut ostenderet & exprimeret nobis mysterium quod operatus est per dispensationem suam? quia sicut id quod ex nobis suscepit, materia sola est humanæ substantiæ, non figurantis proprie subsistentem personam, ut non additamentum personæ divinitati intercidat : ita & imaginem, materiam præcipuam, id est panis substantiam præcepit offerri, non figurantem hominis

„ formam, ne idololatria subintroducatur. Sicut ergo quod secundum
„ naturam Christi corpus est, sanctum est ut deificatum; ita & mani-
„ festum est de illo quod est, institutione seu de sancta ejus imagine;
„ ut per quamdam sanctificationem gratiæ deificata. Hoc enim moli-
„ tus est, ut diximus, Dominus Christus, ut sicut carnem, quam su-
„ scepit, propria secundum naturam sanctificatione ex unione deifica-
„ vit; similiter & Eucharistiæ panem ut veracem imaginem naturalis
„ carnis, per adventum sancti Spiritus sanctificatum, divinum corpus
„ fieri voluit, mediante sacerdote oblationem, ex communi ad sanctum
„ quid transferente. Itaque Christi secundum naturam caro animata &
„ intellectualis uncta est Spiritu sancto ad divinitatem; similiter & di-
„ vinitus tradita imago, divinus scilicet panis, repletus est Spiritu san-
„ cto cum calice vivifici sanguinis lateris ejus. Hæc ergo demonstrata
„ est vera imago dispensationis Christi Domini nostri in carne, que-
„ madmodum supra dictum est, quam ipse nobis verus naturæ vivifi-
„ cator & factor propria voce tradidit.

Ex quo Albertinus & Claudius sic arguunt: Iconomachi clare defi-niunt Eucharistiam esse imaginem corporis Christi. Ergo.

Distinguo antecedens: imaginem corporis Christi eo plenam; concedo: imaginem vacuam; nego. Duplex esse imaginum genus *supra* observavimus. Eucharistiam autem esse imaginem corporis Christi præsentis, non vero absentis, cum universa Ecclesia sentiebant Iconomachi. Scilicet illi nullum agnoscebant cultum, ut loquuntur scholæ, relativum. Atqui venerabantur illi tamen Eucharistiam, ut ipsimet affirmant hoc ipso in loco: neque quidquam novasse dicuntur in ritibus liturgicis, idque supponit in sua cum Constantino Copronymo disputatione Stephanus Junior, sic ajens apud Damascenum: " An tu quo-
„ que corporis & sanguinis antitypa ab Ecclesia proscribes, ... quæ
„ adoramus & osculamur & eorum perceptione sanctitatem consequi-
„ mur? " Ergo Christum in Eucharistia esse existimabant.

Instabis. Agnoscunt Iconomachi in Eucharistia substantiam panis. Ergo eam esse imaginem vacuam censebant.

Distinguo antecedens: substantiam panis ut electam materiam, quam Christus præceperit offerri: concedo: ut rem, quæ post consecrationem remaneat; nego. Verba diserta sunt, nec ambigua.

Instabis 2. Iconomachi ajunt Eucharistiam esse imaginem non fallacem incarnationis. Ergo sicut in incarnatione post unionem tota manet humanitatis substantia; sic & in Eucharistia post consecrationem tota substantia panis.

Distinguo antecedens: imaginem non fallacem incarnationis, quia Christum totum exhibet, qualis fuit in incarnatione; concedo: secus; nego.

Instabis 3. Opponunt Iconomachi corpus Christi eucharisticum corpori Christi naturali. Ergo non est ipsum Christi corpus naturale.

Di-

Distinguo antecedens : opponunt penes ſtatum & modum ; concedo : penes rem ipſam ; nego. Expendatur locus, & patebit ſolutio. In eo enim opponunt præſertim, quod corpus Chriſti in incarnatione natura tale fuerit; in Euchariſtia autem non ſit corpus niſi ex inſtitutione Chriſti : quod ſane eſt veriſſimum.

Instabis 4. Dicunt Iconomachi Euchariſtiam non fuiſſe donatam figura humana, ne idololatria ſubintroduceretur. Ergo juxta eos adoranda non eſt.

Distinguo antecedens : ne idololatria ſubintroduceretur erga cæteras imagines eadem figura expreſſas, eas adorando; concedo : erga ipſam Euchariſtiam, eam adorando ; nego. Ita locuti non ſunt Iconomachi, quaſi putarent adorari non debere Euchariſtiam, & eam tamen adorandam fore, ſi humana ſpecie prædita eſſet. Nam 1. Illam ſub ea, quam habebat tum, forma adorabant, ut modo oſtendimus : deinde humana ſpecies non eam adoratione dignam feciſſet, ſi adorari alias non debuiſſet ; non magis profecto, quam humana ſpecies reliquas imagines faciebat venerabiles, quibuſcum ejuſdem foret conditionis Euchariſtia, ſi imago inanis eſſet. Advertunt itaque ſolum Euchariſtiam non fuiſſe inſignitam humana figura, ne, quæ ei debetur adoratio, occaſio eſſet reliquis ejuſdem formæ colendis imaginibus, in quo illi ſummum idololatriæ crimen conſtituebant.

Instabis ultimo. Præſules Nicæni aſſerunt *imaginis* nomine excludi veritatem, ideoque arguunt Iconomachos, quod eo nomine uterentur. Ergo Iconomachi, qui illa voce utebantur, non putabant in Euchariſtia eſſe verum Chriſti corpus.

Distinguo antecedens : *imaginis* nomine excludi veritatem, juxta popularem intellectum & uſitatam tunc temporis ſignificationem ; concedo : juxta Iconomachorum ſententiam & reipſa ; nego. De quo abunde *ſupra*.

De erroribus ſeculi IX.

Ad illud tandem ſeculum devenimus, quod Calviniani introductæ circa Euchariſtiam novitatis infamia præ cæteris onerant.

Nimirum ſi, ut ipſi jactant, vetus Eccleſia cum iis ſenſit, XI. autem ſeculo cum Berengarius prodire cœpit in lucem, tota adverſus eum reclamavit Eccleſia, quod iidem confitentur, mutata eſt haud dubie tempore intermedio fides. Sed quandonam id cœperit, apud eos multum diuque dubitatum fuit, aliis alia, ut fas erat, mutationis initia & progreſſum pro libito fingentibus ac figentibus, donec Albertinus cæteris ſagacior deprehendit ſeculo demum nono, Paſchaſio monacho duce, e monaſterii Corbeienſis umbra prodiiſſe mirabilem illam rerum converſionem, exordia ſua, ac profectus nexuſque ſuos celantem, quæ univerſum orbem occupavit. Addit ille adverſus Paſchaſii novita-

tes inauditas statim insurrexisse palam & aperto capite plerosque illius ætatis eruditos viros, Rabanum Maurum, Heribaldum Antissiodorensem, Ratramnum, Joannem Scotum, seu Erigenam. Sed tamen allaborante Paschasii factione novam eo ipso seculo admodum invaluisse doctrinam: illam vero per tenebras decimi seculi tantas acquisivisse vires, ut undecimo cum Berengarius erupit, cunctam Ecclesiam invasisset. Albertini invento totus applausit Calvinianorum chorus. Itaque Claudius, Laroquanus, Banagius ejus vestigiis insistendum sibi esse judicarunt. Quæ cum ita sint, agendum nobis est, 1. de celebri illo Paschasio; 2. de Rabano & Heribaldo & quibusdam aliis ignotis, qui eis contra Paschasium consensisse perhibentur. 3. de Ratrmno; 4. de Joanne Scoto; 5. denique de Stercoranistarum errore, qui Paschasii adversariis attribuitur.

De Paschasio Ratberto.

PASCHASIUS Corbeiensis primo monachus, & dein abbas, rogatus a quodam Placidio discipulo suo, librum *de corpore & sanguine Domini* in gratiam juniorum novæ apud Germanos Corbeiæ monachorum, non ita pridem ad religionem nostram adductorum, scripsit anno, ut vult Albertinus, 818. & post illum nonnulli ex scriptoribus catholicis; vel ut aliis rectius videtur, anno 831. simplici quidem stylo; sed majore quam ullus unquam copia, & tam accurata ratione, ut magnum plerisque ad intelligendum hoc mysterium, cujus fide jam imbuti erant, lumen accenderit: quem quidem librum ad illud usque tempus omnibus gratum & acceptum anno 844. ad Carolum Calvum transmisit.

In eo duo docet. 1. Est, verum Christi corpus ac sanguinem in Eucharistia existere. 2. Panis & vini substantiam in Christi corpus & sanguinem converti.

His tria adjicit consectaria. 1. Hoc corpus esse illud idem dicendum, quod de Maria virgine natum est, & in cruce suffixum. 2. Eucharistiam non esse secessui obnoxiam. 3. Eam esse figuram simul & veritatem.

In eo opere dum animum lectoris firmat Scripturarum & traditionis auctoritate adversus dubitationes, quæ possent suboriri, & impios qui in ipso Ecclesiæ catholicæ sinu viventes, id mente rejicere audent quod non capiunt, licet verbis & scriptis impietatem suam palam non disseminent, affirmat *capit.* 12. ita constans ac necessarium esse Ecclesiæ de præsentia reali dogma, ut, qui illud non credit, impio deterior sit.

Anno autem circiter 852. scribens librum duodecimum *commentariorum suorum in Matthæum* & eamdem constanter tradens doctrinam, monet nonnullos esse, quibus, ut ex rumore acceperat, ea non placerent, quique dicerent Eucharistiam. " Non in re esse veritatem carnis Chri-

" sti

„ sti vel sanguinis; sed tantum in sacramento virtutem quamdam car-
„ nis & non carnem, virtutem sanguinis & non sanguinem." Addit tamen neminem esse, qui in aperto hoc ita esse contradicat, quod totus orbis confitetur & credit.

Anno autem 860. aut circiter *epist. ad Frudegardum* eosdem obtrectatores notat ac refellit. Ibi autem sententiam suam appellat *fidem sanctorum;* qui autem eam impugnant, illos asserit contra ipsum Dominum & contra omnem Ecclesiam agere. "Videat, inquit, qui con-
„ tra hoc venire voluerit, ... quod agat contra ipsum Dominum
„ & contra omnem Christi Ecclesiam." *Ibidem.* "Ideo, inquit, quam-
„ vis quidam de ignorantia errent, nemo tamen est adhuc in aperto,
„ qui hoc ita esse contradicat, quod totus orbis confitetur & credit."
„ *Paulo ante,* "Nefandum ergo scelus est, orare cum omnibus, & non
„ credere quod ipsa veritas testatur, & ubique omnes universaliter ve-
„ rum esse fatentur.

Quibus quidem verbis forte arguit Joannem Scotum, qui errorem fovens & clam primo spargens, deinde scripsit librum *de corpore & sanguine Domini*, de quo post verba faciemus.

Atque hic ille est Paschasius, quem Berengarius olim *ineptum*, *erraticum*, *& erraticorum ducem* vocabat, ut mirum sit eum inter Calviniani dogmatis patronos ab Hospiniano, Boxhornio aliisque fuisse recensitum. Hallucinationem detexit Albertinus *lib. 3. de Eucharistia*. Itaque ex eo tempore in Paschasium invecti sunt Calviniani ut novatorem, & primum illius, quod hodie profitemur, dogmatis auctorem. Contra sit

ASSERTIO.

PASCHASIUS dici non potest novum de Eucharistia dogma in Ecclesiam invexisse.

PROBATUR 1. ex dictis. Ex iis enim jam constat omnes ad hanc usque ætatem Ecclesias sive Orientales sive Græcas, omnes earum gentium scriptores non aliam ab ea, quam profitemur, doctrinam tradidisse. Id autem clarius adhuc patebit ex dicendis. Ergo.

PROBATUR 2. Is enim velut in fide novator immerito habetur, cui nullus ex iis characteribus convenit, qui in ejusmodi novatores competere solent. Atqui talis est Paschasius. 1. Enim, qui susceptam fidem invertere ac corrumpere volunt, nihil non moliuntur, ut incautos decipiant, omnesque artes adhibent, ut fucatis argumentis novam suam doctrinam persuadeant, præsertim apud doctos, & fideles ab antiqua fide & religione dimoveant. At contra Paschasius *in lib. de corpore & sanguine Domini* breviter ac nitide sententiam suam, imo Ecclesiæ doctrinam exponit sine fuco & sine ulla fere arte. Totus est ut juniorum monachorum mores informet ad pietatem: stylus humilis est ac seda-

tus, qualis esse solet magistrorum res certas & indubias docentium; non concitatus, qualis est disputantium. 2. Commune est omnibus, qui novas doctrinas ingerunt, ut dicant cæteros omnes in errore versari, sibi solis notam esse veritatem, destinatos se esse ad aliorum errata evellenda & corrigenda. At Paschasius contrariam prorsus iniit viam. Aperte profitetur proponere se sanctorum fidem. *In epist. ad Frudegardum* confidenter pronunciat communem esse hanc omnium doctrinam: " Usque ad præsens, inquit, nemo deerrasse legitur, nisi qui de Chri„ sto erraverunt. " Asserit, ut vidimus *supra*, se cum omni sui temporis Ecclesia consentire. At istud novatorem non sapit. Quis enim novator eo stultitiæ ac impudentiæ unquam venit, ut diceret se nihil aliud proponere, quam quod omnes ac singuli credunt & confitentur? Nonne horum hominum is contra mos est, ut conquerantur de erroribus, qui in Ecclesia passim obtineant, ac sese prædicent, quasi veteris & sanæ majorum doctrinæ instauratores. 3. Qui nova inducunt in veterem fidem, statim in se omnes Ecclesias commovent, multa excitant certamina. At Paschasius contra nihil ejusmodi sensit aut fecit. In pace & omnium communione vixit ac mortuus est. Nonnullos quidem aliter sentire accepit; sed ex rumoribus ad quos obstupuit: " Mi„ ror, inquit, quid velint nunc quidam dicere non in re esse verita„ tem corporis Christi nec sanguinis, sed in sacramento virtutem quam„ dam carnis & non carnem. " Imo & Frudegardus, ad quem ea de re scripsit, testabatur se in eadem fide educatum esse. " Dicis, inquit, „ te sic antea credidisse, & in libello meo quem de sacramentis edi„ di, ita legisse; sed profiteris te *in libro* 3. *de doctrina Christiana* B. „ Augustini legisse, quod tropica locutio sit. Ergo.

PROBATUR 3. Ille non est censendus novasse circa fidem Eucharistiæ, qui in nullum unquam concilium sive episcoporum sive abbatum, quibus subditus erat, vocatus fuit, nedum in illo damnatus fuerit. Neque enim dubium esse potest, quin omnibus odiosus evasisset ob ejusmodi novitatem. Atqui Paschasius nunquam accusatus fuit. Quin imo semper summo in pretio habitus est ab episcopis atque abbatibus sui temporis, ut patet cum ex aliis, tum ex privilegio Corbeiensi monasterio concesso a viginti Patribus concilii Parisiensis anno 846. non sine laude monachorum Corbeiæ degentium, qui Paschasii doctrina imbuti erant. Huic privilegio post undevicenos episcopos subscripsit Ludovicus abbas monasterii pretiosissimorum martyrum Christi Dionysii ac sociorum ejus.

Præterea Lupus abbas Ferariensis, vir eodem tempore celeberrimus *epist.* 46. Paschasium appellat *dilectissimum & bonis omnibus amplectendum.* Engelmodus autem episcopus Suessionensis in carmine ad Ratbertum abbatem, ipsum vocat *decus & lucem mundi*, *Ecclesiæ columen*, *fidei fortissimum umbonem*. Quis porro sibi persuadeat novatorem a scriptoribus coætaneis tantis cumulatum fuisse laudibus?

OBJI-

OBJICIES 1. cum Claudio. Paſchaſius fatetur doctrinam a ſe propoſitam pluribus ignotam eſſe. " Quamvis plurimi, inquit *in epiſt. ad Fru-* „ *degardum*, ignoraverint tantæ fidei ſacramenta. " Imo aſſerit eam ſententiam quam propugnat, a multis in dubium revocari. " Quæris enim „ de re ex qua multi dubitant, inquit *ibidem*, quam ſi forte ad plenum „ non intelligunt, utique credere debuerant verba Salvatoris, qui non „ mentitur verax Deus, cum ait, *Niſi manducaveritis*, &c. " *Ibidem*, " Hæc ſanctorum fides, chariſſime, inquit, quamvis multi ex hoc dubi- „ tent, quomodo ille integer maneat & hoc corpus Chriſti & ſanguis eſſe „ poſſit. " Ergo.

DISTINGUO antecedens: ignotam multis rudibus & indoctis, propter ignorantiam fidei, ut loquitur Paſchaſius; concedo: ignotam multis doctis & fidei doctrina imbutis; nego. Audiamus ipſum Paſchaſium *in epiſtola laudata* ſic eos contra quos diſputat, deſcribentem: " Quidam loquaciſſi- „ mi, inquit, magis quam docti, dum hæc credere refugiunt, quæcun- „ que poſſunt, ne credant quæ veritas repromittit, opponunt, & di- „ cunt nullum corpus eſſe, quod non ſit palpabile & viſibile .... Ecce quam bene diſputant contra fidem ſine fide. " Deinde adeo obſcuri erant ii quibus nova videbatur Paſchaſii de præſentia reali doctrina, ut nonniſi ex incertis rumoribus accepiſſet ſe incurriſſe quorumdam re- „ prehenſionem: ſic enim loquitur *in commentario in cap. 26. S. Matth.* quem ſcripſit viginti annis poſt editum librum *de corpore & ſanguine Domini:* " Audivi, inquit, quoſdam me reprehendere quaſi ego in eo li- „ bro, quem de ſacramentis Chriſti edideram, aliquid his dictis plus „ tribuere voluerim aut aliud, quam ipſa veritas repromittit. " Et ideo *in epiſtola ad Frudegardum* ait neminem ſibi IN APERTO contradixiſſe.

OBJICIES 2. locum Paſchaſii deſumptum *ex eadem epiſtola*, ubi ait plures ad intelligentiam hujus myſterii a ſe fuiſſe commotos: ex quibus ſic infert Claudius: Doctrina quæ multos commovet, non poteſt dici antiqua, ſed nova ac recens reputanda eſt. Atqui talis erat doctrina Paſchaſii, ut ipſemet fatetur. Ergo.

DISTINGUO majorem: doctrina quæ multos commovet, id eſt, novitate ſua perturbat, antiqua dici non poteſt, ſed eſt recens, & nova; concedo: doctrina, quæ multos commovet, id eſt excitat ad pleniorem ſui intelligentiam, non poteſt dici antiqua; ſed eſt recens ac nova; nego. Porro ex libro Paſchaſii multi quidem commoti ſunt, ſeu excitati ad intelligentiam, & perfectiorem ſacramenti notitiam, quia multi, ut ipſe *ibidem* ait, ad plenum non intelligebant: ſed non ait Paſchaſius eos fuiſſe doctrina ſua perturbatos.

OBJICIES 3. cum eodem Claudio verba Paſchaſii ad Frudegardum, in quibus examini ac correctioni ſubjicit doctrinam ſuam atque librum *de corpore & ſanguine Domini:* "Tu autem, inquit, velim relegas libellum „ noſtrum de hoc opere, quem olim te legiſſe dicis: & ſi quid in eo re-

„ prehenderis aut dubitaveris, relegere non pigeat: quia etsi nihil in eo
„ legentibus dignum scripsi, quem cuilibet puero dedicavi, tamen ad in-
„ telligentiam hujus mysterii plures, ut audio, commovi. " Qua autem ratione potuisset suspicari Paschasius librum suum reprehensioni obnoxium esse posse, si in eo antiquam duntaxat Ecclesiæ fidem exposuisset. Ergo, inquit Claudius, temporis sui doctrinam ac fidem non tenebat ac tuebatur Paschasius.

Nego consequentiam. Namque subjici potest aliquis liber censuræ & reprehensioni doctiorum, licet in eo libro Patrum fides exponatur. Non enim doctrina ipsa, sed modus, quo defenditur, argumenta quibus propugnatur, methodus & series rationum examini subjiciuntur. Sic Alcuinus Caroli Magni judicio subjecit librum quem conscripserat de his, quæ pertinebant ad fidem: sic Agobardus episcopus Lugdunensis librum suum, quem conscripserat adversus Felicem Urgelitanum, Ludovico Augusto obtulit, quem sic alloquitur: " Subter annexum opusculum sincerissimo
„ ac subtilissimo sacroque acumini prudentiæ vestræ dijudicandum dire-
„ xi, ... ut vestro, inquit, acerrimo ingenio probetur aut improbe-
„ tur. " An inde quis recte concluderet Agobardi doctrinam fuisse novam, vel de ea aliquatenus diffisum fuisse? minime sane. Sic & alii plures scriptores præ modestia nonnumquam libros suos aliorum judicio subjecere, quamvis agerent de doctrina fidei, & certissima Ecclesiæ doctrina.

De Rabano Mauro, Heribaldo, & quibusdam ignotis, seu anonymis scriptoribus.

Calvinistæ, ut fabulam suam de introducto per Paschasium novo dogmate verisimilius tueantur, opponunt ipsi plures adversarios, quorum præcipuus est Rabanus propter summam eruditionis famam. Hujus autem doctrina ferme non potest explicari, quin simul exponatur sententia Heribaldi, & quorumdam aliorum scriptorum, quorum nomen haud satis notum est.

Rabanus Maurus primum discipulus fuit Alcuini; dein Fuldensis monachus, quo in monasterio sacras litteras docuit: postea autem factus est episcopus Moguntinus. Nullum scientiæ genus incultum reliquit; & in omnibus fere disciplinis exercitatissimus fuit. Hunc Trithemius ait fuisse virum plane omni litterarum genere egregie excultum, triumque linguarum Hebrææ, Græcæ & Latinæ peritissimum. Sedem Moguntinam occupavit ab anno 847. ad annum 856.

Heribaldus scriptor est satis obscurus, nec aliunde fere notus, nisi ex quæstione, quam Rabano proposuit de Eucharistia, quæ satis ostendit quam exiguum ei fuerit ingenii acumen. Inter Paschasii adversarios recensetur: verum exponendo mentem Rabani ostendemus utrumque hunc scriptorem plane consensisse in fidei doctrina de præsentia reali cum Paschasio.

Raba-

Rabanum Maurum Paschasii adversariis adjungit anonymus, qui dicitur Cellotianus, quod a Cellotio editus fuerit. Quid autem de eo sentiendum sit, & alio apud Mabillonium *parte 2. seculi 4. Bened. pag. 562.* tertioque anonymo, qui reperitur *tomo 12. spicilegii, pag. 39.* dicemus in sequenti assertione, in qua Rabanum ab errore, quem ei affingunt Calviniani, vindicamus. Sit itaque

ASSERTIO.

Rabanus Maurus Paschasii doctrinam de præsentia reali nunquam impugnavit.

Probatur, quia Rabanus expresse docet præsentiam realem & conversionem panis & vini in corpus & sanguinem Christi. Sic enim habet *lib. 7. de sacris ordinibus, cap. 10.* " Quis unquam crederet, inquit, quod panis in carnem potuisset converti, vel vinum in sanguinem, nisi ipse Salvator diceret, qui panem & vinum creavit, & omnia ex nihilo fecit? Facilius est aliquid ex alio facere, quam omnia ex nihilo creare. " Et ex fine *commentarii in librum Josue*, nondum quidem editi, hæc verba refert doctissimus Mabillonius, penes quem erat commentarius ille manuscriptus, in quo ait Rabanus victimis legalibus successisse " Novi testamenti sacerdotium: ubi agni immaculati caro & sanguis in sacris altaribus offertur & fidelium ore in pastum animarum suarum salubriter præcipitur, ut umbra legis recedente veritas pateat evangelii per ipsum Dominum Jesum Christum.

Objicies 1. testimonium anonymi Cellotiani *in appendice Gotescalchi*, ubi diserte testatur *cap. 1.* Rabanum Maurum contra Paschasii sententiam scripsisse. Hæc sunt illius auctoris verba. " Dico autem Paschasium Ratbertum Corbeiensem abbatem, qui, rogatus incertum an provocatus, scripsit de eadem re libellum ad centum fere capitula satis utilem, quem cum respersérit multa multorum auctoritate Patrum, ponit ex nomine B. Ambrosii, quod non alia plane sit caro, quæ sumitur de altari, quam quæ nata est de Maria virgine, & passa in cruce, & quæ resurrexit de sepulcro, quæque pro mundi vita adhuc hodie offertur; contra quem satis argumentantur & Rabanus *in epist. ad Egilonem*, & Ratramnus, dicentes aliam esse " (scilicet carnem.) Ex quibus verbis colligunt Rabano non placuisse sententiam Paschasii de præsentia, ut ajunt, reali, atque ab ipso fuisse impugnatam.

Respondeo 1. incertum esse quisnam sit anonymus ille. Mabillonius *præfatione in partem 2. seculi 4 Bened.* §. 3. multis conjecturis ductus existimat hunc scriptorem esse Herigerum Laubiensem in Belgio abbatem. Harum conjecturarum præcipua est, quod in Gemblacensi manuscripto codice hæc legantur: " Dicta domini abbatis Herigeri de corpore &

„ & sanguine Domini, " cum hoc exordio : " Sicut ante nos dixit „ quidam Sapiens, cujus sententiam probamus, licet nomen ignoremus. Quæ ipsissima sunt verba quibus prooemium ipsum inchoat anonymus Cellotianus. Certum est præterea ex testimonio continuatoris *chronici Laubiensis* Herigerum congessisse contra Ratbertum " Multa catho- „ licorum Patrum scripta de corpore & sanguine Domini, " ipsumque obiisse in senectute bona anno incarnationis Domini 1007. pridie Kal. Novembris. Quamvis gravissima merito videantur erudito Mabillonio argumenta, quibus ostendere conatus est anonymum illum eumdem esse cum Herigero, illud tamen omnibus nondum persuasit; siquidem negat, qui post Mabillonium scripsit Banagius *tomo* 2. *historiæ Ecclef. lib.* 16. *cap.* 4. *num.* 3. nixus levibus quibusdam argumentis. Verum quisquis sit auctor ille, certum est ipsum fuisse exigui prorsus ingenii, tenuique ac vulgari duntaxat eruditione instructum. Proinde ejus testimonium non ita graviter urgendum est, ubi agitur de sententia Rabani & aliorum, quorum sensum minime forsitan assecutus est.

Respondeo 2. ex anonymi illius testimonio nequaquam colligi posse doctrinam Paschasii in se spectatam a Rabano impugnatam fuisse; sed duntaxat penes modum ac locutiones quasdam, quibus usus fuerat Ratbertus exponens doctrinam suam. Consentiebant itaque cum Paschasio ejus adversarii in rei summa; sed in modo tantum loquendi dissentiebant. Quidam cum Paschasio existimabant corpus Christi naturale & eucharistiam non solum idem esse, sed etiam idem dici debere: & revera hic loquendi modus non paucis antiquorum Patrum testimoniis roboratur ac confirmatur. Contra vero alii, quibus nota non erant vel non satis observata hæc sanctorum Patrum testimonia, putabant inusitatum esse hunc loquendi modum, proinde non admittendum, quia quædam competunt corpori Christi naturali, quæ de eucharistico nequaquam dici possunt. Hæc omnia plana ac perspicua reddemus exponendo doctrinam & sententiam unius ex adversariis Paschasii. Ille est anonymus Gemblacensis, cujus libellus a Mabillonio repertus est cum hoc titulo, *Dicta cujusdam sapientis de corpore & sanguine Domini adversus Ratbertum*.. Quis ex Calvinianis non statim hunc titulum arripiat, ut protinus ex eo concludat auctorem illum Paschasii doctrinam de conversione reali panis & vini in corpus & sanguinem Christi impugnasse? verum præcipitem illum argumentandi modum temperare ac retardare debet ipsa confessio auctoris, qua confutationem suam sic orditur: " Quod corpus & sanguis „ Domini vera sit caro verusque sanguis, unusquisque debet credere, „ nosse, tenere, confiteri pariter & incunctanter asserere fidelis. *Et pau-* „ *lo infra*. " Hoc ergo fidelissime profecto confirmo, & addo quod sicut „ veritas est Christus, & verus agnus Dei, qui quotidie pro vita mundi „ mystice immolatur: ita procul dubio ex pane vera caro, & ex vino „ verus sanguis ejus consecratione Spiritus sancti potentialiter creatur.

„ Quæ

„ Quæ cum certissima omnino sint, nec ullus hinc Christianus Christo „ credens ambigere possit, quod & ipsum esse verum pars etiam gentilium scit. Nam quondam in terra Bulgarorum quidam nobilis potensque paganus bibere me suppliciter petivit, in illius Dei amore qui de „ vino sanguinem suum fecit. “ Post istam confessionem adoritur Paschasium, contenditque adversus ipsum aliam esse carnem Christi in Eucharistia, ut pote quæ vorari possit & manducari; aliam autem natam de „ virgine & resuscitatam: “ Præsertim, inquit, cum illa Christi caro „ resurgens de sepulcro ita glorificata sit, ut jam vorari nullo modo possit. “ Quod sane argumentum satis ostendit quid in Paschasio impugnet. Demum totam disputationem sic concludit: “ Hæc dicta magistri (scilicet Augustini) si fideliter, ferventer, diligenter, intelligenter & frequenter legeritis, manifeste cognoscetis, non quidem, quod absit, *naturaliter*, sed *specialiter*, aliud esse corpus Domini, quod ex substantia „ panis ac vini pro mundi vita quotidie per Spiritum sanctum consecratur, quod a sacerdote postmodum Deo Patri suppliciter offertur; & „ aliud specialiter corpus Christi, quod natum est de Maria virgine, in „ quod istud transfertur. “ Ex his satis evidenter constat controversiam nono seculo motam Paschasium inter ejusque adversarios non fuisse de rei summa seu de præsentia reali corporis Christi in Eucharistia, sed de consectariis a nobis *supra* expositis, seu loquendi ratione, an scilicet corpus eucharisticum dicendum foret idem cum eo Christi corpore, quod ex virgine natum est. Paschasius quidem, propterea quod sit eadem substantia, asserebat simpliciter & absolute idem esse corpus. Ejus autem adversarii propter diversam speciem contendebant dici oportere diversum, non *naturaliter*, sed *specialiter*.

Neque alio modo exponendus est auctor quidam anonymus *tomo* 12. *spicil.* & ab anonymo Cellotiano laudatus sub nomine *Sapientis cujusdam*, quique inter Paschasii adversarios recensetur. Sic enim ipse mentem suam clare exponit post clarissimam fidei professionem: “ Hæc scilicet sacramenta, inquit, benedictione divina consecrantur, & virtute „ invisibili, in id quod non fuerant, convertuntur, ut olim Christo „ aquam in vinum convertente, & mare suis gressibus solidum reddente: „ quod quia spiritaliter fit, nonnisi fide cognoscitur. “ Ex quibus patet ipsum admisisse veram conversionem, sed quæ fiat invisibiliter, ut ipse loquitur, non autem exterius & visibiliter.

Objicies 2. Qui fuit in opinione Stercoranistarum, non potuit admittere veram & realem panis, & vini conversionem in corpus, & sanguinem Christi. Durandus enim Troarnensis seculo XI. Stercoranistas cum Berengario ejusque discipulis confundit. Atqui Rabanus Maurus stercoranismi accusatur tum ab anonymo Cellotiano seu Herigero, tum a Guillelmo Malmesburiensi & Thoma Valdensi, idque confirmatur ex ipsius epistola *ad Heribaldum*. Ergo &c.

Respondeo 1. nego majorem. Qui enim de turpi illa ac putida hæresi

fesi mentionem faciunt, Humbertus, & ex eo Algerus, diserte supponunt eos, quibus huncce errorem affingebant, præsentiæ realis dogma tenuisse, & in eo turpiter erraſſe, quod dicerent ipsum Christi corpus secessui esse obnoxium: qui error aperte includit veram, & rectam præsentiæ realis doctrinam. Audiamus Algerum *cap.* 1. de isto errore sic loquentem: " Diximus, inquit, non minus ore corporis, quam ore cordis corpus Domini esse sumendum: sed ex hac ipsa visibili, & corporali comestione, quæ sacramento tenus fit, nascitur fœdissima hæresis Stercoranistarum. Dicunt enim tantum sacramentum, sicut corporali comestioni, ita secessui esse obnoxium. " *Et infra*, " Non sunt, inquit, observanda Græcorum hæreticorum, qui merito *Stercoranistæ* vocantur, deliramenta, ... putantes cœlestem escam, velut terrenam indifferenter accipi, & in fœtidum ventris secessum emitti. " Unde, quæso, dicitur ab Algero hæresis illa fœdissima, nisi quia corpus Christi subjicit egestioni & aliis vulgarium ciborum conditionibus? Itaque si Rabanus eo sensu Stercoranistarum faveret errori, magis inde concludi posset ipsum transubstantiationem admisisse.

Quod spectat ad testimonium Durandi Troarnensis, nullam continet difficultatem. Etsi enim aliquo sensu Berengarius ejusque discipuli dici possent Stercoranistæ, quia id totum quod sumitur in Eucharistia, secessui obnoxium esse dicebant; non tamen inde sequitur Stercoranistas omnes, si qui fuerunt, idem sensisse cum Berengarianis.

Respondeo 2. nego minorem. Neque enim tanti facienda est auctoritas anonymi Cellotiani, ut ex ejus solo testimonio ineptum illum ac fœdum errorem tribuamus Rabano homini doctissimo, & quem merito appellat Baronius *fulgentissimum Ecclesiæ sidus*. Quod si dicas illi anonymo adjungendos esse Guillelmum Malmesburiensem, & Thomam Valdensem, qui ipsi consentiunt; facile reponi potest hosce auctores Rabano minime coætaneos deceptos fuisse testimonio hujusce anonymi, vel potius non satis assecutos fuisse sensum responsi, quo Rabanus quæstionem sibi ab Heribaldo Altissiodorensi propositam dissolvit. Cum enim *in epistola Rabani ad Heribaldum*, cujus partem, quæ huc spectat, edidit Mabillonius 2. *parte seculi IV. Bened.* & quæ integra extat apud Baluzium *in appendice ad Reginonem*; cum, inquam, Heribaldo quærenti, utrum Eucharistia, postquam consumitur, & in secessum emittitur, more aliorum ciborum, iterum redeat in naturam pristinam, quam habuerat antequam in altari consecraretur, respondeat Rabanus superfluam esse hujusmodi quæstionem, cum ipse Salvator dixerat in Evangelio, *Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur*, inde quidam collegerunt ex Rabani sententia corpus Christi esse secessui obnoxium, atque ideo fœdum ei Stercoranistarum errorem affinxerunt; sed immerito prorsus. Quando enim innuit Rabanus Eucharistiam esse egestioni obnoxiam, dum ait ex Salvatore, *Omne quod intrat in os, in ventrem vadit, &c.* tunc spectat Eucharistiam secundum species externas tantum, non autem

autem ſecundum id, quod ſub his ſpeciebus continetur, ſcilicet corpus, & ſanguinem Chriſti. Id certe patet ex ipſa quæſtione quæ proponitur. Quærit enim Heribaldus an Euchariſtia redeat in naturam priſtinam, quam habuerat in altari, antequam conſecraretur. Atqui id intelligi non poteſt de corpore ipſo Chriſti Domini, quod ante conſecrationem in Euchariſtia non exiſtit. Debet igitur accipi de eo, quod per conſecrationem mutatur, id eſt de pane, & vino, quorum ſymbola negat Rabanus redire in priſtinam naturam, quam habuerant ante conſecrationem.

Et revera Rabanus *lib.* 1. *de inſtitutione clericorum*, *cap.* 31. duo diſtinguit in Euchariſtia, ſacramentum, id eſt ſpecies externas, & virtutem ſacramenti ſeu id quod ſub his ſpeciebus continetur. Primum non negat eſſe ſeceſſui obnoxium, aſſeritque non redire in priſtinam naturam: de virtute autem ſacramenti, nihil unquam tale cogitavit. " Aliud eſt, inquit, ſacramentum, aliud virtus ſacramenti. Sacramen„ tum enim ore percipitur: virtute ſacramenti interior homo ſatiatur. „ Sacramentum in alimentum corporis redigitur: virtute ſacramenti æter„ na vita adipiſcitur.

Cæterum ex quæſtione Heribaldi, & reſponſo Rabani, certo & evidenter colligitur utrumque hunc ſcriptorem veram, & realem panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti converſionem agnoviſſe. Nam cum quærit Heribaldus, utrum Euchariſtia redeat in priſtinam naturam, quam habuerat antequam in altari conſecraretur; duo ſuppoſuit tanquam certa, quæ etiam Rabanus reſpondens admittit, ſcilicet veram fieri in altari conſecrationem, & vi hujuſce conſecrationis Euchariſtiam non remanere in priſtina natura. Atqui hæc ſupponunt præſentiam realem, & tranſubſtantiationem: ſiquidem natura panis non dicitur priſtina, niſi reſpectu novæ, quæ ſucceſſit, ſcilicet corporis Chriſti. Ergo illud corpus præſens eſt. Dum autem quæritur, an Euchariſtia in illam priſtinam naturam redeat, ſupponitur nullatenus remanere priſtina illa natura. Fit igitur in eo ſacramento panis converſio, qua una natura in aliam tranſeat: & hæc eſt ipſa tranſubſtantiatio. Atque ex his apertum eſt quæ fuerit Heribaldi mens, & ſententia, ſatiſque conſtat ipſum inter adverſarios Paſchaſii immerito recenſeri in doctrina realitatis. Rabanus enim, & Heribaldus cum Paſchaſio conſentiunt in præſentia reali, & tranſubſtantiatione: ſi autem in aliquo diſſentiunt id pertinet ad conſectarium de ſeceſſu, an ei obnoxia ſit Euchariſtia, nec ne. Non obnoxiam eſſe docet Paſchaſius: aliqua autem ex parte eam obnoxiam eſſe ſeceſſui ſupponere videntur Rabanus, & Heribaldus.

De

De Ratramno.

RATRAMNUS Corbeiensis monachus, postmodum vero abbas Orbacensis, floruit sub Carolo Calvo, obiitque circa annum Christi 870. Scripsit ad regem Carolum de prædestinatione, eo tempore quo maxime fervebant contentiones de gratia contra Gottescalkum. Tanta fuit hujus scriptoris fama, & doctrina, ut episcopi Gallicani acceptis Græcorum objectionibus, quæ ad ipsos a Nicolao I. missæ fuerant anno 867. hanc Ratramno provinciam demandaverint, ut Græcorum querelis satisfaceret: quod quidem abunde atque erudite præstitit, scriptis adversus ipsos quatuor libris, quos in publicam lucem emisit eruditus Dacherius *tomo 2. spicilegii*.

Tribuitur quoque ipsi liber *de corpore, & sanguine Domini* ad Carolum Calvum directus, sicut & liber de prædestinatione, quo maxime utuntur Calviniani, ut ostendere conentur Ratramnum fuisse adversarium Paschasii, ejusque sententiam de præsentia reali impugnasse.

Varia fuit hujusce libri fortuna. Prodiit primum Coloniæ anno 1531. sub nomine Bertrami, & deinde Basileæ anno 1550. & iterum Coloniæ anno 1551. Cum autem istæ editiones procuratæ essent studio Germanorum quorumdam hæreticorum; mirum non est quod catholici pene omnes suspectam habuerint libri illius doctrinam. Et revera qui catalogum librorum minus sanæ doctrinæ ex decreto Concilii Tridentini contexuerunt anno 1560. hoc opus inter prohibita rejiciendum esse censuerunt; & postea Sixtus Senensis, Espensæus, & Sanctesius istud opus ementito Bertrami nomine ab hæretico OEcolampadio compositum fuisse existimarunt. Hunc etiam libellum inter hæreticos rejecit Clemens VIII. cujus judicio adhæsere Card. Bellarminus, Quirogas, Sandovallus, & Alanus, illustres controversiarum scriptores.

Neque tamen existimandum est ab omnibus catholicis hunc librum, quasi perversam contineret doctrinam, habitum fuisse: e contrario Ratramnus, seu, ut tunc dicere amabant, Bertramus inter catholicæ doctrinæ defensores a nonnullis cum Paschasio aliisque recensetur, v. g. ab illustrissimo Joanne Fischero, Roffensi episcopo *in præfatione libri 4. adversus OEcolampadium* anno 1526. id est annis quinque antequam Coloniæ primum in lucem prodiret Ratramni liber. Eumdem laudat Genebrardus *in chronologia sua*: & doctores Lovanienses *in censura* seu *indice librorum*, qui habetur sub nomine theologorum Duacensium, cui contexendo incumbebant anno 1551. hunc librum non censuerunt esse prohibendum ut hæreticum, sed duntaxat corrigendum.

Anno autem 1657. illustrissimus Petrus de Marca eruditam ad Dacherium epistolam scripsit, in qua multis argumentis contendit librum hunc

hunc non esse Ratramni, sed potius Joannis Scoti, qui omnium primus præsentiam realem ausus est impugnare: hancque opinionem tueri postea conatus est, novisque rationibus confirmare Parisius canonicus San-Genovefanus *in peculiari de eo dissertatione*. Atque hæc sententia prævaluit postmodum apud catholicos scriptores ad annum 1680. quo Mabillonius in lucem emisit *secundam partem seculi 4. Bened.* in cujus præfatione *num.* 83. probat librum hunc esse genuinum Ratramni fetum.

Præcipuum, quo id demonstrat, argumentum petitur ex auctoritate duorum codicum manuscriptorum, qui reperti sunt in bibliotheca Laubiensi. Horum unus vetustissimus est, ante 800. annos exaratus, qui hanc præ se fert inscriptionem. " Incipit liber Ratramni de corpore, & sanguine Domini. Jussisti gloriose princeps &c. " prout habetur in editis. Alter recentior continet indicem librorum armarii seu bibliothecæ Laubiensis cum hoc titulo; " Anno dominicæ incarnationis 1049. „ fratres Laubienses secum recensentes armarium, hanc sibi repererunt „ haberi summam librorum .... *Ratramni de corpore & sanguine Do-* „ *mini* &c. " Accedit auctoritas tertii codicis septingentorum & amplius annorum, quem profert idem Mabillonius *tomo* 4. *analectorum*, *pag.* 80. *&* 628.

Horum manuscriptorum auctoritati plures rationes addit Mabillonius, quæ tam validæ visæ sunt viris eruditis, qui post eum scripserunt, ut anno 1686. Bolæus hunc librum cum observationibus & docta præfatione sub nomine *Ratramni* in lucem emiserit.

Attamen anno 1689. Joannes Harduinus *in dissertatione de sacramento altaris*; contendit opus quod sub nomine *Ratramni* editum est, esse revera Joannis Scoti: sed nulla affert nova ad id persuadendum momenta.

A S S E R T I O.

Ratramnus Paschasii doctrinæ de reali præsentia non videtur adversari.

Probatur 1. Qui enim in eadem cum Paschasio non solum communi societate vixit, sed etiam in eodem cœnobio monasticam vitam professus est, atque ipsi Paschasio tanquam abbati suo subditus fuit, non est censendus ejus doctrinam in re gravissima & quæ ad fidem pertineat, impugnasse. Atqui. Ergo.

Probatur 2. ex disertissimis hujusce auctoris verbis.

Sic enim in prima parte operis *num.* 9. *&* 10. habet: " Exterius „ quidem panis, quod ante fuerat, forma prætenditur, color ostendi- „ tur; sapor accipitur: ast interius longe aliud multo pretiosius mul- „ toque excellentius intimatur, quia cœleste, quia divinum, id est Chri- „ sti corpus ostenditur, quod non sensibus carnis, sed animi fidelis con- „ tuitu vel aspicitur, vel accipitur, vel comeditur: vinum quoque „ quod sacerdotali consecratione Christi sanguis efficitur, sacramentum

„ aliud

„ aliud ſuperficie tenus oſtendit, aliud interius continet. Quid enim „ aliud in ſuperficie quam ſubſtantia vini conſpicitur? guſta; vinum „ ſapit: odora; vinum redolet: inſpice; vini color intuetur. At in„ terius ſi conſideres; jam non liquor vini, ſed liquor ſanguinis Chri„ ſti credentium mentibus & ſapit dum guſtatur, & agnoſcitur dum „ conſpicitur, & probatur dum odoratur.

Et *num.* 12. totus eſt ut oſtendat veram mutationem eſſe factam in Euchariſtia, ſed inviſibilem. Sic etiam *num.* 13. premit adverſarios: " Si ergo, ait, nihil eſt hic permutatum; non eſt aliud quam ante „ fuit. Eſt autem aliud, quoniam panis corpus & vinum ſanguis Chri„ ſti facta ſunt. " Et *num.* 15. " Si hoc profiteri noluerint, compel„ lunt negare corpus eſſe ſanguinemque Chriſti: quod nefas eſt non „ ſolum dicere, ſed etiam cogitare.

Et *num.* 28. " Non putamus, inquit, ullum fidelium dubitare panem „ illum fuiſſe corpus Chriſti effectum, quod diſcipulis donans dicit, „ *Hoc eſt corpus meum*, &c. ſed neque calicem dubitare ſanguinem Chri„ ſti continere .... Sicut ergo paulo antequam pateretur, panis ſub„ ſtantiam & vini creaturam convertere potuit in proprium corpus ... „ & in ſuum ſanguinem " &c. Atque ad hunc, credo, locum reſpiciebant centuriatores Magdeburg. *centur.* 9. dum hæc de Ratramno ſcripſerunt, " Tranſſubſtantiationis habet ſemina Bertramus: utitur e„ nim vocabulo *commutationis* & *converſionis*.

Num. 30. " Panem & vinum, inquit, in corporis & ſanguinis mei „ converſa ſubſtantiam a credentibus ſumenda tunc intelligetis.

Num. 42. " Panis, qui offertur, ex frugibus terræ cum ſit aſſumptus, „ in Chriſti corpus dum ſanctificatur, tranſponitur; ſicut & vinum „ cum ex vite defluxerit, divini tamen ſanctificatione myſterii effici„ tur ſanguis Chriſti, non quidem viſibiliter, ſed ſicut ait præſens do„ ctor (S. Auguſtinus) operante inviſibiliter Spiritu Dei.

Num. 49. Sic primam operis ſui partem concludit. " Ex his omni„ bus, quæ ſunt hactenus dicta, monſtratum eſt, quod corpus & ſan„ guis Chriſti, quæ fidelium ore in Eccleſia percipiuntur, figuræ ſunt „ ſecundum ſpeciem viſibilem: at vero ſecundum inviſibilem ſubſtan„ tiam, id eſt divini potentiam Verbi, vere corpus & ſanguis Chriſti „ exiſtunt. Unde ſecundum viſibilem creaturam corpus paſcunt, juxta „ vero potentioris virtutem ſubſtantiæ fidelium mentes & paſcunt & „ ſanctificant.

In parte vero 2. *num.* 57. ſic loquitur: " Hæc caro, quæ nunc ſi„ militudinem illius in myſterio continet, non eſt ſpecie caro, ſed ſa„ cramento: ſi quidem in ſpecie panis eſt, in ſacramento verum Chri„ ſti corpus eſt, ſicut ipſe clamat Dominus Jeſus, *Hoc eſt corpus* „ *meum*.

Hiſce teſtimoniis nihil fingi poteſt luculentius: tamque aperte favet præſentiæ reali, ut merito centuriatores Magdeburgenſes *cap. 6. de cærem.*

cærem., *&* *ritibus Ecclesiæ*, observent Bertramum libro *de corpore & sanguine Domini*, ostendere corpus Christi & sanguinem super altare seu mensam poni, & inde populo distribui.

PROBATUR 3. ex doctrina Ratramni *lib.* 4. *responsionis ad objecta Græcorum cap.* 11. ubi docet Eucharistiam esse verum sacrificium. Probat nimirum auctoritate Sylvestri summi pontificis celebrandum esse diem natalem calicis feria 5. hebdomadæ eadem celebritate, qua ipse dies Dominicus celebratur: " Quia ille dies est, inquit, in quo sacrificium Dominici corporis & sanguinis ab ipso Domino celebrationis sumpsit exordium. " Atqui Eucharistia non potest esse sacrificium, nisi quatenus verum Christi corpus & sanguinem continet. Ergo Ratramnus &c.

Multa adversus hanc nostram assertionem ab adversariis opponuntur, quæ ut facilius solvi possint, observandum est Ratramni librum duas continere partes. In prima expendit utrum id, " quod in Ecclesia ore fidelium sumitur corpus & sanguis Christi .... in mysterio fiat, an in veritate; id est utrum aliquid secreti contineat, quod oculis solummodo fidei pateat; an sine cujusquam velatione mysterii hoc aspectus intueatur corporis exterius, quod mentis visus aspiciat interius, ut totum quod agitur, in manifestationis luce clarescat. " Hanc quæstionem pertractat & definit usque ad *num.* 49. In altera vero operis parte inquirit, " Utrum ipsum corpus, quod de Maria natum est & passum & mortuum & sepultum, quodque ad dexteram Patris consideat, sit quod ore fidelium per sacramentorum mysterium in Ecclesia quotidie sumitur. " Hujus porro quæstionis sensum superius exposuimus ubi de Rabani Mauri sententia egimus.

OBJICIES itaque 1. ex anonymo Cellotiano. Ratramnus impugnavit doctrinam Paschasii de Eucharistia. Verba illius auctoris *ex capite* 1. ejus operis desumpta antea retulimus. Ergo.

DISTINGUO antecedens: impugnavit Ratramnus doctrinam Paschasii de Eucharistia, quoad modum loquendi; esto: quoad præsentiam realem; nego. Duo docet Ratramnus, ut jam observatum est, *in libro de corpore & sanguine Domini*. 1. Id quod agitur in Eucharistia fieri in mysterio, non in manifestatione, refellitque quosdam fideles, qui corporis sanguinisque Christi sacramentum, quod in Ecclesia celebratur, dicunt quod nulla sub figura, nulla sub obvelatione fiat; sed ipsius veritatis nuda manifestatione peragatur. In hoc capite plane habet consentientem Paschasium, qui in libro *de corpore & sanguine Domini cap.* 4. sic loquitur: " Unde quia mysterium est sacramentum, nec figuram illud negare possumus. " *Et paulo infra*, " Jure, inquit, simul veritas & figura dicitur. " Alterum doctrinæ Ratramni caput est mysterium corporis & sanguinis Christi, quod nunc a fidelibus sumitur in Ecclesia, multa differentia separari ab eo corpore quod natum est de Maria virgine. Porro in hoc capite, si qua fides anonymo Cellotiano, Ra-

Ratramnus impugnare potuit Paschasium, qui simpliciter & absolute dicebat Christi corpus, quatenus est in Eucharistia, idem esse cum corpore ejus, quatenus natum est de Maria virgine. Verum pugna hæc, si qua fuit (neque enim ullibi Paschasium designat Ratramnus) nequaquam ostendit diversam fuisse Ratramni sententiam a Paschasii doctrina de reali præsentia, ut jam diximus, ubi de Rabano. Observatione porro dignum est, quod Ratramnus eos, quos refellit, appellet *fideles*. Ex quo facile intelligi potest de præsentia reali non fuisse tunc disputatum, sed de quibusdam duntaxat consectariis hujusce doctrinæ, quæ apud omnes constans habebatur & certa.

Objicies 2. Qui negat Eucharistiam continere corpus Christi in veritate, non habuit eamdem cum Paschasio circa realitatis dogma sententiam. Atqui Ratramnus pluribus in locis negat Eucharistiam continere corpus Christi in veritate. Ergo.

Distinguo majorem. Si per *veritatem* intelligatur realitas & substantialis præsentia; concedo: si *veritatis* nomine intelligatur manifestatio, & clara rei visio; nego. Porro certis argumentis constat Ratramnum *veritatis* nomine nihil aliud quam evidentem rei manifestationem intellexisse: 1. ex definitione quam ipse affert: sic enim loquitur *num.* 8. " Veritas vero, inquit, est rei manifesta demonstratio, „ nullis umbrarum imaginibus obvelatæ ": 2. ex statu quæstionis & scopo quem sibi proponit. Nempe probandum assumit aliquid fieri in mysterio, dum peraguntur sacra mysteria. 3. *Veritatis* nomine id intelligit, quo posito jam nihil operatur fides, nihilque spiritale geritur: " Nam si secundum quosdam, inquit, figurate nihil hic accipiatur, sed „ totum in veritate conspiciatur, nihil hic fides operatur, quoniam ni„ hil spiritale geritur. " Atqui hæc intelligi non possunt nisi de manifestatione. 4. Veritati Ratramnus opponit mysterium & figuram. Sed mysterium & figura primario & præcise non opponuntur veræ & reali præsentiæ; bene vero evidenti & perspicuæ manifestationi. *Veritatis* igitur nomine nihil aliud intelligit præter claram & evidentem rei manifestationem. Denique ea vox isto sensu ab auctoribus infimæ & mediæ Latinitatis usurpata fuit, ut ostendit Cangius *in Glossario*.

Instabis. Si Ratramnus *veritatis* nomine manifestationem & claram rei visionem intelligat, consequens erit ejus adversarios in ea tunc fuisse opinione ut existimarent corpus Christi videri in Eucharistia. Atqui prorsus improbabile est, inquiunt Calviniani, fuisse tunc quosdam, qui ita delirarent. Ergo &c.

Respondeo 1. negari posse majorem; quia nempe sequitur duntaxat Ratramnum existimasse eos, quos refellit, in ea fuisse sententia. Porro sæpe contingit scriptores etiam doctos, æstu disputationis abreptos, ea affingere adversariis, quæ sunt duntaxat velut consectaria quædam ex eorum opinione deducta, quæ ipsi nonnunquam vel non admittunt vel etiam respuunt.

Res-

Respondeo 2. conjecturis, quamvis probabiles videantur, nimium non esse indulgendum ad impugnanda facta certa, &, ut ajunt, positiva. Porro constat ex ipsomet Ratramno fuisse quosdam, qui dicerent, " quod sacramentum corporis sanguinisque Christi nulla sub figura, " nulla sub obvelatione fieret; sed ipsius veritatis nuda manifestatione " perageretur. " 2. Non desunt testimonia quorumdam scriptorum, qui videntur existimasse, id quod sensibus percipitur in Eucharistia, esse ipsum Christi corpus. Proinde dum franguntur ea, quæ sensibus apparent, frangi quoque corpus Christi: proinde ipsummet corpus videri, dum videntur species externæ. Consule quæ *supra* ad Anastasium Sinaitam, & postea ad Damascenum ea de re observavimus. Imo & ipso, quo vixit Ratramnus seculo & paulo ante eum Haymo Halberstadensis in tractatu *de corpore & sanguine Domini*, apud Mabillonium *præfatione in 2. partem seculi 4. Benedictini*, §. 7. *num. 93.* negat corpus Christi in Eucharistia ulla imagine aut figura obvolvi. Extat etiam *tomo* 3. *analectorum* Mabillonii, tractatus Abbaudi abbatis, qui floruit seculo XI. Inscribitur tractatus ille *de fractione corporis Christi*, in quo contendit auctor id, quod in altari frangitur, esse corpus Christi, rejicitque eorum sententiam, " Qui dicunt ipsum corpus non frangi, sed in " albedine ejus & rotunditate aliquid factitari: " quod refellit tanquam absurdum; præsertim cum quivis facile videat, inquit, albedinem seu rotunditatem ab ipso corpore, quod vel album vel rotundum est, separari non posse. " Eadem in sententia fuit Gualterus prior S. Victoris in tractatu quodam, cujus fragmentum editum est a Mabillonio eodem *tomo 3. analectorum*. Igitur si seculo IX. XI. XII. & aliis fuit apud scriptores hæc opinio satis communis; quid erit absurdi, si pariter supponamus adversarios Ratramni id etiam sensisse, cum id aperte significent ejus verba?

Objicies 3. Ex Ratramno Eucharistiæ sacramentum non dicitur corpus Christi, nisi quatenus habet quamdam ejus similitudinem: *num.* " 37. Sacramenta, inquit, ipsarum rerum vocabula sumpserunt, ut di- " cantur corpus & sanguis Christi, cum propter similitudinem rerum, " quas innuunt, sic appellentur: sicut pascha & resurrectio Domini vo- " cantur quæ per singulos annos celebrantur (dies). Ergo.

Distinguo antecedens: sacramentum Eucharistiæ dicitur corpus Christi propter similitudinem quæ non excludit realem præsentiam, sed manifestationem tantum; concedo: secus; nego. Porro in eo loco quem hic exponimus, Ratramnus utitur testimonio S. Augustini desumpto ex ejus epistola *ad Bonifacium*, in qua sanctus doctor docet aliud esse sacramenta, & aliud res, quarum sunt sacramenta: quo ex loco id unum colligit Ratramnus, Eucharistiam scilicet aliud esse penes rem quam continet, aliud vero penes rem externam: proinde aliquid fieri in mysterio & sub obvelatione, ut ipse loquitur.

Instabis. Qui docet corpus Christi esse in sacramento secundum

N. 2. id.

id quod est in eo Spiritus Christi, id est divini potentia Verbi, non existimat alia ratione contineri in Eucharistia corpus Christi, quam secundum virtutem quamdam, non autem realiter. Atqui Ratramnus sic docet *num.* 64. Ergo.

DISTINGUO majorem: secundum id quod est in eo Spiritus Christi, id est divini potentia Verbi, si ibi afferat rationem formalem, qua continetur Eucharistia; concedo: si rationem & causam efficientem; nego. Scilicet juxta Ratramnum Spiritus Christi & divini potentia Verbi sunt causa quæ operatur in Eucharistia mirabilem illam conversionem.

OBJICIES 5. Ratramnus *num.* 75. " Si vinum illud, inquit, sanctificatum per ministrorum officium in Christi sanguinem, corporaliter " convertitur, aqua quoque, quæ pariter admixta est, in sanguinem " populi credentis necesse est corporaliter convertatur. Ubi namque una " sanctificatio est, una consequenter operatio; & ubi par ratio, par quoque consequitur mysterium. " Ex quibus sic conficitur argumentum. Non magis ex Ratramno vinum in sacramento altaris convertitur in sanguinem Christi, quam aqua in sanguinem populi credentis. Atqui absurdum esset fingere aquam vere & realiter converti in sanguinem populi credentis. Ergo.

DISTINGUO majorem: ad sensum Ratramni non magis vinum convertitur in sanguinem Christi, quam aqua in sanguinem populi credentis, penes speciem externam & id quod sensibus percipitur; concedo: penes id quod sub symbolis eucharisticis continetur; nego. Mentem Ratramni satis exponunt verba quæ paulo post *ibidem* leguntur: " sic enim habet: " Videmus in aqua secundum corpus nihil esse con" versum: consequenter ergo & in vino nihil corporaliter ostensum. In eo itaque comparationem tantum instituit, quod sicut in aqua secundum corpus, id est secundum id quod habet sensibile & palpabile, nihil mutatum est; ita & in vino, si spectetur secundum symbola, nihil sit corporaliter ostensum, ut ipse loquitur, seu non amittat affectiones corporeas, sub quibus post consecrationem idem videtur & apparet quod erat antea, omnemque mutationem, quæ paracta est, vult accipi spiritualiter, id est invisibiliter & sub obvelatione, prout postulat scopus, quem sibi eo in libro proponit, " Accipiatur ergo ne" cesse est spiritualiter, inquit, quidquid in vino de Christi sanguine " intimatur.

OBJICIES denique hæc verba e libro Ratramni *de corpore & sanguine Domini* excerpta *num.* 28. ubi de Christo sic loquitur: " Sicut er" go, inquit, paulo ante quam pateretur, panis substantiam & vini " creaturam convertere potuit in proprium corpus, quod passurum erat, " & in suum sanguinem, qui post fundendus extabat; sic etiam in de" serto manna & aquam de petra in suam carnem & sanguinem con" vertere prævaluit, quamvis longe post & caro ipsius pro nobis in

" cruce

„ cruce pendenda & sanguis ejus in ablutionem nostram fundendus su-„ perabat. " Similia habet *num.* 24. & 25. Ex quibus sic arguunt. Non aliam admittit conversionem in pane & vino ut fiant corpus & sanguis Christi, quam eam, qua manna & aqua fluens de petra convertebantur in corpus & sanguinem Christi. Sed hæcce conversio non potest esse vera & substantialis. Ergo &c.

Respondent nonnulli perfectam hic & omnimodam a Ratramno comparationem non institui inter manna & Eucharistiam, sed imperfectam tantum & inadæquatam, in eo scilicet quod, quemadmodum per mirabilem Christi potentiam patres, qui in deserto manna comederunt & aquam de petra fluentem biberunt, spiritalem consecuti sunt fructum & gratiam; ita qui & Eucharistiam, cujus manna figura fuit, spiritualiter percipiunt per divini potentiam Verbi, ut ait Ratramnus, spiritualiter reficiantur & nutriantur. Et vero nullatenus probabile existimant Ratramnum sensisse eadem ratione manna converti in corpus Christi, quo modo nunc panis & vinum, hoc est vere & substantialiter; cum hæc opinio nimium absurda sit, quam ut Ratramno viro docto atque inter seculi noni scriptores celeberrimo tribui possit.

Verum cum diserte omnino mentem suam exprimat Ratramnus de conversione illa, qua manna tunc mutatum censet fuisse in corpus Christi, non video qua ratione exponi possint ejus verba de metaphorica tantum & improprie dicta mutatione. Namque 1. utitur iis verbis, quæ ex sese mutationem veram & realem significent. 2. De ea conversione agitur, quam ratione satis capere non possumus, & revera nunquam assequemur, nisi recurrendo ad omnipotentiam Dei, cujus hæc conversio sit effectus & argumentum. Atqui ut explicetur figurata duntaxat mutatio & improprie dicta, minime necesse est ut recurramus ad omnipotentiam Dei: & absurde omnino conversio hæc metaphorica proferretur in argumentum omnipotentiæ divinæ. 3. Eam mutationem hic intelligit Ratramnus, quæ omnem captum ita superat, ut nul-„ la ipsius ratio afferri possit. " Non istic ratio, inquit *num.* 25. qua „ fieri potuit, disquirenda; sed fides quod factum sit, adhibenda. " Atqui in conversione, de qua agitur, nihil foret supra captum nostrum, nisi ageretur de substantiali & proprie dicta mutatione. Denique eam habuit de conversione mannæ & aquæ fluentis opinionem Ratramnus, quæ ipso fatente mira erat & incomprehensibilis & inæstimabilis. " Mi-„ rum certe, inquit, quoniam incomprehensibile & inæstimabile. Non-„ dum hominem assumpserat, nondum pro salute mundi mortem degu-„ staverat, nondum sanguine suo nos redemerat, & jam nostri patres „ in deserto per escam spiritualem potumque invisibilem ejus corpus „ manducabant & ejus sanguinem bibebant. " Unde, quæso, mirus, unde inæstimabilis & incomprehensibilis visus est Ratramno effectus ille omnipotentiæ divinæ, nisi quia existimavit manna & aquam revera conversa fuisse in corpus & sanguinem Christi? Itaque hoc posito

RESPONDEO tantum abesse ut ex hoc argumento conficiatur Ratramnum contrariam Paschasio de præsentia reali habuisse sententiam, ut contra sequatur ipsi adeo notam fuisse & tam constanter admissam ab eo præsentiam realem corporis Christi in Eucharistia, ut etiam putaverit manna & aquam de petra in hoc ipsum corpus Christi ejusque sanguinem fuisse mutata.

NEQUE est quod opponatur vix credibile esse Ratramnum hominem doctum tam novæ, tamque inauditæ sententiæ patronum atque inventorem fuisse.

NAM contra ejus perspicua verba non est utendum conjecturis verisimilibus. Imo quo doctior supponitur fuisse Ratramnus, eo minus existimandum est opinionem communem, & quæ nihil haberet singulare & mirum, exposuisse atque amplificasse tam magnificis atque etiam tam insolitis verbis, qualia forent ea, quibus utitur, dum agit de modo quo manna & aqua patribus in deserto spiritualem escam potumque præbuerunt.

Atque hæc de famoso illo, qui Ratramno tribuitur, libro dicta sufficiant. Cæterum, quidquid prolatum fuerit, ægre adducimur ut credamus eum esse Ratramnum. Non enim idem apparet stylus, non idem verborum ac sententiarum nitor, qui in cæteris ejus operibus relucet, non eadem accurata loquendi ac differendi ratio, uno verbo non idem color.

De Joanne Scoto.

DE scriptoris hujus circa Eucharistiam opinione vix ulla moveri potest controversia. Quamvis enim non supersit liber, quem adversus Paschasium *de corpore & sanguine Domini* conscripserat; attamen cum Hincmarus *tract. de prædestinatione cap.* 31. Prudentium & Scotum reprehendat, iisque objiciat, quod plures errores propugnaverint, atque inter cæteros, quod dixerint sacramentum altaris non esse verum Christi corpus ejusque sanguinem, sed solam illius corporis memoriam & figuram; constat jam apud omnes tum catholicos tum heterodoxos scriptores, Joannem Scotum de conversione panis & vini in corpus & sanguinem Christi contrariam Paschasii doctrinæ habuisse sententiam. Atque de eo solo Hincmari locum intelligendum esse contendunt catholici, non de Prudentio quem huicce errori patrocinatum fuisse nemo unquam suspicatus est.

Præterea adversus Scotum insurrexit Adrevaldus quidam, qui ejus ineptias confutavit, pluraque congessit testimonia, quibus probatur præsentia realis & conversio panis & vini in corpus & sanguinem Christi. Extat hic tractatus *tom.* 12. *spicilegii*. Adeo autem certum erat seculo XI. quo contra Berengarium variis in conciliis definitum fuit panem in corpus Christi substantialiter mutari, adeo, inquam, certum erat

erat eo tempore Joannis Scoti doctrinam minus sanam esse, ut Patres concilii Vercellensis anno 1050 jusserint ipsum librum comburi, damnarintque Berengarium, qui ex eo libro doctrinam suam hauserat, atque eo utebatur ad propugnandum errorem.

Verum non omnino perspicuum est an præsentiam realem impugnarit Joannes Scotus, ut ipsi videtur objicere Hincmarus, vel duntaxat transsubstantiationem, ut videtur colligi posse ex Ascelino, & ex eo quod Berengarius ipse hoc tantum fidei caput impugnasse quibusdam videatur: qua de re vide Mabillonium *in seculum 6. Benedict.*

Albertinus *lib. 3. de Eucharistia*, & post eum Claudius in reprehensione adversus librum *de perpetuitate fidei*, multa congerunt antiquorum elogia multasque laudes, quibus contendunt Joannem Scotum ornatum fuisse, ut hinc concludere possint ipsius doctrinam fuisse valde probatam, neque ulli novam visam fuisse. Verum laudes istæ & encomia nullatenus convenire possunt Joanni Scoto, nisi quatenus supponitur ipsum eumdem esse cum Joanne abbate Æthelingensi, quo præceptore ac magistro propter summam eruditionem ac pietatem usus est Angliæ rex pius Alfredus. Atque id quidem quoniam maxime conducere videbatur ad extollendam Joannis Scoti auctoritatem, ambabus, ut ajunt, ulnis amplexi sunt Calviniani, & præterea conati sunt ostendere ipsum adeptum fuisse coronam martyrii, atque in pluribus ecclesiis honorem ipsi ea de causa decretum fuisse.

Aliud a nonnullis scriptoribus proditum fuit, quod non parum Joannem Scotum ejusque doctrinam commendare posset: nempe ipsum fuisse Bedæ discipulum & Alcuini socium in condenda atque instituenda universitate Parisiensi. Sed id absque ullo fundamento & contra historiæ veritatem confictum est: si quidem vivebat Joannes Scotus 135. annis post mortem Bedæ: mortuus est enim Beda anno 736. Joannes autem Scotus vivebat anno 870. quo tempore eum ad se mitti postulavit Nicolaus I. Ergo.

Neque certiori fundamento nititur id quod contendunt Calviniani, nimirum Joannem Scotum a Joanne abbate Æthelingensi non esse secernendum. Namque Joannes ille abbas Æthelingensis Ealdsaxo fuit seu Germanus. At Joannes ideo *Scotus* dictus fuit, quia Hibernus erat. *Scotia* enim apud veteres *Hiberniam* significat: unde etiam appellatus erat *Erigena* seu Hibernus. *Eri* namque & *Erin* Hiberniam vernacula ipsorum lingua designat. 2. Abbas Æthelingensis ab Alfredo pio rege, ut in Angliam veniret honorifica legatione invitatus fuit, illucque pervenit cum Grimbaldo anno 884. ut refert Asserus. At Joannes Scotus non vocatus a rege, sed ut infamiam hæreseos, cujus reus in Gallia habebatur, effugeret, in Britanniam se recepit. 3. Joannes Æthelingensis sacerdos & monachus, atque etiam abbas fuit. At nihil tale de Scoto uslibi legitur. 4. Abbas Æthelingensis, referente Assero, a sicariis quibusdam occisus est in monasterio, cui præerat, anno 895.

Atqui longe antea extremum diem obierat Scotus, ut satis omnes consentiunt, vel si adhuc superstes eo anno fuisset, certe tam grandævus tamque infirmus fuisset, ut nequaquam sese, adversus eos, qui ipsum aggressi sunt, defendere potuisset, ut de abbate Æthelingensi refert Asserus, qui vitam suam tueri conatus fuit, quod bellicosæ artis non esset expers. Hæ rationes, quæ fuse, & erudite exponuntur a Parisio & Mabillonio; tam firmæ ac certæ visæ sunt Banagio Calviniano, ut fateatur Joannem Scotum non esse cum abbate Æthelingensi confundendum.

Quod spectat ad martyrii dignitatem, quam Joanni Scoto plures scriptores tribuunt, post Guillelmum Malmesburiensem; certe valde dubia est hujusce martyrii historia. 1. Quia non nisi dubitanter loquitur Guillelmus, a quo cæteri scriptores hanc narrationem mutuati sunt. 2. Quia videtur Guillelmus Malmesburiensis sine ullo fundamento existimasse Joannem Scotum non esse distinctum a Joanne Sophista, qui in Ecclesia Malmesburiensi, ut sanctus & martyr colebatur. 3. Fatetur Banagius ipse hancce martyrii Scoti narrationem nonnullis resperšam esse fabulis. 4. Denique nullatenus probabile est Berengario, qui ante Guillelmum Malmesburiensem vivebat, ignotam esse potuisse hanc de martyrio Joannis Scoti historiam, si vera fuisset. Atqui nunquam ea historia usus est quæ tamen multum conducebat ad commendationem causæ, quam susceperat, propugnandam.

Cum igitur hisce præclaris titulis, & ornamentis merito destitutus sit Joannes Scotus, parum prodesse potest ejus auctoritas iis, qui ipsius doctrinam nunc propugnant.

ASSERTIO.

Joannis Scoti auctoritas nullius momenti est adversus doctrinam catholicam præsentiæ realis.

Probatur. Nullius momenti esse debet testimonium illius scriptoris, qui nullo vel sanctitatis vel sanæ doctrinæ titulo commendatus est, & cujus scripta infinitis aliis scatent erroribus. Atqui Joannes Scotus, ut jam dictum est, nullis commendatus est pietatis vel scientiæ titulis: aliunde vero ejus scripta crassis ac fœdis scatent erroribus, ut constare potest ex enumeratione quorumdam, qui reperiuntur in ejus opere *de naturis* in quinque libros distributo, quod extat in manuscripto codice bibliothecæ S. Germani a pratis, quodque editum est Oxonii anno 1681. Nam in eo opere docet

1. Mundum corporeum non conditum fuisse nisi post lapsum Adami.

2. Humanitatem Christi in ipsius divinitatem post resurrectionem penitus mutatam fuisse.

3. Malitiam pœnasque Dæmonum aliquando finem habituras.

4. Omnes creaturas sensibiles post generalem corporum resurrectionem in humanam naturam fore convertendas.

5. Hu-

5. Humanum corpus in animæ rationalis naturam transiturum.

6. Ipsas animas in causas primordiales aliquando esse reversuras: cum autem causæ illæ primariæ & universales in ipsius sententia sint Deus ipse, existimat sic omnia in Dei naturam esse mutanda, ut Deus solus in æternum sit remansurus sine ullis omnino creaturis. Quis porro non intelligat hos esse gravissimos errores?

Adde quod Joannes Scotus, ipsis fatentibus Calvinianis, seculo nono, cum multæ exortæ sunt controversiæ de gratia, Pelagianorum vel saltem semi-Pelagianorum doctrinam tueri conatus fuerit. Parum igitur juvat heterodoxorum partes hujusce scriptoris testimonium.

Dices. Non parum juvat partes eorum, qui negant præsentiam realem, testimonium illius scriptoris, qui communem sui temporis doctrinam tenuit, & exposuit circa Eucharistiam. Atqui Joannes Scotus a communi sui temporis doctrina non recessit. Si enim aliud a communi Ecclesiæ doctrina circa Eucharistiæ dogma proposuisset, sine dubio Ecclesia Lugdunensis, quæ ejus de gratia errores censura confixit, nullatenus ei pepercisset, dissimulando errorem, quo ab Ecclesiæ fide recesserat in materia longe graviori.

Nego minorem. Ille namque communem sui temporis doctrinam circa Eucharistiam non exposuit, qui erroris accusatus est circa hoc ipsum caput a doctissimis sui seculi scriptoribus. Atqui Joannes Scotus erroris circa Eucharistiam, & præsentiam realem ab Hincmaro accusatus est, ut jam diximus, & præterea ab Adrevaldo in eo libro, cui titulus est *contra ineptias Scoti*. Male etiam audiit in tota Gallia Joannes Scotus, ejusque doctrina Nicolao I. suspecta fuit non uno ex capite, sed ut loquitur ipse summus pontifex, in quibusdam, quorum unum merito supponitur is error fuisse, quo negabat panem vere & realiter converti in corpus Christi.

Ad Ecclesiæ vero Lugdunensis silentium respondeo, primo eam in id unum intentam fuisse, ut puram de gratia doctrinam propugnaret. Secundo librum J. Scoti de Eucharistia nondum fuisse scriptum, cum eum impugnaret Ecclesia Lugdunensis. Tertio eumdem librum videri fuisse paucis tunc cognitum, sed in tenebris delituisse. Quarto non magis inde colligi potest Ecclesiæ Lugdunensi ejus de Eucharistia sententiam probatam fuisse, quam ex eo quod illa non reprehenderit plures alios graves errores, qui respersi sunt in libro περὶ φύσεων, *de naturis*, sequatur hanc Ecclesiam ab istis erroribus non fuisse alienam.

De Stercoranistis.

Occasione variarum disputationum, quæ nono seculo circa Eucharistiam motæ fuerunt, exorta est gravis illa accusatio adversus scriptores aliunde haud ignobiles, quibus objectus fuit, tanquam grave crimen, fœdus error Stercoranistarum.

Ex

Ex iis autem, quæ ante diximus de Rabani, & Heribaldi sententia, satis colligi potest mentem plurimorum scriptorum noni seculi perfecte dignosci non posse sine notitia erroris, qui dicitur *Stercoranismus*.

Stercoranistæ sic appellati fuerunt quod existimati fuerint in ea esse opinione, ut crederent corpus Christi in Eucharistia esse secessui obnoxium.

An tales unquam fuerint auctores, quibus in mentem venire potuerit opinio tam indigna eo honore ac reverentia, quæ debetur corpori Christi, merito ambigitur. Hunc in errorem impegisse dicitur apud Latinos,

Primo Amalarius, diaconus primum & abbas Metensis, postea vero chorepiscopus Lugdunensis, quem in hunc errorem lapsum fuisse existimat Mauguinus *tomo* 1. *vindiciarum prædestinationis & gratiæ*, & auctor *perpet. fidei tomo* 1. *lib.* 8. *cap.* 11. Præcipua ratio, cur in hujusce erroris suspicionem veniat scriptor ille, petitur ex responsione, qua quæstioni sibi a Guntardo propositæ satisfecit. Inquirebat Guntardus ab Amalario, " Quare non se cum majori cautela custodiret, ne illico „ post consumptum sacrificium spueret. " Quid vero Guntardo maxime ea in re displiceret, aperit postea Amalarius. " Video, inquit, „ quod tibi displiceam meo sputo, hoc est quasi sumptum corpus simul „ cum sputo projiciam. Ad hanc vero percontationem sic respondet „ Amalarius : " Phlegmaticus, si studuerit sanitati suæ, sæpius cura„ bit phlegma ejicere; si potuissem me abstinere tandiu a sputo quan„ diu satisfacerem tuis, ut non haberent, quod reprehenderent in me, „ hoc ultro curarem, præcipiente apostolo, *Providentes bona non tan„ tum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus*: sed quia hoc „ mihi difficile est, tamen confido in Domino, si mens mea pura fue„ rit & humilis in conspectu ejus, ut faciat intrare corpus ad ani„ mam meam vivificandam, & quod exeundum est propter sanitatem „ corporis, faciat exire sine dispendio animæ. . . . Hæc propterea di„ co, ut si forte me ignorante aut non consentiente exierit de ore „ meo aliquid ex corpore Domini, non me putes alienum a religione „ Christiana, quasi contemptui corpus habeam Domini mei.

Hac quæstione sic dissoluta, transit ad aliam, quam forsitan etiam proposuerat Guntardus: quid nempe fiat de corpore Domini, postquam in stomachum receptum est: sic porro de ea disserit Amalarius. " Ita vero sumptum corpus Domini bona intentione, non est mihi dis„ putandum, utrum invisibiliter assumatur in cœlum, an reservetur in „ corpore nostro usque in diem sepulturæ, aut exhaletur in auras, „ aut exeat de corpore cum sanguine, aut per poros emittatur, dicen„ te Domino, *Omne quod intrat in os, in ventrem vadit & in secessum „ emittitur*. Hoc solum cavendum est, ne corde Judæ sumam illud, & ne „ contemptui habeatur: sed discernatur saluberrime a communibus cibis.

Addit

Addit præterea Mauguinus ob hunc ſtercoraniſmi errorem Amalarium notatum fuiſſe in concilio Cariſiaco anno 838. ubi proſcripta eſt eorum ſententia, qui dicebant corpus Chriſti eſſe triforme & tripertitum, quæ loquendi ratio uſurpatur ab Amalario in libro *de divinis officiis*.

Seculo XI. circa annum 1054. Humbertus Sylvæ-candidæ epiſcopus diſputans adverſus Græcum ſcriptorem Nicetam Pectoratum, objicit ipſi errorem Stercoraniſtarum. Sic enim adverſus eum invehitur in tractatu quo objectiones Nicetæ adverſus Latinos confutavit *tomo* 4. *biblioth. Patrum*. " Sed, o perfide Stercoraniſta, quia putas fideli participatione corporis & ſanguinis Domini, quadrageſimalia atque eccleſiaſtica diſſolvi jejunia, omnino credens cœleſtem eſcam velut terrenam per aqualiculi fœtidam & ſordidam egeſtionem in ſeceſſum emitti, plane ſentis cum Ario, qui cum pro aliis blaſphemiis in Filium Dei, tum etiam pro iſta foveam delapſus in atram, viſceribus fuſis vacuus quoque ventre remanſit.

Hæc dura & contumelioſa adverſus Nicetam effudit Humbertus fervida diſputatione plus æquo abreptus, eo quod in libello contra Latinos Nicetas eis objeciſſet, quod jejunii diebus miſſam celebrarent, quam penitus omittendam cenſebant Græci. Hac porro ratione utebatur Nicetas, quod hora tertia celebrantes miſſam, ad nonam uſque jejunare non poſſent. " Miniſtrantes ergo atque complentes miniſtrationem ſanctæ miſſæ ſecus tertiam horam diei, in qua & promulgatum eſt ſanctum offerri ſacrificium; quomodo jejunium uſque ad horam diei nonam obſervatis, ſolventes hæc in tempore miniſtrationis miſſæ?

Cæterum obiter hic obſervandum eſt, Humbertum omnium ſcriptorum primum ſtercoraniſmi errorem Ario objeciſſe, cui nihil unquam tale ab antiquis objectum fuit. Ex quo patet quam immerito Cellotius Humberto nimis facile fidem adhibuerit, ut hunc errorem Ario tribueret, in quem etiam lapſos fuiſſe fingit Paulum Samoſatenum & Manichæos ſine ullo prorſus fundamento.

Algerus *lib.* 2. *de ſacramento altaris cap.* 1. hunc etiam errorem Græcis tribuit iiſdem pene verbis, quibus uſus eſt Humbertus. Ex quo colligitur ab ipſo mutuatum eſſe hanc contra Græcos accuſationem.

His poſitis duæ jam ſolvendæ remanent, quæ ex dictis exurgere poſſunt, difficultates. 1. Eſt, an ii, qui *Stercoraniſtæ* dicti ſunt, fuerint præſentiæ realis adverſarii, ut exiſtimavit Thomas Valdenſis, & ut etiamnum contendunt Calviniani. 2. An jure & merito iis, quos recenſuimus, ſcriptoribus ſtercoraniſmi error attributus fuerit.

A S-

ASSERTIO I.

Scriptores, qui in stercoranismum prolapsi fuisse dicuntur, neutiquam adversantur doctrinæ catholicæ de præsentia reali.

Probatur 1. Qui eatenus fœdi ac putidi erroris habiti fuerunt rei, quod corpus ipsum Christi in Eucharistia sumptum secessui obnoxium esse dicerent, nequaquam dici possunt adversarii dogmatis de præsentia reali. Atqui auctores, qui in stercoranismum impegisse dicuntur, ideo erroris habiti fuerunt rei, quod existimati fuerint esse in ea opinione, ut crederent Christi corpus esse egestioni obnoxium, ut patet ex dictis. Et posito quod negassent præsentiam realem, nullus jam fuisset locus gravi accusationi, quæ adversus ipsos movebatur. Qua ratione enim Græcis tanquam durum & absurdum objecisset Humbertus, quod cœlestem escam velut terrenam subjicerent conditioni naturali aliorum ciborum, nisi constans fuisset apud ipsos dogma præsentiæ realis? Sic enim urget Nicetam: "Horremus quidem dicere, sed compellimur a tua impudenti improbitate: conaris Christum, imo ipsam vitam, per dejectionem sicut cœnum olidum, dimittere in latrinam.

Probatur 2. ex omnibus istis scriptoribus sigillatim.

Ac 1. quidem Amalarius *in epistola laudata ad Guntardum*, ubique supponit corpus Christi vere ac realiter a nobis sumi, ut constat ex iis, quæ *supra* attulimus, ejus epistolæ verbis, tamque expresse docet singulis paginis præsentiam realem, ut hac sublata doctrina, omnino frivolæ ac absurdæ essent quæstiones, quas dissolvere conatur, nullusque foret in responsis ejus sensus.

Præterea docet vi verborum Christi, corpus ipsius esse revera & substantialiter præsens; sic enim de eo loquitur *pag.* 171. "Ipse dixit, quando panem tradidit apostolis, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*: suum corpus, quando voluit, & quando vult, in terra versatur: etiam post ascensionem suam non dedignatus est se Paulo monstrare." Ex quibus verbis colligitur Amalarium eodem modo existimasse corpus esse præsens in Eucharistia vi verborum consecrationis; quomodo sese præsentem exhibuit ipse Christus Paulo apostolo, scilicet vere & realiter.

Lib. 3. *de divinis officiis cap.* 24. *de consecratione*, "Hic credimus, inquit, naturam simplicem panis & vini mixti verti in naturam rationalem, scilicet corporis & sanguinis Christi.

Adde quod ait *in Euchologia in ordinem Romanum*, quam edidit Baluzius *in appendice capitularium*, & Mabillonius *tomo* 2. *Musæi Italici*, *in appendice pag.* 549. *num.* 24. scilicet ex oblatis fieri corpus Domini. Neque contrarium elici potest ex eo quod ait *cap.* 35. *lib.* 3. de corpore Christi triformi, ut legenti patet.

2. De

2. De Rabano, & Heribaldo nihil est quod addamus iis quæ *supra* dicta sunt.

3. Quod spectat ad Græcos, tota eorum causa hac in re videtur in uno Niceta Pectorato concludenda: siquidem is solus occasionem dedit gravissimo illi probro, quo Humbertus, & Algerus Græcos affecere. At Nicetas perspicue omnino præsentiam realem docet, ut patet ex iis, quæ habentur in tractatu ipsius adversus Latinos *tomo* 4. *biblioth. Patrum*, ubi de Christo sic loquitur: " Lancea percussa carne ipsius, " inquit, sanctus Spiritus vivificusque in vivificata carne ejus permansit, quam comedentes in pane, qui immutatus est per Spiritum " sanctum, & effectus est corpus Christi, & vivimus in ipso tanquam " vivam & deificatam carnem edentes. " *Et paulo post*, " Spiritus, " aqua & sanguis, & hi tres in uno sunt, videlicet in corpore Christi, ut dictum est, quod nos comedentes unimur incarnato propter " nos, & immolato Christo incorporati, & velut caro ejus sumus ex " carne ipsius. " Vana igitur ac futilis est Calvinistarum sententia dicentium eos præsentiæ reali adversatos fuisse, qui Stercoranistæ a nonnullis appellati sunt.

ASSERTIO

1. Nullo efficaci argumento probari potest Latinos quosdam scriptores IX. seculo aut Græcos XI. in fœdum stercoranismi errorem prolapsos fuisse.

Probatur prima pars de Latinis sigillatim.

Et 1. quidem de Amalario. Qui enim profitetur nolle se definire, qua ratione Christi corpus in nobis vel maneat usque ad diem sepulturæ, vel invisibiliter assumatur in cœlum, aut aliqua alia via exeat de corpore, non potest dici unquam adhæsisse errori Stercoranistarum. Atqui Amalarius *supra* de his singulis capitibus nihil omnino definire vult. Ergo immerito ipsi stercoranismus affingeretur.

Rejicienda est igitur eorum conjectura, qui censent ipsum ob hunc errorem ab Ecclesia Lugdunensi reprehensum fuisse in libro *de tribus epistolis cap.*40. Si quidem non alia ratione in hanc reprehensionem incurrit, nisi quia multa Amalarius reprehenderat in ritibus Ecclesiæ Lugdunensis, ut patet ex libro Agobardi contra ipsum *tomo* 2.

Neque felicius augurantur, qui putant ipsum notatum fuisse in concilio Carisiaco ubi damnatur error eorum, qui triplex Christi corpus configebant. Namque Amalarii sententia de hoc triplici Christi corpore in libris *de divinis officiis* omnino sana est. Ex quo colligitur ipsum hoc in concilio damnatum non fuisse.

2. Rabanum Maurum, & Heribaldum ab hoc errore satis antea vindicavimus.

3. Græcis non potiori fundamento tribui potest, in quorum scriptis nihil,

nihil omnino reperitur, quod stercoranismum sapiat. Id unum tantum apud Nicetam legitur, scilicet quod Latini ad nonam usque jejunare non possent, si missæ sacrificium hora tertia, ut solebant, offerrent. Atqui ex iis nullatenus sequitur ipsum existimasse corpus Christi esse secessui obnoxium, seu habere rationem, & conditionem naturalem aliorum ciborum. Namque 1. existimare potuit per Eucharistiæ perceptionem dissolvi jejunium, ex eo quod in symbolis eucharisticis remaneat vis nutriendi & sustentandi. Atqui hæc opinio prorsus diversa est a stercoranismo. 2. Videtur in ea fuisse sententia, ut diceret ideo dissolvi jejunium per Eucharistiam, quia ea statim percepta licitum est alios cibos assumere, iisque vesci. Atque id quidem innuit Humbertus, cum ait Græcos existimare ab ipsa sacra communione statim ad communes cibos fas esse transire. Atqui ex his patet Humberti accusationem non alio nixam fuisse fundamento, quam consecutione quadam ex Græcorum doctrina male deducta, quam ipsi nullatenus admittebant.

Cæterum minime probabile est Græcos in stercoranismi errorem prolapsos fuisse quem clare omnino, nec sine indignatione rejecerat S. Joannes Damascenus, ut *supra* vidimus, cum hujusce sancti doctrina sit veluti regula sententiæ Græcorum recentium.

4. Quod spectat ad antiquos Patres, quibus stercoranismum affingere conantur Calvinistæ, ut inde possint concludere ab ipsis admissam non esse præsentiam realem, scilicet S. Justinum, S. Irenæum, & præcipue Origenem, nullo negotio exponi possunt eorum testimonia. Cum enim duo distinguantur in Eucharistia, symbola nempe, & res sub ipsis symbolis contenta, mirum non est quod de symbolis dixerint, & ipsis competere nutriendi vim, & ea in secessum emitti, ut loquitur Origenes *in Matthæum*.

Posteriorum tamen seculorum scriptores majore ducti religione, & reverentia erga species illas externas, & symbola quibus obvelatur Christi corpus, fateri noluerunt quidquam ipsis accidere, quod vel nimiam redoleret, ut aiebant, fœditatem. Sic Guitmundus, qui suis doctissimis scriptis Berengarii hæresim repressit, nolebat sacramenta ab aliqua vili bestia posse consumi. Cum enim Rogerius quidam, qui apud Guimundum Berengarii partes tuetur, dixisset ab aliquibus objici, a muribus quibusque vel hujusmodi quibuslibet animalibus corrodi vel consumi hæc sacramenta posse, sic respondet Guitmundus *lib.* 2. " Mihi equidem sacramenta hæc nequaquam a muribus vel aliquibus " brutis animalibus videntur posse corrodi: quod si aliquando velut " corrosa videantur, quod nunc de hortulano, de peregrino, vel " leproso diximus, responderi potest, id est, non esse corrosa, " sed vel ad puniendam, seu corrigendam ministrorum negligentiam, " vel ad probandam eorum, qui hoc viderint, fidem, in tali specie posse videri.

Simi-

Similia prorsus habet Algerus *lib.2. cap.* 1. sub finem, ubi quamvis aliquem defectum, modo simplex sit, speciebus seu symbolis eucharisticis advenire posse concedat; negat tamen ullum ejusmodi defectum contingere posse, si aliquam fœditatem involvat. " Ipsis vero speciebus, inquit, cum non sint æternæ, defectum negare non possumus, sed ipsum defectum ita dicimus simplicem, ut nullam fœditatis admittamus corruptionem: possunt tamen videri mucidæ & putridæ, quamvis ita non sint, sicut Christus hortulanus, peregrinus, prout erant intuentium mentes.

De erroribus undecimi seculi seu de Berengario.

Berengarius natione Gallus fuit, patria Turonensis & archidiaconus Andegavensis, florere cœpit circa annum 1035. quo tempore hæresim suam disseminavit, annitente Brunone Andegavensi episcopo. Pene extinctam atque oblivione sepultam Joannis Scoti opinionem e tenebris revocavit. Homo fuit versipellis ingenii & inverecundæ pertinaciæ, ut errorem toties a conciliis & a seipso damnatum propugnaret semper ac tueri conaretur.

Fulberti Carnotensis discipulus fuerat; refertque Guillelmus Malmesburiensis pium illum episcopum, dum in extremis positus esset, qualis aliquando futurus esset Berengarius, prædixisse, Cum enim tunc a multis inviseretur, iisque sese immiscuisset Berengarius, eum quo potuit nisu expellendum esse significavit, contestans immanem circa illum Dæmonem consistere, qui multos seducere conaretur, eosque ad ipsum sequendum impelleret.

Certum est Berengarium circa Eucharistiam errasse: Sed in quo positus fuerit ipsius error, & qui fuerint illius gradus, haud satis compertum. Itaque inquirendum 1. quibusnam in conciliis damnatus fuerit Berengarius. 2. Quinam fuerit ejus error: 3. An tandem resipuerit & catholicus obierit.

De conciliis in quibus error Berengarii damnatus est.

Nullus fere alius error est, qui tot in conciliis proscriptus fuerit intra paucos annos habitis; ita ut vivente Berengario ipsius doctrina undecim in conciliis fuerit damnata.

Primum omnium est Romanum sub Leone IX. anno 1050. cujus meminit Lanfrancus *de Eucharistia cap.* 4 Prolata fuit in Berengarium excommunicationis sententia, quod Joannem Scotum extolleret, & Paschasium damnaret. In hoc concilio alia synodus ad mensem Septembris proximum indicta est Vercellis habenda, cui adfuit Lanfrancus: atque hoc ipso anno habitam fuisse satis significat, ad quem etiam annum revocatur ab Hermanno Contracto, qui tum temporis scribebat.
Ter-

Tertia synodus Brione pago diœcesis Rothomagensis habita fuit anno 1053.

Eodem anno sub finem habita est synodus Parisiensis, ad quam vocatus fuit Berengarius: " Sed malæ conscientiæ perculsus timore, " inquit Durandus, adesse noluit. " Hanc synodum nullatenus congregatam fuisse opinatur Laroquanus, at levi prorsus fundamento, ex silentio Lanfranci & anonymi Chiffletiani. Sed argumentum negativum præponderare non debet testimonio auctoris coætanei, scilicet Durandi. Unde Banagius hac in re ab eo discedit, observatque Durando Troarnensi consentire Theoduinum Leodiensem, qui hujusce concilii etiam meminit.

Anno 1054. sub Victore II. habita fuit synodus Turonensis, cui præfuit Hildebrandus, qui postea Gregorius VII. dictus est. In ea Berengarius errorem suum ejuravit anno 1059. Sub Nicolao II. habitum est Romæ concilium 103. episcoporum, cui præfuit ipse summus pontifex. Errorem iterum damnavit Berengarius, atque in ignem ipse projecit librum Joannis Scoti. Hoc in concilio condita est celebris illa formula fidei; *Ego Berengarius* &c. quam integram habes apud Lanfrancum & *in tomo 9. concil.* Cum iterum ad vomitum rediisset Berengarius, adversus ipsum Gregorius VII. anno 1078. Romæ iterum synodum habere jussit, in qua hæresim suam damnare jussus dilationem obtinuit usque ad concilium quod ibidem in quadragesima erat habendum. Itaque idem Gregorius anno 1079. concilium convocavit in quo Berengarii error damnatus fuit, & ipse formulæ fidei sibi propositæ subscripsit, in qua profitebatur " Corde " se credere & ore confiteri panem & vinum, quæ ponuntur in altari, " per mysterium sacræ orationis & verba nostri redemptoris substantiali- " ter converti in veram & propriam ac vivificatricem carnem & sangui- " nem nostri redemptoris. " De hac utraque synodo Romana loquitur anonymus Chiffletianus, qui de Gregorio VII. sermonem faciens, hæc habet: " Iterum eidem Berengario, inquit, audientiam in duabus syno- " dis generalibus Romæ concessit. Sed cum ipse sectam suam catholicæ " contrariam fidei denegare non posset, iterum sub juramento eam ab- " dicare, & fidem catholicam profiteri delegit, sicut in superioribus con- " ciliis fecit.

Finita postrema synodo Romana Gregorius VII. dimisit Berengarium, quem ab errore sincere resipuisse putavit, concessitque ipsi litteras salviconductus, quibus anathema iis intentabat, qui Berengarium vel minime læderent, vel ipsi in possessionibus suis injuriam facerent. Verum lapsus est iterum vafer ille hæreticus, atque fidei professionem, quam amplexus fuerat, scripto impugnavit, quod extabat olim in codice Gemblacensi, ut refert qui illud vidit & legit Mabillonius: sed simul cum insigni bibliotheca periit incendio.

Præter hæc concilia satis nota, duorum aliorum notitiam debemus eidem Mabillonio, qui *tomo* 2. *Analect.* profert acta concilii Rothomagensis sub

fis ſub Maurilio archipræſule. Hac in ſynodo damnatus fuit Berengarius; & nova fidei formula condita eſt quæ *ibidem* refertur a Mabillonio.

Hæc ſynodus ad annum 1063. revocatur. Anno autem 1075. contra eumdem Berengarium Pictavis habitam fuiſſe ſynodum colligit idem Mabillonius *ex chronico Maxentiano*, quod editum eſt a Labbæo *tomo* 2. *Biblioth.*

Poſtrema ſynodorum omnium quæ adverſus errorem Berengarii ipſo vivente habitæ ſunt, coacta fuit Burdigalæ anno 1080. Ad eam appellatus eſt Berengarius, & reddidit fidei ſuæ rationem, ut legitur *in eodem chronico*. In hac Burdegalenſi ſynodo Radulphus Turonenſis epiſcopus ad ſaniorem mentem reduxit Berengarium, atque effecit ut eamdem profiteretur fidem, quam amplexus fuerat in poſteriori ſynodo Romana ſub Gregorio VII.

Poſt mortem Berengarii, quæ anno, ut videtur, 1083. contigit, habita eſt Placentiæ ſynodus ſub Urbano II. anno 1095. in qua, teſte Bertholdo, hæreſis Berengariana jam ab antiquo ſæpiſſime anathematizata, iterum damnata eſt, & ſententia catholicæ fidei contra eamdem firmata, videlicet quod panis & vinum cum in altari conſecrantur, non ſolum figurate, ſed etiam vere & eſſentialiter in corpus & ſanguinem Domini convertantur.

Quinam Berengarii error fuerit.

VULGARIS eſt perſuaſio tum apud catholicos tum apud heterodoxos ſcriptores Berengarium aperte præſentiam realem corporis Chriſti in Eucharíſta negaſſe. Neque id quidem ſine fundamento. Namque conſtat 1. Berengarium in eadem fuiſſe cum Joanne Scoto opinione. Atqui ſi fidem habemus Hincmaro, Joannes Scotus in Euchariſtia nihil niſi memoriam & figuram Domini agnovit. 2. Docebat Berengarius panem & vinum eſſentialiter non converti in corpus & ſanguinem Chriſti, ſed tantum figurate. 3. Concilia, quæ adverſus ipſum habita ſunt, non poſtularunt tantum, ut veram in Euchariſtia converſionem agnoſceret; ſed etiam ut præſentiam realem confiteretur, ut patet ex concilio Romano ſub Gregorio VII. anno 1078. ubi jubente ipſa ſynodo profeſſus eſt credere ſe panem altaris poſt conſecrationem eſſe verum corpus Chriſti, quod natum eſt de virgine; & vinum altaris, poſtquam conſecratum eſt, eſſe verum ſanguinem, qui manavit de latere Chriſti. 4. Lanfrancus, ſcriptor Berengarii coætaneus, qui fidem Eccleſiæ adverſus eum docte & ſtrenue vindicavit, ſatis innuit ab ipſo impugnatam fuiſſe præſentiam realem. Sic enim *cap.* 21. ſibi ex Berengarii nomine objicit, „ Si panis in veram Chriſti carnem convertitur, aut panis ſu„ ſtollitur in cœlum, ut illic in Chriſti carnem transferatur; aut caro „ Chriſti ad terram defertur, ut iſtic in eam panis commutetur. At„ qui nec panis ſuſtollitur, nec caro defertur, & iſtic in eam panis „ com-

„ commutatur. Non est igitur vera caro in quam panis converti-
„ tur. “ Qui sic ratiocinatur, non solum veram conversionem impugnat, sed etiam præsentiam realem. Porro neutiquam probabile est Lanfrancum Berengarii mentem non fuisse assecutum, aut talem objectionem dissolvere conatum esse, nisi fuisset ab adversariis proposita.

Non desunt tamen rationes, quibus confici posse videtur a Berengario, non præsentiam realem, sed substantialem tantum panis conversionem fuisse impugnatam.

Ac 1. quidem Hugo Lingonensis, qui primus in Berengarium insurrexit, id tantum reprehendit in ejus doctrina, quod diceret panis & vini naturam non mutari, & corpus, quod dixerat crucifixum, intellectuale ab ipso constitui. Sic enim eum alloquitur. “ Dicis enim nimis ex-
„ tense loquens, in hujusmodi sacramento corpus Christi sic esse, ut pa-
„ nis & vini natura & essentia non mutetur: corpusque quod dixeras cru-
„ cifixum, intellectuale constituis. In quo evidentissime patet, quod in-
„ corporeum confiteris: qua ex re universam Ecclesiam scandalizas, ip-
„ sumque tuum offendis auctorem, qui dixit, *Palpate & videte.* “ In his verbis supponit Hugo Berengarium in ea esse sententia, ut Christi corpus sit in Eucharistia, sed cum panis & vini natura & essentia. Quod autem addit atque objicit Berengario, nimirum corpus, quod dixerat crucifixum, esse intellectuale & incorporeum, nullum habet ex iis quæ ex Berengario supersunt, fundamentum. Imo vero illud ab ipso Berengario refellitur *in epist. ad Adelmanum.*

2. *In eadem epistola ad eundem*, qui ipsum confutaverat, sic loquitur Berengarius: “ Quod dicis audisse te, quia dixerim non esse verum Chri-
„ sti corpus, & sanguinem; vel panem & vinum altaris non esse a con-
„ secratione verum Christi corpus & sanguinem, noveris me nunquam
„ Manichæorum admisisse sententiam. Illi enim phantasticum; ego ve-
„ rum & humanum Christi corpus fuisse & tenui & teneo. Ego certis-
„ simum video, cum concedam dari aliquid ut corpus Christi fiat, con-
„ cedendum mihi esse omnino, cum Christus nonnisi verum corpus ha-
„ buerit, ut etiam verum Christi corpus fiat. Concedo autem panem &
„ vinum altaris per consecrationem secundum Scripturas Christi fieri cor-
„ pus & sanguinem, ac per hoc concedere nullus possum, post consecra-
„ tionem ipsum panem & vinum facta esse fidei & intellectus verum
„ Christi corpus & sanguinem. “ Cum dicit Berengarius panem & vinum esse facta post consecrationem verum Christi corpus intellectus & fidei, non excludit realem præsentiam; sed id tantum vult, ut ipse explicat in scripto a se composito post ultimam Romanam synodum, corpus & sanguinem Christi esse in Eucharistia oculo cordis, non manus vel dentis, vel, ut nomine Berengarianorum exponit Guitmundus, latenter illic contineri. Porro *in eadem ad Adelmanum epistola* negat Eucharistiam esse meram figuram; “ Corpus ergo Christi, ait, & sanguinem,

„ res

„ res dico ipsas sacramentorum mensæ Dominicæ, non ipsa sacramenta „ nusquam Scripturarum appellatas inveni, nusquam appellari figuram, „ similitudinem; sacramenta autem ipsa, sicut sacramenta, ita etiam si- „ gna, figuram &c. appellari : utrum de præsumptionis meæ opinione „ afferam, ipse dijudica. " Quo in loco Berengarius duo agnoscit in Eucharistia, rem sacramenti, id est corpus Christi, & sacramentum ipsum, seu signum, quod vocat *figuram* & *similitudinem*.

3. Quamvis sæpius relapsus fuerit Berengarius, revocaveritque confessiones fidei, quibus subscripserat, nunquam tamen retractavit eam fidei formulam, quam sponte & nullo cogente professus fuerat in synodo Romana anno 1078. In ea autem præsentiæ realis doctrina expresse continebatur, affirmabatque corpus Christi, quod natum est de virgine, quod passum est in cruce, quod sedet ad dexteram Patris, & vinum altaris, postquam consecratum est, esse verum sanguinem, qui manavit de latere Christi. Tam firmo autem constantique animo semper adhæsit huic formulæ Berengarius, ut in eo scripto, quo tertiam fidei confessionem, cui subscripserat, refellit, hanc secundam pro sua agnoscat ac laudet.

4. In eo scripto, quo confutavit ultimam fidei professionem, quam amplexus fuerat, satis innuit se solam transsubstantiationem impugnare, siquidem cum juramento confirmasset credere se panem & vinum substantialiter converti in propriam & veram ac vivificatricem carnem & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, id in hac retractatione sic restringit, " Salva substantia sua, inquit, panis fit corpus, id est non „ amittens quod erat, sed assumens quod non erat. " Deinde vero sic discrimen opinionis suæ a catholica sententia exponit : " Quod autem „ scripserunt, inquit, panem & vinum quæ ponuntur in altari, conver- „ ti in veram ac propriam ac vivificatricem carnem & sanguinem Domi- „ ni nostri Jesu Christi, non me latebant eos ita velle accipi, sicut dixi, „ ut putet quis, deesse in sacrificio altaris subjecta panis & vini per cor- „ ruptionem sui, & adesse carnem Christi & sanguinem tunc primum in- „ stituta per generationem subjecti sui. " Hæc est doctrina catholica, quam exponit & rejicit Berengarius, quia contendit non ideo destrui substantiam panis, quia consecratur : " Consecrari enim, inquit, panem & „ vinum non est destrui substantiam panis & vini per corruptionem sui. „ Quandocunque enim consecratur, non amittit quod erat, sed in melius „ quam erat provehitur. " Atqui eo sensu locutus fuerat Berengarius in eo scripto quo confutavit professionem fidei ab Humberto concinnatam, & cui ipse subscripserat in concilio Romano sub Nicolao II. anno 1059. Dum hæc contra Humbertum scribebat : " Per consecrationem „ altaris, inquit, fiunt panis & vinum sacramentum religionis, ut non „ desinant esse quæ erant, sed ut sint quæ erant, & in aliud commu- „ tentur : quod dicit B. Ambrosius *in lib. de sacramentis* : " quia, ut paulo post explicat ipse Berengarius sacramentum duobus conficitur, vi-

sibili & invisibili, sacramento & re sacramenti; quæ tamen res, id est Christi corpus, si esset præ oculis, visibilis esset.

Denique id solum in Paschasio reprehendit Berengarius, quod veram & substantialem conversionem doceret. Sic enim habet *in epist. ad Ascelinum*, " Sapis contra omnes naturæ rationes, contra evangelium „ & apostolicam sententiam, si cum Paschasio sentis, in eo quod solus „ sibi confingit sacramento Dominici corporis decedere panis omnino „ substantiam. " Et in eo scripto quo formulam fidei ipso in concilio anni 1059. subscriptione firmatam consutare conatur, sic adversus Humbertum insurgit, quem immerito *Burgundum* appellat, si quidem fuit Lotharingus. " Erat autem Burgundus ille in scientia, imo vecordia „ vulgi, Paschasii atque Lanfranci, minime superesse in altari post con- „ secrationem substantiam panis atque vini. " Deinde nititur ostendere Humbertum sibi contradicere; " Quam sententiam, inquit, superio- „ ribus suis verbis ille ipse dejecit, nec attendit. Qui enim dicit, panis „ & vinum altaris solummodo sunt sacramenta, vel panis & vinum al- „ taris solummodo sunt verum Christi corpus & sanguis, modis omnibus „ panem & vinum superesse constituit. " Id unum in ea confessione, quam confutat, arguit Berengarius, quod corpus Christi admitteretur sine substantia panis. Ex his patet non sine fundamento visum fuisse nonnullis viris eruditis Berengarium vel sponte sua, vel post primas cum catholicis scriptoribus congressiones, definitionesque conciliorum sincere agnovisse præsentiam realem corporis Christi in Eucharistia, & contumacem duntaxat fuisse in neganda atque impugnanda vera & substantiali conversione panis & vini. Ut autem hæc sententia conciliari possit cum iis argumentis, quæ primo loco prolata sunt, observandum est 1. hoc proprium esse hæreticis omnibus, qui ab Ecclesiæ fide recedunt, ut parum sibi ipsis constent: 2. nonnumquam hæreseos auctoribus tribui repugnantes etiam asseclarum sententias. Porro ex Guitmundo duplex erat Berengarii discipulorum classis: alii negabant præsentiam realem: alii vero solam conversionem panis in corpus Christi impetebant. 3. Etiam ex Guitmundo duplicem fuisse ipsius Berengarii sententiam, unam quam *subtiliorem* vocabant Berengariani, qua dicebat Berengarius impanari corpus Christi; alteram, quam vocare possumus *minus exquisitam*, juxta quam dicebat nihil omnino de corpore & sanguine Domini inesse. Sed audiendus Guitmundus, qui hæc omnia accurate explicat paulo post initium libri primi adversus Berengarium: " Be- „ rengariani quidem omnes in hoc conveniunt, inquit, quia panis & „ vinum essentialiter non mutantur, sed ut extorquere a quibusdam po- „ tui, multum in hoc differunt, quod alii nihil omnino de corpore & „ sanguine Domini sacramentis ipsis inesse; sed tantummodo umbras hæc & „ figuras esse dicunt: alii vero rectis Ecclesiæ rationibus cedentes, nec ta- „ men a stultitia recedentes, ut quasi aliquo modo nobiscum esse vi- „ deantur, dicunt ibi corpus & sanguinem Domini revera, sed latenter

„ con-

„ contineri; & ut sumi possint, quodammodo, ut ita dixerim, impa-
„ nari; & hanc ipsius Berengarii *subtiliorem* esse sententiam aiunt.

Si quis hæc paulo attentius expenderit, intelliget Berengarium iis mutationibus obnoxium fuisse, quas vulgo patiuntur novatores. Circumferuntur omni verbo doctrinæ, variosque habent erroris gradus, cum contra qui sanam fidem amplectuntur, quia catholica doctrina simplex est & aperta, sine ulla variatione idem semper sentiant, idem prædicent; quia nihil aliud proponunt, quam quod ipsi ab aliis traditum acceperunt.

An Berengarius vere catholicus obierit.

Post concilium Burdigalense anni fuerunt ad mortem usque Berengarii octo, in quibus nulla habita est adversus ipsum synodus; atque eo tempore in fide catholica sincero animo permansisse, in eaque extremum diem obiisse testantur scriptores omni exceptione majores.

Primus est Clarius *tomo 2. spicilegii*, qui ad annum 1083. hæc ha-
„ bet. " Anno 1083. Berengarius Turonensis magister, & admirabilis
„ philosophus, amator pauperum effloruit. Hic composuit orationem
„ illam, quæ sic incipit: Juste judex Jesu Christe &c. posthæc vere fi-
„ delis & vere catholicus vitam finivit: super cujus tumulum hujusmo-
„ di epitaphium est.

Quem modo miratur, semper mirabitur orbis;
Ille Berengarius non obiturus obit.
Quem sacræ fidei vestigia summa tenentem
Jani quinta dies abstulit, ausa nefas.

Idem epitaphium refert *chronicon S. Martini*, quod scripsit Joannes monachus majoris monasterii, & perduxit ad annum 1226. Eo in chronico Berengarius dicitur mortuus vere catholicus.

Refert quoque illud epitaphium Guillelmus Malmesburiensis, auctor Berengario suppar; atque observat in his versibus Hildebertum Cænomanensem laudis modum excessisse: attamen testatur Berengarium vere pœnitentem & catholicum obiisse; sic enim de eo loquitur *lib. 3. de*
„ *rebus Anglicis*: " Quamvis ipse sententiam suam correxerit, inquit;
„ omnes tamen, quos ex totis terris depravaverat, convertere non
„ potuit: adeo pessimum est alios exemplo vel verbo a bono infir-
„ mare; quia fortassis peccatum te gravabit alienum, cum deletum fue-
rit tuum.

Neque est quod recentiores Calviniani elevent testimonium & auctoritatem Guillelmi Malmesburiensis.

Namque eas obitus Berengarii circumstantias refert, quæ ostendunt ab ipso eam adhibitam fuisse diligentiam, quæ necessaria erat, ut illa,

quæ totam hanc narrationem ſpectant, ſibi nota fierent ac perſpecta. Sic enim poſt relata ſuperius verba pergit. " Quin & ipſe die Epi„ phaniorum moriens, gemituque producto, recordatus quot miſeros „ quondam adoleſcens primo erroris calore ſecta ſua infecerit: Hodie, „ inquit, in die apparitionis ſuæ apparebit mihi Dominus meus Jeſus „ Chriſtus propter pœnitentiam, ut ſpero, ad gloriam, vel propter „ alios, ut timeo, ad pœnam.

Eadem leguntur in fragmento quodam veteris membranæ, quod refertur ex bibliotheca Floriacenſi, ex quo forte hauſerat Guillelmus Malmesburienſis. Guillelmo hac in re conſentit Matthæus Pariſius, qui obſervat Berengarium licet primos juventutis annos defenſione hæreſis maculaverit, ad ſaniorem tamen mentem ſic rediiſſe, " Ut citra con„ troverſiam a quibuſdam ſanctus habeatur, ut pote in multis operi„ bus bonis & maxime humilitate & eleemoſynarum largitionibus approbatus.

Hildeberto coævus ſcriptor Baltridus epiſcopus Dolenſis ſinceræ Berengarii pœnitentiæ teſtis eſt etiam locuples, dum in epitaphio hæc canit de illo:

En tua magne ſenex, jacet hoc ſub fornice gleba,
Ad reditum propriæ ſuſpirans conditionis:
Promittatque licet veniam tibi ſpes meritorum,
Hanc tamen acceleret lector pia vota vovendo.

Guillelmi Malmesburienſis & Matthæi Pariſii verba deſcripſiſſe videtur Vincentius Bellovacenſis, qui etiam luculentum Berengarii pœnitentiæ & ſanctitatis reddit teſtimonium.

Proferri etiam poteſt auctoritas necrologii Eccleſiæ Andegavenſis, „ in quo hæc leguntur, " Octovo idus Januarii obiit Berengarius iſtius „ eccleſiæ archidiaconus. " De eo certe nulla fieret mentio, neque pro eo eccleſia Andegavenſis orandum eſſe cenſeret, ſi extra Eccleſiam in opinione hæretica contumax obiiſſet. Iis tam luculentis tot ſcriptorum teſtimoniis unus opponitur a Calvinianis Bertoldus, qui *in hiſtoria ſui temporis ab anno* 1053. *ad annum* 1100. ſcribit Berengarium in errore pertinacem obiiſſe.

Verum unius extranei teſtimonium prævalere non debet multorum aliorum auctoritati. Porro Bertoldus Conſtantienſis ad Rhenum presbyter, extraneus fuit reſpectu Berengarii, hominis Galli, cujus proinde pœnitentia & obitus multo melius innoteſcere potuerunt Clario, Hildeberto, Baltrido, aliiſque qui intra Galliam ſcripſere, quibus proinde ea nota fuere, quæ in Gallia hocce tempore geſta fuerunt.

De

De erroribus XII. seculi.

GRAVISSIMOS in Ecclesia tumultus Albigenses & Valdenses excitarunt: utrosque vero pro parentibus suis agnoscunt Calviniani. Neque profecto dubitari potest, quin multis in capitibus maxima sit dogmatum consensio. An autem eadem fuerit de Eucharistiæ mysterio doctrina, non levis est controversia. Affirmant heterodoxi; nos negamus.

Eodem seculo extitit Folmarus quidam præpositus cœnobii de Petra-stillanti in Saxonia, qui singularem de Eucharistia opinionem excogitavit. De iis breviter differendum.

De Albigensibus.

INITIO XII. seculi erupit quidam Petrus de Bruis & Henricus ejus successor ac discipulus; quorum sectatores *Petrobruziani* & *Henriciani* appellati sunt. Iidem porro, cum in Occitania potissimum aliisque vicinis regionibus sedes haberent ac domicilia, ab urbe Albigensi nomen *Albigensium* traxerunt; errores vero suos hausere ab antiquis Manichæis, Bulgaris, Catharis, aliisque, quos *supra* recensuimus, hæreticis, ut diserte ostendit illustrissimus Bossuetus *lib. 11. variationum.*

Itaque non aliud de Eucharistia senserunt Albigenses, quam quod Manichæi docebant. Proinde non solum inficiabantur præsentiam realem corporis Christi in Eucharistia, panisque transsubstantiationem; verum etiam totum illud sacramentum damnabant ac detestabantur.

Sed Calviniani reclamant, contenduntque illos in eadem prorsus secum sententia fuisse versatos: nos contra definimus illos totam penitus Manichæorum impietatem animo combibisse.

ASSERTIO.

ALBIGENSES non intra Calvinianæ doctrinæ limites sese continuerunt; sed longius provecti totum Eucharistiæ sacramentum, & ut inutile rejecerunt, & ut impium execrati sunt.

PROBATUR 1. ex Petro venerabili, qui *in libro de sacramento altaris contra Petro-bruzianos*, illos graviter arguit, quod non tantum negarent Christi corpus, & sanguinem divini ejus verbi virtute ac sacerdotum opera confici posse, illudque omne dicerent esse supervacaneum, quod in altari fieret; sed etiam conceptis verbis, quod intra Berengarianæ hæreseos fines non hærerent; nec negarent duntaxat veritatem corporis ac sanguinis Christi, ut ille; sed etiam sacramentum ipsum figuram ac imaginem corporis abjicerent, addentes errorem errori & hæresim hæresi cumulantes.

PROBATUR 2. ex Concilio Tolosano anno 1119. & ex Concilio Lateranensi II. anno 1139. *canon.* 23. a quibus damnati sunt Albigenses, quod repudiarent ac damnarent sacramentnm corporis ac sanguinis Domini.

PROBATUR 3. ex Conrado Heisterbacensi, qui in dialogo de Albigensibus loquens, " Blasphemant, inquit, sacramentum corporis & sanguinis Christi.

PROBATUR 4. ex synodo Oxoniensi anno 1160. Guillelmo Neobricensi *rerum Anglicarum lib.* 2. *cap.*13. & Guiberto de Novigento *lib.* 3. *de vita sua*, ubi Albigenses dicuntnr abhorrere ab altaris mysterio, illudque execrari.

PROBATUR 5. ratione. Cum enim alios Manichæorum errores de creatore mundi, Christi incarnatione, Scripturis veteris testamenti, baptismi efficacia, matrimonii usu, cibis vetitis, aliaque id genus Albigenses asciverint, juxta hos cæterosque scriptores qui & Manichæorum nominibus eos insigniunt, in eo sane non consistebant, ut corpus Christi ab Eucharistia excluderent, sed & pro sectæ more eo etiam procedebant, ut totum Eucharistiæ sacramentum conculcarent.

De Valdensibus.

PAULO post exorti sunt Valdenses, qui & *pauperes de Lugduno*, a Petro quodam Valdo Lugdunensi mercatore ditissimo nominati, qui anno 1160. cum subita, & improvisa unius e sociis morte consternatus, omnes facultates suas egenis erogasset, magnum ad se hominum numerum aggregavit. Hi cum initio illud tam illustre exemplum sequi tantummodo, & apostolicam vitam æmulari sibi proposuissent, paulo post ex affectata paupertate in cæterorum omnium ac sacerdotum præsertim contemptionem, ex illa despicientia in schisma, ex schismate in hæresim incurrerunt, negantes quidquam prodesse aut mortuis orationes, quæ pro ipsis funderentur, aut vivis sacramenta, quæ sibi a malis sacerdotibus conferrentur, omniaque adeo sacerdotum munia merito vitæ suæ purioris sine ulla prævia inauguratione arrogantes.

Istis maxime gloriantur hujus ætatis hæretici, quasi antesignanis suis. Neque est profecto quod invideamus. An autem illi Berengarium secuti, Christi corpus non esse in Eucharistia docuerint, ambigitur

Qui id affirmant Calviniani, tribus innituntur momentis. Primum est, quod plerique hæreticos Valdenses confundant cum Albigensibus, qui sine dubio Ecclesiæ dogma impugnarunt. Secundum est, quod etiamnum extet quædam scriptorum Valdensium collectio jam ab anno 1112. in qua istud diserte profiteantur. Tertium est, quædam fidei for-

formula, quæ fertur ab ipsis edita in hanc sententiam. De his vide Perrinum *lib. 1. historiæ Valdensium*, Albertinum, Laroquanum, Banagium & alios.

Qui vero rem diligentius expenderunt inter catholicos eruditi, jam negant Valdenses eosdem esse cum Albigensibus, idque pluribus de causis. Prima est, quod omnes ad unum scriptores antiqui distinguant ac longo intervallo separent Valdenses ab Albigensibus, ut ex horum erroribus illi æstimari non possint nec debeant. Secunda, quod non ita pridem eruta sint e tenebris multa horum temporum historiæ monumenta, quæ evidenter ostendant Valdenses ab Albigensibus esse secernendos.

ASSERTIO III.

Valdenses circa Eucharistiam non errarunt.

Probatur 1. omnium coætaneorum scriptorum silentio. Neque enim id erroris inter eorum dogmata recensent. Non Eberardus, qui adversus eos statim scripsit, nihil in iis tunc notans præter singularem & superbam desidiosæ paupertatis ostentationem. Non Conradus abbas Uspergensis *ad annum* 1212. eos arguens duntaxat superstitionis. Non Alanus, qui eos impugnavit. Non concilium Lateranense IV. anno 1215. *can.* 15. eos damnans. Non synodus Taraconensis anno 1242. eosdem proscribens *tomo* 11. *conc.* An vero errorem hunc præcipuum atque in Berengario jampridem confossum tacuissent tot illi Patres ac scriptores in Valdensibus, si eo reipsa fuissent contaminati? Adjice his Bernardum abbatem Fontiscaldi, qui hujus hæreseos exordia vidit, quique colloquium quoddam referens, in quo omnia eorum dogmata expensa sunt diligentissime sub arbitris, nihil tamen ejusmodi de Eucharistia commemorat, non omissurus sane, si de ea perperam sensissent.

Probatur 2. testimoniis plerorumque illius ævi auctorum, qui aperte indicant Valdenses contra de Eucharistia recte statuisse.

1. Est Petrus Vallis Cernensis, qui anno 1209. eos nominatim incusat, quod laici licet, id sibi sumerent, ut Christi corpus conficere se posse arbitrarentur.

2. Reinerius anno circiter 1250. qui nedum Valdenses notet erroris ob negatam realem præsentiam, id in iis contra reprehendit, quod vellent transsubstantiationem fieri lingua vulgari, traderentque quod "transsubstantiatio fieret non in manu indigne conficientis, sed in ore digne sumentis.

3. Pylicdorffius, qui anno 1350. illos pluribus in capitibus errasse asserit, si sacramenta excipias; eosque insimulat quod cum meri laici essent, corpus Christi nihilominus consecrare se posse sacerdotum ritu crederent.

4. Eme-

4. Emericus *in directorio inquisitionis parte 2. cap. 14.* qui in eo Valdensium errorem constituit, " quod illi censerent transsubstantiationem panis „ in corpus Christi non contingere, cum indignus sacerdos Eucharistiam „ conficeret. " Ergo extra hunc casum eam illi non rejiciebant.

5. Est auctor quidam *collectionis variarum quæstionum de Valdensibus Sabaudis.* anno 1495. quæ in duo volumina compactæ asservantur in bibliotheca Colbertina. Ibi enim interrogatus quidam Thomas de Valdensium grege, " An a barbatis suis doctus fuisset realem Christi præsentiam in „ Eucharistia : respondet se accepisse a barbatis quod, cum sacerdos „ verba profert consecrationis, ibi sit corpus Christi, fiatque vera mu- „ tatio panis in verum Christi corpus.

6. Ac postremus est Claudius Seyssellius archiepiscopus Taurinensis, qui cum ex officio pastorali anno 1517. Valdenses, qui frequentes sunt in iis partibus ad Ecclesiæ sinum revocare vellet, atque eam ob rem in eorum dogmata diligentius exploranda diu ac multum incubuisset, quorum etiam catalogum texuit accuratum, non modo istius Valdensium de Eucharistia erroris non meminit, sed etiam contrarium innuit ajens " Hoc „ fuisse apud omnes argumentum, ut vim consecrandi Dominici corpo- „ ris sacerdotibus indignis eriperent, quod scilicet qui Deo gratus non est, „ transformare nequeat panem & vinum in corpus & sanguinem Chri- „ sti. " Proinde existimabant ab iis transsubstantiari panem & vinum in corpus & sanguinem Christi, multoque magis veram ejusdem corporis in Eucharistia præsentiam admittebant : atque adeo, si jam cum Calvinianis in eo consentiunt, oportet ut ab anno 1530. sententiam mutaverint: qua autem ratione, quibus artibus, quantaque difficultate id perfectum fuerit, agente potissimum Farello, apud Genevenses pseudo-evangelii ministro, disces ex eodem episcopo Meldensi.

Neque vero obstant quæ a Calvinianis objiciuntur. Ea enim scriptorum Valdensium collectio a Calvinianis adeo jactata manifestam pre se fert suppositionis notam, cum anno 1112. nondum Valdenses erupissent. Præterea sermo Gallicus, quem exhibet, recentioris est ævi. Denique quosdam allegat libros, qui decimo demum tertio seculo prodierunt. Quod autem pertinet ad illam fidei formulam, quam in subsidium sententiæ suæ adducunt Calviniani, ex quibusdam manuscriptis codicibus, incertæ omnino est ætatis, imo & Calvino posterior.

De Folmaro.

Eodem seculo XII. tempore Alexandri III. Folmarus præpositus Petræ-stillantis in Franconia *in epistola scripta ad Eberhardum archiepiscopum Salsburgensem* mentem suam de Eucharistia sic exponit : " Ego, „ inquit, in sacro mysterio sicut ..... sanguinem sub vini sapore ac „ specie bibere me quidem, sed solum & purum sine carne non dubi- „ to, ita solam & puram carnem sine ossibus & membris corporali- „ bus

„ bus, imo & sine humani corporis plenitudine sub panis sapore ac „ specie manducare me credo : nec me filium hominis, sed carnem filii hominis manducare confiteor. Ubi vero caro Christi, ibi consequenter & Christus, non pro parte, sed totus, totus seorsum in carne, totus seorsum in sanguine, totus simul in utroque : nihilominus in utrisque conjunctus totus & integer, non ad humani corporis, ut quidam litigant, integralitatem; sed ad personæ Christi individuam unitatem arbitror referendum. Oportet enim .... naturam Verbi a corporis natura distinguere. Ubicumque enim Christus est : etsi totum non est : sicut uno eodemque tempore totus in sepulchro, & totus in inferno erat ; sed totum non erat, eo quod trium substantiarum, quæ unam faciunt in Christo personam, aliquid deerat.

Ex quibus verbis patet eum auctorem existimasse corpus & sanguinem Christi esse in Eucharistia, sed seorsum sub variis speciebus & seorsum sumi : sub specie autem panis solam esse carnem Christi, non ossibus nec membris distinctam. Censebat tamen ille sub singulis speciebus esse totum Christum ratione suppositi, non tamen totum quod erat in Christo.

Ad eam confessionem respondit Eberhardus : "Novam fidem, inquit, imo detestandam perfidiam sine auctore, sine exemplo novus Evangelista prædicatis .... Sumitur itaque sanguis Christi a fidelibus non abstractus a carne, sed sanguis cum carne & caro cum sanguine, imo totus Christus cum integritate utriusque substantiæ: & licet separatim, non tamen separata percipiuntur ..... Et inde non amplius dubitabit nisi hæreticus. Manducat itaque Ecclesia carnem filii hominis, non partem carnis, sed totum corpus, quod natum est de Maria virgine, quod passum est in cruce : ... manducat totam & integram carnem sine diminutione, sine divisione ; imo in carne Christum totum filium Dei, totum filium hominis. Et totum refero non ad partem tantum pro parte, uti vos subtilisatis, sed ad substanriarum carnis & sanguinis plenitudinem." Allata vero sententia S. Augustini, qua dicitur ; "Corpus illud offerri in altari, quod pependit in cruce : Corpusne illud, inquit, sine ossibus & nervis pependit in cruce?

Gerardus de Richersperg de confessione Folmari loquens, "Nos istam fidem, inquit, pro maxima reputantes perfidia, carnes agni paschalis non ita crudas .... in Ecclesia manducari credimus, ut vel ejus caro vel sanguis ejus manducetur & bibatur seorsum .... Is totus in cœlo, totus in ore comedentis corpus ejus, ac sanguinem bibentis .... credo enim vos una nobiscum, imo cum tota Ecclesia unam fidem habere sapiendo in nomine carnis Christi non aliud quam carnem Christi ..... At nunc neque corpori Christi anima sua, neque animæ suæ suum corpus, neque his ambobus amborum vita, ... quia Christus jam non moritur.

Fol-

Folmarus confeſſionis ſuæ revocationem edidit & Eberhardo aſſenſus eſt.

De quo negotio vide *tomum* 4. *biblioth. Patrum parte* 2. *pag.* 845.

De erroribus XIV. ſeculi.

In Euchariſtia exponenda erraſſe memorantur hoc ævo Joannes Pariſienſis, Durandus & Wiclefus.

De Joanne Pariſienſi.

Insignis ea ætate fuit Joannes Pariſienſis, e Dominicanorum familia theologus, tantaque fertur extitiſſe in diſputando vi ac ſubtilitate, ut *pungens aſinum* vulgo nominaretur. Tanta autem doctrinæ fama erat, ut cum graviſſima inter Bonifacium VIII. ſummum Pontificem & Philippum Pulchrum Francorum regem diſſidia ferverent, unus delectus ſit, qui regiam cauſam tueretur. Multa ille ſcripſit, quæ recenſentur ab iis, qui de ſcriptoribus eccleſiaſticis diſſerunt. Inter alia vero quoddam de Euchariſtia edidit opuſculum a Calvinianis, Laroquano potiſſimum ac Claudio, jactatum ex codice manuſcripto Victorino, nec ita pridem publica luce donatum cum adjuncta contra tranſubſtantiationem diſſertatione.

Opuſculi titulus eſt. "Determinatio fratris Joannis de Pariſiis prædica„ toris de modo exiſtendi corpus Chriſti in ſacramento altaris, alio quam „ ſit ille, quem tenet Eccleſia.

Ut autem ipſius opuſculi & Joannis ſententiæ, quæ non parum intricata eſt, ſumma innoteſcat, Joannes audiendus eſt.

1. Itaque profitetur ſe cum omni Eccleſia credere præſentiam realem corporis Chriſti in Euchariſtia, licet contrarium Calviniani vulgaverint, " Intendo, inquit, defendere veram exiſtentiam, & realem " corporis Chriſti in ſacramento altaris, & quod non eſt ibi ſolum „ ſicut in ſigno.

2. Addit ſe etiam credere communem de tranſubſtantiatione doctrinam; " Et licet teneam, inquit, & approbem illam ſolemnem opi„ nionem, quod corpus Chriſti eſt in ſacramento altaris per conver„ ſionem ſubſtantiæ panis in ipſum, & quod ibi maneant accidentia ſine „ ſubjecto.

3. Contendit tamen hancce tranſubſtantiationem nondum fuiſſe in dogma fidei ſuſceptam: " Non tamen audeo dicere, inquit, quod hoc cadat ſub „ fide mea, ſed poteſt aliter ſalvari vera & realis exiſtentia corporis Chri„ ſti in ſacramento altaris.

4. Declarat, ſi ad fidem pertinere ea judicetur, ſe ſtatim ad obedientiam eſſe paratum: " Proteſtor, inquit, quod ſi oſtendatur dictus modus determinatus eſſe per ſacrum canonem, aut per Eccle-

„ ſiam

„ fiam , aut per generale concilium, ... quidquid dicam, volo haberi pro non dicto, & statim paratus sum revocare. Quod si non sit „ determinatus, contingat tamen ipsum determinari, statim paratus sum „ assentiri.

5. Cum id non esse definitum arbitraretur , & multis aliunde difficultatibus implicatum cerneret , hortatur theologos ut & alios excogitent modos , operamque suam in subsidium pollicetur :. “ Probabiliter „ tamen, inquit, potest aliter salvari vera, & realis existentia corpo„ris Christi in sacramento altaris : & si quis alium modum inveniat, „ paratus sum juvare ipsum ad sustinendum eum , ut sic fides nostra „ de vera corporis Christi existentia in sacramento altaris possit pluribus „ modis salvari ac defendi.

6. Interea aliam , quam excogitarat , viam proponit , per assumptionem nimirum paneitatis in Verbi personæ communicationem , ita ut, quomodo Verbum divinum in incarnatione humanitatem assumpsit, sic in Eucharistia assumat paneitatem , non quidem immediate , sed mediante corpore humano Christi , cui instar accidentis paneitas adveniat & conjungatur : “ Substantiam panis, inquit, manere sub suis „ accidentibus in sacramento altaris , dupliciter potest intelligi ; uno „ modo sic , quod substantia panis in sacramento altaris sub suis acci„dentibus maneat in proprio supposito , & istud esset falsum , quia „ non esset communicatio idiomatum inter panem & corpus Christi , „ nec *caro mea vere est cibus* : alio modo, ut substantia panis maneat „ sub accidentibus suis , non in proprio supposito , sed tracta ad esse „ & suppositum Christi , ut sic sit unum suppositum in duabus natu„ris : & sic est verum substantiam panis manere sub suis accidenti„bus in sacramento altaris : & ista positio secunda differt a prima , „ quia ista positio ponit in sacramento altaris duas corporeitates , sci„licet panis & humanitatis , quia ibi ponit humanitatem , & panei„tatem , sed tantum ponit ibi unum corpus , quia corpus non est „ corporeitas : . sed habens corporeitatem : ibi autem est unum ha„bens corporeitatem , quia ibi est unum suppositum tantum : sup„positum autem per Damascenum *lib.* 3. est habens naturam . . . . „ Ponit etiam ista positio panem alium esse quam prius , & esse „ mutatum : quia post consecrationem est panis increatus , ante con„secrationem vero est panis creatus : licet autem sit alius panis „ ante , & post , tamen est eadem paneitas . . . . . 2. Videndum „ est quod aliud trahi ad esse alterius , dupliciter potest intelli„gi , vel mediate , vel immediate . Dico igitur quod panis in „ sacramento altaris trahitur ad esse vel suppositum Verbi, non imme„diate , sed mediante corporeitate (quæ est pars) & non median„te corporeitate , quæ est totum : quod patet sic : Natura nempe „ panis assumpta a Verbo est virtualiter assumpta ab aliquo : ratione „ assumentis habet naturam accidentis . . . . 3. Est videndum , quo-

modo

„ modo paneitas sit assumpta mediante corporeitate: circa quod sciendum „ est per Avicennam 5. *Metaph. cap.* 3. quod corpus dicitur dupliciter: uno modo dicitur corpus quod est pars, alio modo corpus „ quod est genus (seu totum suppositum). Corpus, quod est pars, „ dicitur compositum ex materia & forma, ut est subjectum trium „ dimensionum cum præcisione perfectionum posteriorum: & tale corpus non prædicatur de homine (in recto, sed in obliquo) & dicitur corpus meum vel corpus Christi: corpus vero, quod est genus, dicitur compositum ex materia & forma, ut est subjectum trium dimensionum, non cum præcisione perfectionum posteriorum, & tale prædicatur de homine & dicitur non corpus meum, sed corpus „ quod ego sum, vel quod est Christus, unde est corpus, quod ego „ sum scilicet, corpus genus, & corpus, meum scilicet, corpus pars. „ Eodem modo potest dici caro pars, & dicitur caro mea (in obliquo) & caro totum, & dicitur caro quæ ego sum. Dico igitur „ quod paneitas est assumpta a supposito Verbi mediante corpore aut „ carne parte, & non mediante carne aut corpore toto, & sic solum „ fit communicatio idiomatum inter Corpus Christi partem, quod est „ corpus meum, & paneitatem assumptam in concreto, ut sit verum „ dicere, panis est corpus meum, & corpus meum est panis, & non „ inter panem assumptum & corpus genus, & suppositum Verbi, ut „ non sit verum dicere panis est homo vel Deus, nec e contrario, „ Deus aut homo est panis. "Quæ communicatio idiomatum est solum inter ea, quorum unum assumit aliud immediate, non vero inter ea, quorum unum assumit aliud solummodo mediate, "Quia, inquit, non assumit „ panem immediate, . . . ideo non est communicatio idiomatum inter panem assumptum & Verbum.

Hanc autem opinionem suam probat Joannes, 1. ex Dionysio 3. *cap. Eccles. hierarchiæ*, ubi vocat hoc sacramentum SACRAMENTUM ASSUMPTIONIS: 2. ex Damasceno *lib.* 4. *cap.* 5. *Orthodoxæ fidei*: 3. ex confessione Berengarii in concilio Romano tempore Nicolai Papæ, in qua dicitur " corpus Christi . . . . in veritate manibus sacerdotum tangi & fidelium dentibus atteri: non . . . . in seipso, inquit, cum sit gloriosum, sed . . . . per panis assumptionem, & „ idiomatum communicationem. " 4. Ex eo " quod ista opinio evidentius salvat veritatem hujus propositionis, *Hoc est corpus meum*; „ & quod in altari sit corpus Christi, quam alia ": quia nempe si panis sit conversus in corpus Christi, non potest recte dici, panis est corpus Christi: sicut si aer convertatur in ignem, nemo dicat aerem esse ignem, si autem assumatur panis a corpore Christi, recte poterit dici, panis est corpus Christi, & corpus Christi est panis. Quemadmodum post incarnationem propter assumptam humanitatem a Deo, potest recte dici Deus est homo, & homo est Deus.

Tria autem sibi potissimum objicit Joannes ac pro virili dissolvit: 1. Ex

1. Ex canonibus *de consecr. dist.* 3. *c.* Panis & calix, & 2. *c. sequent.* & *c.* Panis in altari, qui ajunt substantiam panis post consecrationem in Eucharistia non manere.

2. Ex iisdem canonibus qui dicunt quod panis mutatur, aut transsubstantiatur, aut convertitur in corpus Christi.

3. Ex cultu latriæ, qui Eucharistiæ debetur, nec tamen sine idololatria substantiæ panis in Eucharistia juxta hanc sententiam superstiti deferri posset.

Ad 1. respondet ita esse exponendum, " quod substantia panis fuit „ sola, sed modo post consecrationem non manet sola, quia ibi latet corpus Christi

Ad 2. respondet, " Quod ibi panis vere mutatur, quia ante con- „ secrationem est panis creatus, post consecrationem vero est panis in- „ creatus: panis enim non est paneitas, sed habens paneitatem; post „ consecrationem vero habens paneitatem est suppositum increatum; „ panis etiam est transsubstantiatus vel conversus in corpus Christi, „ quia quod Aristoteles 5. *Metaphysic.* ait de substantia, substantia ma- „ xime dicitur de supposito: suppositum autem panis non manet, sed „ transit in suppositum Verbi, in quantum panis trahitur ad esse & „ suppositum Verbi.

Ad 3. " Dico, inquit, quod si substantia panis maneret in sacra- „ mento in proprio supposito, & sic ut in proprio supposito adorare- „ tur adoratione latriæ, esset idolatria; & idcirco dico quod non „ adoraretur latria in proprio supposito; quia si adoratur latria ut „ est in divino supposito, non est idolatria, sicut patet de humanitate „ in Christo.

Sic Joannes Parisiensis; qui tamen hisce coloribus fucum facere non potuit, nec censuram effugere. A sacra enim facultate Parisiensi & episcopo Parisiensi damnatus est, & professoris munere, quod obibat, spoliatus. Cum autem ab iis appellasset Romam, & eo fuisset profectus, ut causam suam tueretur, antequam a Romano pontifice sententia proferretur, morte ad Dei judicium vocatus est.

Historiam narrat continuator Chronici Guillelmi de Nangis *ad annum* 1304. Frater Joannes de Parisiis, inquit, ordinis fratrum præ- „ dicatorum, magister in theologia, vir admodum litteratus & inge- „ nio clarus, circa veram existentiam corporis Christi in sacramen- „ to altaris novum ponendi modum introducere conatur, dicens vi- „ delicet &c.

Examinata itaque opinione prædicta, dum ea, quæ dixerat, retra- „ ctare nollet, sed magis videretur pertinaciter sustinere, ... a Guil- „ lelmo Parisiensi episcopo de consilio fratris Ægidii Bituricensis ar- „ chiepiscopi provecti theologi, ac magistri Bertrandi de sancto Dio- „ nysio præcellentis doctoris, & Aurelianensis episcopi, ac Guillelmi „ Ambianensis episcopi, nec non & doctoris in jure canonico, pariter

„ &

„ & dominorum ad hoc specialiter vocatorum, perpetuum super hoc
„ silentium dicto fratri sub pœna excommunicationis impositum, a le-
„ ctura pariter & prædicatione privatur. Verum cum ob hæc ad se-
„ dem apostolicam appellasset, auditoribus sibi datis in curia, sed in-
„ fecto negotio, de medio sublatus est.

Consonat auctor *memorialis historiarum* a Spondano laudatus *ad an.* 1304. *num.* 14. & a Bulæo *tomo* 4. *hist. universitatis* his verbis: " Ad
„ hunc annum legitur magistrum Joannem Parisiensem .... actu re-
„ gentem in scholis theologicis propter novam quamdam propositionem
„ de corpore Christi in sacramento altaris; .... a magistro Guillel-
„ mo Bauseti episcopo Parisiensi, & magistris in theologia pluries au-
„ ditum, demum ab Ægidio Romano archiepiscopo Bituricensi, Guil-
„ lelmo Ambianensi episcopo, advocatis doctoribus theologis, exami-
„ nata diligentius thesi, prohibitum fuisse legere & disputare Parisiis
„ deinceps ...... Is est Joannes, qui contra Bonifacium Philippi re-
„ gis susceperat defensionem ...... Eum autem tam acrem tamque
„ vehementem ajunt fuisse in disputationibus, ut *pungens asinum* cogno-
„ minatus fuerit.

Quamvis autem Joannes a summo pontifice damnatus non fuerit, ejus tamen opinio passim habita est ac rejecta ut error gravis

Joannes enim Bacho ex ordine Carmelitarum *in* 4. *dist.* 8. *quæst.* 5. *art.* 1. eam vocat errorem gravem contra Ecclesiæ fidem in concilio Lateranensi definitam.

Herveus *in* 4. *dist.* 10. *quæst.* 1. eamdem erroneam appellat.

Durandus *eadem dist. & quæst.* hanc ipsam refellit.

Franciscus Mayro *in* 4. *dist.* 8. *quæst.* 1. " Error, inquit, fuit Pa-
„ neitarum, qui dicebant quod sicut mediante anima rationali assum-
„ psit Dei filius humanam naturam; ita mediante corpore Christi as-
„ sumpsit panem.

Thomas de Argentina *in* 4. *dist.* 11. Joannis sententiam non distinguit ab eorum errore qui transsubstantiationem negant, refertque ideo ipsum a communione Ecclesiæ pulsum.

Bassolis *in* 4. *dist.* 11. eamdem damnat.

Thomas denique Valdensis *de Eucharistia cap.* 69. eamdem fuse confutat, & ab omnibus reprobari oportere asserit.

De Durando.

CIRCA annum 1325. Durandus ex eodem Dominicanorum instituto theologus, ac magister sacri palatii, ac demum episcopus Meldensis, pro suo ingenio liberiore aliam proposuit exponendæ præsentiæ realis & conversionis eucharisticæ rationem.

In 4. enim, *dist.* 11. *quæst.* 3. *num.* 5. " Salvo meliore judicio,
„ inquit, potest existimari, quod si in isto sacramento fiat conversio
„ sub-

„ substantiæ panis in corpus Christi quod ipsa fit per hoc quod corrupta
„ forma panis, materia ejus fit sub forma corporis Christi subito, & virtute
„ divina, sicut materia alimenti fit sub forma nutriti virtute naturæ. . . .
„ Prædictus autem modus conversionis substantiæ panis in corpus Christi
„ constat quod est possibilis: alius autem modus, qui communius tenetur,
„ est inintelligibilis: nec unus eorum est magis per Ecclesiam reprobatus
„ quam alius.

Ex quo consequens est juxta Durandum non fieri conversionem totius substantiæ panis in corpus Christi, sed solam formam panis corrumpi, materiam autem manere, quæ exinde transeat sub formam Christi, ut quotidie fit, cum corpora in alia mutantur. Materia enim communis remanet, quæ ab una forma sub alia migret: sic etiam cibi in nostram substantiam convertuntur: Sed quænam illa sit forma Christi, sub qua migret juxta Durandum materia panis eucharistici, non satis liquet. Si enim sit forma carnis humanæ Christi, ejusdem cum ipsa natura, ex eo colligemus ab ipso admissum esse in Eucharistia idem Christi corpus, quod de Maria natum est; & hoc certe affirmat *qu.* 1. sed alibi non semel significat hanc formam non aliam esse, quam rationalem Christi, quæ in cœlo manens, ordinem & respectum habere deinceps censeatur ad panem eucharisticum ut ad materiam suam recens sibi ascitam: ita ut anima & caro humana Christi in cœlo duntaxat versentur: panis autem eucharisticus dicatur corpus Christi, quia est corpus aliquod subditum animæ Christi, & ejus actioni ac dominio subjectum. Vide *ibidem distinct.* 11. *quæst.* 1. *&* 2.

Quidquit sit, opinio Durandi ut falsa & fidei catholicæ adversa ab omnibus scholis repudiata fuit. Thomas enim de Argentina *in* 4. *dist.* 11. *qu.* 1. Petrus Aureolus *eadem dist.* §. 3. Bassolis *eadem dist. qu.* 4. aiunt hujusmodi doctrinam fidei & Ecclesiæ decretis repugnare. Suares vero *in* 3. *par. S. Thomæ, disp.* 42. §. 2. pronunciare non dubitat ea realis præsentiæ veritatem everti.

De Wiclefo.

JOANNES Wiclefus Anglus, presbyter ac curio in diœcesi Lincolniensi, novam disseminans ac impiam in patria sua doctrinam, innumerabilium turbarum auctor fuit sub finem XIV. seculi.

Divinam majestatem blasphemabat ille, aiens Deum 1. non esse liberum, sed in omnibus, quæ etiam extra se facit, necessitati subditum, nec posse plura facere quam quæ facit: 2. Deum esse causam peccati, velle peccatum, & homines ab eo ad peccandum necessitari: 3. cogi ad obediendum Diabolo. Contumeliosus etiam erat in Ecclesiæ ac regnorum principes, docens eos omni sua potestate ac dignitate eo ipso privari, quod peccatum lethale admitterent: ita ut quilibet privatus vitæ melioris posset tunc regiam sedem invadere. Injuriosus quoque erat in sacramenta, scribens eorum vim a ministrorum probitate pendere.

De Eucharistia vero quid senserit, non omni ex parte liquidum est. Quod enim pertinet ad transubstantiationem, eam quidem ab ipso fuisse rejectam inter omnes convenit: quod autem spectat ad præsentiam realem, sententiam suam sic obtegere studuit, & ita ambigue locutus est in utramque partem, ut nihil certo definiri queat: quod utrumque ut omnibus palam fiat, triplici assertione dilucidabimus.

ASSERTIO I.

JOANNES Wiclefus transubstantiationem negavit.

PROBATUR 1. ex ipso Wiclefo, qui *in trialogo lib.*4. *cap.*1. affirmat transubstantiationis doctrinam esse omnium, quæ unquam eruperint, hæreseon pestilentissimam.

PROBATUR 2. ex conciliis, quæ propterea eum damnaverunt. Is enim est primus articulus doctrinæ Wiclefi in concilio Londinensi anno 1382. ac postmodum in Constantiensi anathemate perculsus, quod " Substantia „ panis materialis, & vini maneat post consecrationem in sacramento al- „ taris: " 2. autem " quod accidentia non maneant sine subiecto post „ consecrationem in eodem sacramento, " Vide *tom.* 11. *concil. par.* 2. & *tom.* 12.

PROBATUR 3. ex eorum, qui de Wiclefi erroribus scripserunt, confessione: Windefordo videlicet *tom.*11. *conc. par.* 2. *ar.*1. *& in fasciculo rerum expetendarum*; Knygtono *de eventibus Angliæ lib.*5. *tom.*2. *collectionis scriptorum Anglicanorum*; Trisdem *art.*1. *&* 2. Bertono cancellario academiæ Oxoniensis *ibid.* Thoma Valdensi *tomo* 2. *doctrinalis*.

ASSERTIO II.

MULTA sunt quæ suadere possint Wiclefum ab Ecclesiæ circa præsentiam realem fide non recessisse.

PROBATUR 1. ex ejus verbis. 1. Enim *cap.* 4. *Trialogi*, asserit Christum esse in tota hostia, & in singulis partibus hostiæ. 2. Alibi addit juxta suam de sacramentorum effectu sententiam, se, quoties sacro intererat, adorare Eucharistiam, sed sub conditione, quod esset dubius an sacerdos, qui eam consecrabat, vir foret probus, suoque munere dignus. 3. *Cap.* 7. de Eucharistia affirmabat in sacrificio missæ esse sacramentum sensibile, & corpus Christi cum sanguine, apud Thomam Valdensem *tomo* 2. *cap.* 31. 4. Apud eumdem *cap.* 33. concedebat panem esse corpus Christi. 5. Damnabat Berengarium, quod Eucharistiam diceret esse solam corporis Christi figuram, cum ipsa sit corpus Christi, *ibidem cap.* 19. 6. Ait quod hoc sacramentum sit corpus Christi in forma panis. 7. Tandem eo usque progrediebatur, ut diceret Eucharistiam esse corpus Christi vere, & realiter, apud eumdem, *cap.* 85.

PRO-

Probatur 2. ex doctrina ejus discipulorum, qui magistri mentem ignorare non poterant & sectabantur. Joannes enim de Hastra apud Knygthonum decernit quod sacramentum altaris post consecrationem est verus panis ac verum corpus Christi.

Probatur 3. ex vita ipsa Wiclefi. Quandiu enim vixit, pastorale munus exercuit, missam celebravit, Eucharistiam pro more ægrotis administravit, &c. id genus præstitit, quæ cum sola de præsentia reali fide cohærent. Ergo ab ea non recessit.

ASSERTIO III.

Wiclefus non modo transsubstantiationem sed etiam præsentiam realem corporis Christi in Eucharistia videtur potius impugnasse.

Probatur 1. ex concilio Londinensi anno 1382. in quo confixus est tertius iste Wiclefi articulus. " Item quod Christus non sit in sa„ cramento altaris identice, vere, & realiter in propria præsentia cor„ porali; *tomo* 11. *conc. parte* 2. & apud Knygthonum *lib.* 5. *de even„ tibus Angliæ*.

Probatur 2. ex Willelmo de Berton cancellario universitatis Oxoniensis, qui post accuratam de Wiclefi doctrina quæstionem, in eum sententiam tulit, apud eumdem Knygthonum. Duo enim ejus inter alia pestifera documenta refert: 1. in sacramento altaris substantiam panis materialis & vini post consecrationem realiter remanere: 2. quod execrabilius est auditu, in illo venerabili sacramento non esse corpus Christi & sanguinem æqualiter, nec substantialiter, nec etiam corporaliter, sic quod Christus sit ibi in sua propria præsentia corporali.

Probatur 3. ex altero concilio Londinensi anno 1396. in quo is articulus secundus Wiclefi proscriptus est, " Sicut Joannes fuit figura„ tive Elias & non personaliter; sic panis figurative est corpus Chri„ sti: & absque omni ambiguitate hæc est figurativa locutio, *Hoc est* „ *corpus meum*: sicut illa in verbis Christi, *Joannes ipse est Elias*; " „ *tom.* 11. *conc. par.* 2. & apud Windefordum, qui eum jussu Thomæ „ Arundelliani Cantuariensis archiepiscopi ex professo confutavit.

Probatur 4. auctoritate concilii Constantiensis anno 1415. in quo *sess.* 8. condemnatur hæc tertia propositio Wiclefi: " Christus non est „ in eodem sacramento identice & realiter in propria præsentia corpo„ rali. " Et *sess.* 15. " Hostia consecrata est verus panis naturaliter & „ corpus Christi figulariter.

Probatur 5. ex professione fidei scripta anno 1428. a Joanne Pezibrom. " Profiteor, inquit, quod ante annos viginti magister Joan„ nes Hus cum magistris & doctoribus nationis Bohemiæ ex pleno con„ silio & consensu unanimi, nullo, ut docebant, contradicente, repro„ baverunt, refutaverunt & prohibuerunt publice coram omnibus illos „ articulos Joannis Wiclefi, quod Christus non est in sacramento iden-

„ tice & realiter in propria præsentia . . . . & existentia corporali. " Sic illi, quibus erat notissima Wiclefi mens ac doctrina.

PROBATUR 6. ex omnibus passim Anglis scriptoribus, qui Wiclefi errores commemorarunt. Sic v. g. Walsinghamus in Eduardo III. eos recensens, in capite ponit quod Eucharistia in altari post sacramentum non est verum corpus Christi, sed ejus figura. Windefordus *tom.* 11. *conc. supra*, hunc articulum Wiclefi ex ejus trialogo refert; " Sicut Joannes fuit figurative Elias, & non personaliter; sic panis figurative est cor-
„ pus Christi: & absque omni ambiguitate hæc est figurativa locutio, *Hoc*
„ *est corpus meum*; sicut illa in verbis Christi, Joannes *ipse est Elias*. " Knygtonus *lib.* 5. *de eventibus Angliæ*, refert quemadmodum insigni miraculo quidam fortissimus ac nobilissimus vir ex Wiclefi discipulis conversus fuerit ad catholicam de Eucharistia fidem, " Promisitque se ibi, in-
„ quit, pugnaturum & moriturum in causa illa, quod in sacramento al-
„ taris est verum corpus Christi & non panis materialis solum, ut ipse-
„ met prius credidit. " Sic etiam alibi passim idem Knygtonus, & ex professo Thomas Valdensis *tom.* 2. *cap.* 17.

PROBATUR denique 7. ex ipsis Wiclefi verbis 1. Enim Wiclefus *de sermone Domini in monte cap.* 43. " Hæc hostia, inquit, simul est cor-
„ pus Christi & panis . . . . verus panis naturaliter & corpus Christi
„ figuraliter. 2. Idem *lib.* 4. *Trialogi cap.* 8. apud eumdem, " Si pa-
„ nis, inquit, sit factus identice corpus Christi, & illud corpus est rea-
„ liter ipse Christus. Ergo ille panis est factus realiter ipse Christus. " Sed quæ idololatria foret amplius detestanda, idem iterum inculcat apud eumdem *cap.* 23. 3. *Lib.* 4. *trialogi cap.* 7. apud eumdem, " Quo-
„ modo, inquit, dixit Christus de Baptista, quod *ipse sit Elias*: Apo-
„ stolus de Christo . . . . *petra erat Christus* . . . . Genesis . . . . *septem*
„ *spicæ & septem boves crassæ sunt septem anni*: non dubium quin ista
„ locutio sit figurativa locutio, cum Marci 14. dicat Christus, *Hic est*
„ *sanguis meus* . . . . cum mens catholici non capit quod panis sit cor-
„ pus Christi, nisi intelligendo figurative. " Hoc rursus repetit *cap.* 33.

ASSERTIO IV.

IN Eucharistiæ negotio merus hypocrita fuit Wiclefus, & ut simplicioribus illuderet ingeniis totus & dictis & factis incubuit.

PROBATUR 1. ex ejus dictis. Quæ enim ex ipso retulimus, satis id evincunt. Unde Thomas Valdensis *ibidem*, caput 2. sic inscribit: "
„ Quomodo versutus Wiclefus abscondit suam hæresim sub terminis
„ consuetis Ecclesiæ: quod deinceps sigillatim probat & exequitur.

PROBATUR 2. ex ejus factis. Cum enim ob horrendos errores, ac præsertim de Eucharistia, esset in judicium vocatus, eos coram episcopis ac consiliis statim ejuravit, aut etiam suos unquam fuisse negavit, ut de concilio Londinensi refert Knygtonus *lib.* 5. de Oxoniensi idem.

idem *ibidem* : & reipsa sic plerosque dolis fefellit suis, ut ad vitæ usque finem in pastoralis muneris functionibus exercendis, sacrisque solemni more celebrandis perstiterit ; imo & in catholicæ Ecclesiæ sinu extremum obierint diem, quod ex omnibus historicis constat. Attamen interim hæresim suam non ideo deposuerat : imo in ea obstinatus, eam disseminare non destitit, & mortem oppetiit, ut postea patefactum est. Unde etiam in concilio Constantiensi *sess.* 8. Wiclefus dicitur finaliter decessisse ab hac luce impœnitens. Jam vero ista tam pugnante sentiendi agendique ratione profecto nihil esse potest aut detestabilius aut sacrilegum magis. Quod cum ita sit, quid mirum si Walsinghamus, *in Richardo II. ad annum* 1385. HYPOCRITARUM SPECULUM vocet.

Eant nunc Calviniani & hujus hypocritæ & sacrilegi hominis patrocinio, per nos licet, quantum libuerit, glorientur.

De erroribus decimi-quinti seculi seu de Hussitis.

WICLEFO in Ecclesia divexanda successerunt initio XV. seculi Joannes Hus & Hieronymus de Praga, ambo Bohemi, ambo in urbe Constantiensi, dum ibi synodus generalis haberetur, propter impietatem vivi combusti.

Utrosque velut carissimos parentes hactenus agnoverant & exosculati fuerant Calviniani, cum in aliis capitibus, tum in Eucharistiæ negotio ; arbitrabantur nos etiam hac in parte fuisse concordes.

Sed in eo graviter hallucinabantur, & hic error ita manifestus est, ut ipsi etiam paulo doctiores Calviniani, cæteris nequicquam frendentibus, eum hodie non diffiteantur.

A S S E R T I O I.

JOANNES Hus non modo circa præsentiam realem corporis Christi in Eucharistia, sed etiam circa transsubstantiationem idem cum catholica Ecclesia semper sensit.

PROBATUR 1. ex operibus, quæ liber in Bohemia conscripsit, antequam Constantiam proficisceretur.

1. Enim *in apologia ad summum pontificem* ab ipso scripta anno 1411. *tomo* 1. criminationes & calumnias diluens adversariorum, " Falso detulerunt, inquit, & deferunt, quod docuerimus populum, quod in " sacramento altaris remanet substantia panis materialis ; falso, quod " quando hostia elevatur, tunc est corpus Christi ; & quando ponitur, " tunc non est.

2. *In libro de sanguine Christi* profitetur in sacramento venerabili esse vere & realiter corpus & sanguinem Christi. *Pag.* 15. " sanguinem " Christi glorificatum esse in corpore ejus in dextera Patris sedentis &

„ in sacramento venerabili. " *Ibidem* " Sanguinem Christi esse alicubi „ sacramentaliter, ubi non est localiter, licet sit alibi localiter, " *Ibidem pag.* 161. " Nos, inquit, adoramus corpus Christi & sanguinem „ in dextera Dei Patris existentem, & in venerabili sacramento, quod „ sacerdotes conficiunt, absconsum: & sic scimus quid adoramus.

3. *In tract. de corpore Christi*, relata Berengarii doctrina, *pag.* 164. " Ecce, inquit, magna hæresis fuit Berengarii, ... quia scilicet tenuit, quod panis, qui in altari ponitur, ante consecrationem, est „ panis non consecratus, sed post consecrationem est solum panis consecratus, & non verum corpus Christi.

4. *In libello de communione sub utraque specie* ab eo, paulo antequam in carcerem conjiceretur, in lucem emisso, *pag.* 84. " Corpus & sanguis Christi, inquit, est sub utraque specie sacramentali.

Probatur 2. ex aliis ejusdem testimoniis, quæ Constantiæ morti proximus edidit, ut appareat ipsum in eadem semper doctrina perseverasse.

1. Enim in opusculo *de corpore & sanguine Domini*, *pag.* 39. " De „ eo quod est credendum de hoc venerabili sacramento, dico, inquit, „ quod .... quidquid tenet sancta Romana Ecclesia de hoc sacramento venerabili, hoc firmiter est credendum .... quod per ministerium „ sacerdotum est in sacramento venerabili verum corpus Christi, quod „ conceptum est & natum ex Maria virgine, ... quod passum est „ in cruce, quod .... sedet ad dexteram Dei Patris .... Istam sententiam ante sacerdotium meum tenui, & a principio sacerdotii mei „ prædicavi & scripsi, prout patet in libello *de corpore Christi*, quem „ scripsi primo anno prædicationis meæ, qui fuit, ut æstimo, annus „ Domini 1401. " *Ibidem cap.* 3. " Dixi ulterius *supra*, inquit, quod „ Christus virtute propria, & verbis propriis transsubstantiat panem in „ corpus suum, & vinum in sanguinem.

2. Cum plenis comitiis in synodo Constantiensi accusaretur, quod panem in Eucharistia post consecrationem remanere dixisset, " Ad hoc, „ inquit actorum ejus condemnationis auctor *pag.* 12. respondit Joannes Hus, sancte adjurans se id nunquam dixisse. Instante autem quodam Anglo, Joannes Hus, Quanquam panis, inquit, non annihilatur, tamen singulariter ibi desinit esse per transsubstantiationem in „ corpus Christi: sic addens, sentio vere realiter & totaliter esse corpus Christi in sacramento altaris, quod natum est ex Maria virgine, passum, mortuum, & quod resurrexit, & sedet ad dexteram Dei „ Patris omnipotentis.

Probatur 3. ipsorum jam Calvinianorum confessione. Non solum enim id non negant, sed etiam erudite demonstrant Laroquanus major *in historia Eucharistica*; Laroquanus minor *in nova Varillasii censura*, & Banagius *lib.* 24. *cap.* 11.

ASSERTIO II.

Hieronymum de Praga eamdem de Eucharistia fidem habuit.

Probatur 1. ex ejus cum Joanne Hus arctissima & perpetua in omnibus consensione.

Probatur 2. diserta ipsius paulo ante mortem confessione. Ut enim perhibet, qui historiam mortis ejus conscripsit, *tom.* 2. *operum*, " „ Hieronymus Pragensis rogatus a quodam, ecquid de sacramento al- „ taris sentiret; Ante consecrationem, inquit, est panis & vinum; „ post consecrationem verum corpus & sanguis Christi .... Ecce au- „ tem alius surgens ait, Hieronyme, maximus sane rumor est de te, „ quod in ea sis opinione, ut credas panem esse in altari: ille festive „ respondit, Credo equidem panem apud pistorem esse, non in sacra- „ mento altaris.

Probatur 3. testimonio Poggii Florentini *in epistola ad Aretinum, in fasciculo rerum expetendarum*, qui eadem verba refert: " Cum roga- „ retur, inquit, quid sentiret de sacramento altaris, inquit. Antea pa- „ nem & postea verum Christi corpus, & reliqua secundum fidem: „ tum, Quidam ajunt te dixisse post consecrationem remanere panem: „ tum ille, Apud pistorem, inquit panis remanet.

ASSERTIO III.

Bohemi utriusque asseclæ eadem erant fide imbuti.

Probatur 1. ex testimonio universitatis Pragensis de doctrina & vita Joannis Hus anno 1416. *tomo* 1. *pag.* 80. quo declarat se eum non mirari solum, sed etiam sectari: " Hoc unum optantes animo, in- „ quit, ut sicut nobis factus est justum perspicuumque exemplar in om- „ nibus, ita fiat omnibus Christi fidelibus testis catholicæ veritatis. " Hinc enim consequens est universitatem illam in ea, quam Joannes Hus de Eucharistia docuerat, fide esse versatam.

Probatur 2. ex ipsorum fidei professione communitatis Pragensis post mortem Joannis Hus & Hieronymi de Praga, inter Joannis Hus epistolas, *tomo* 1. *pag.* 82. Ibi enim profitentur, quod " Filius Dei ... „ in extremæ cœnæ discubitu corpus & sanguinem suum panis & vini „ speciebus stupende velatum discipulis, qui tunc totam repræsentabant „ Ecclesiam, tradidit ad manducandum & bibendum. " Addunt *ibidem*, corpus & sanguinem Christi ab impiis ad judicium sumi, & concedunt utrumque sub unaquaque specie veraciter contineri.

Atque hæc sigillatim expendimus, nec sine operæ pretio: quamquam enim hujusmodi feces, ex variis seculis collectæ, dignæ sint, quæ in Calvinianorum sinum confluant, quasi in communem omnium hæreseon sentinam, hanc tamen eorum societatem, quam ambitiosius ja-

 ctant,

ctant, diſſolvere placuit : 1. quia id veritas ſuadebat : 2. ut etiam deinceps innoteſceret, ignis, quem Berengarius commoverat, ne ſcintillam quidem in univerſo orbe ſuperfuiſſe, quam exciperent ac exſuſcitarent Calviniani : nullos, ne perditos quidem homines, uſpiam extitiſſe, quibuſcum communicare potuerint : eos proinde ex ſe natos eſſe, & ab omni, quæ ſub cœlo eſſet Eccleſia deſciviſſe : quod eſt ad multa alia controverſiæ capita peropportunum.

De erroribus ſeculi XVI.

Novum & omnium acerbiſſimum in Euchariſtiam bellum ea ætate exortum eſt auctoribus Carloſtadio, Zuinglio, Luthero, Bucero, Calvino & Socino.

De Carloſtadio.

Andreas Carloſtadius archidiaconus Vittembergenſis ex Lutheri diſcipulo evaſit in primum auctorem Sacramentariorum. Cum enim animadvertiſſet magiſtrum præſentiæ reali corporis Chriſti in Euchariſtia iniquiorem, ita ut niſi obſtitiſſent Scripturæ verba clariora, eam fuiſſet impugnaturus, quo magis incommodaret papatui, ut de ſe confitetur ipſe Lutherus *in Epiſtola ad Argentinenſes*, cumque eumdem videret Carloſtadius novo figmento panem ſimul cum corpore Chriſti in Euchariſtia inſulſius componere, & abdicare inſuper convenientem ac debitam adorationem, dubitare denique an ſimul cum corpore Chriſti in eo ſacramento foret ejus anima ac divinitas, his actus in præceps, pro ingenii indole archidiaconus prædicare cœpit Chriſtum non eſſe in Euchariſtia, niſi ut in figura ac ſigno. Hanc autem doctrinam, quam in ſchola Lutheri excogitaverat, ejus animi propenſionem ac doctrinæ elementa ſecutus, libro poſtmodum edito vulgavit anno 1524. Quo autem animo id præſtiterit, incertum eſt. Eo certe adductus non eſt ut gratificaretur Luthero, cum quo graves tum inimicitias exercebat; ſed ejus odio potius, & ut par magiſtro nomen ſibi apud homines faceret. Sacrum hoc ſuper Euchariſtia bellum novi illi Apoſtoli in caupona & inter pocula ſibi mutuo indixerant : quod Carloſtadius tanta inſcitia tantoque dedecore geſſit, ut jam vix ullo loco inter Sacramentarios habeatur. Adde quod ſententiam poſtea revocaverit, profeſſus ſe diſputandi tantum gratia de hoc argumento ſcripſiſſe.

De Zuinglio.

Hulricus Zuinglius, Tigurinus paſtor, eodem fere quo Carloſtadius tempore librum edidit *de vera & falſa religione*, in quo oſtendere conatur Euchariſtiam non verum Chriſti corpus, ſed illius corporis figuram ac ſignum exiſtere.

Quo-

Quoniam vero is est præcipue hæreseos sacramentariæ dux, & princeps, superfluum non fuerit inquirere quo eam modo efformaverit.

Primo itaque asserit *in responsione ad Lutherum*, se multis, antequam librum ederet, annis cognovisse veritatem; sed tempori se, dum opportunam occasionem expectaret, servire voluisse: quæ sacrilega religionis dissimulatio fuit, in hoc novæ religionis antistite non prætermittenda.

2. *Epistola ad Pomeranum* testatur, cum torqueretur valde evangelii verbis simplicibus & apertis, neque satis sciret qua ratione ab iis sese expediret, clavem *figuræ*, quasi felicem margaritam, *in epistola cujusdam Batavi* commodum invenisse. Cum autem necdum ullum sibi occurreret in tota Scriptura similis locutionis exemplum, narrat *in subsidio de Eucharistia* & apud Hospinianum sibi super ea re æstuanti in somnis astitisse genium, qui ei opportune demonstraverit hunc Exodi locum de agno Paschali, *Est enim phase Domini*. Cæterum albusne an ater ille genius fuerit, se non posse dicere.

3. Statuit, cum Christus dixit in ultima cœna, *Hoc est corpus meum*, verbum *est* idem sonare quod *significat*.

4. *In confessione ad Carolum V. imperatorem*, inde colligit Christum in Eucharistia non esse, nisi ut in signo aut per fidei contemplationem.

5. Eam tamen verum esse novæ legis sacramentum *ibidem* confitetur.

6. Sacramenta esse signacula justitiæ prius acceptæ; non vero signa esse, quæ gratiam vi sua conferant, contendit in Libro *de vera religione*, *in eadem confessione*, *in expositione fidei*, *in epistola ad principes Germanos*.

7. *In epistola ad Strutionem*, *& in responso ad sermonem Lutheri*, addit nullam Eucharistiæ addictam esse gratiæ peculiarem promissionem.

8. Denique *apud Hospinianum* pronunciat in Eucharistia nihil esse quod humanæ mentis captum superet. Pronum enim esse & facile intellectu, quod panis factus sit figura corporis immolati, & vinum sanguinis fusi; quod signis nomina dentur rerum significatarum; quod denique Spiritus sanctus remissionem peccatorum eo sacramento obsignet iis, qui ad illud rite accesserint. In eo autem totum mysterium collocari.

Atque is est primus status hæreseos Sacramentariorum, in quo Eucharistia merum ac nudum per se signum habebatur corporis, & sanguinis Christi, sine ulla vi sibi propria, & peculiari conferendæ gratiæ.

Ad Zuinglium sese adjunxit OEcolampadius ex monacho Birgitano Ecclesiæ desertor, & apud Basileenses primarius pseudoevangelii minister,

ſter, tantæ in dicendo ſuavitatis, Eraſmo teſte, ut electos ipſos, ſi fieri potuiſſet, in errorem induceret. Is pacis cauſa inter novatores inſtituendæ ſub vitæ finem non nihil, verbo ſaltem tenus, ad Lutheranos inflexit.

De Luthero.

INTER eos adverſus Eccleſiam ac ſpeciatim adverſus ſacramentum Euchariſtiæ, primus vexillum erexit Martinus Lutherus, patria Germanus, vitæ profeſſione monachus Auguſtinianus.

Et quidem ille cum omnia fere catholicæ fidei capita convelleret, nec ignoraret quam cara, pretioſa ac venerabilis eſſet omnibus catholicis Euchariſtia, eo ſponte totus ſuo in nos furore, & odio ferebatur, ut non tranſubſtantiationem modo, verum etiam realem præſentiam everteret, quo magis incommodaret papatui; quod non diſſimulat ipſe *in epiſtola ad Argentinenſes:* ſed tanta ipſi viſa eſt verborum Chriſti vis ac perſpicuitas, ut præſentiam realem vel invitus retinere coactus fuerit.

Itaque ſolam impugnare ſtatuit tranſubſtantiationem, docuitque panem cum corpore Chriſti in Euchariſtia poſt conſecrationem ſupereſſe adeoque corpus Chriſti tunc, *in*, *cum*, & *ſub pane* contineri, quod *conſubſtantionem* vocat.

In dubium autem aliquando revocavit, an cum corpore Chriſti ſimul in eo plane foret ejus anima ac divinitas; atque propterea an ibi Chriſti corpus adorari poſſet, aut oporteret: ſed utrumque tamen poſtea admiſit, & ad mortem uſque defendit.

Sed ejus diſcipuli temporis lapſu in pleriſque a magiſtri ſui doctrina receſſerunt.

De Bucero.

BUCERUS primum Dominicanus fuit, ac deinde poſt ſuam ab Eccleſia defectionem paſtor Argentinenſium: timens autem civibus ſuis a Carolo V. poſt captum Franciſcum I. formidandam potentiam adepto, & ut ferebatur, omnibus avitæ religionis transfugis bellum jam jam illaturo, votiſque obſecundans Philippi Haſſiæ Lantgravii, qui ut partes imperatori adverſas quarum dux erat, corroboraret, in unam ſocietatem conjungere peroptabat univerſos, qui ab Eccleſia Romana deſciviſſent, omnem cum fido Capitone vitam in id impendit, ut Sacramentarios inter ac Lutheranos certum dogmatum, & armorum fœdus inſtitueret, pluribus ac variis fidei profeſſionibus captioſis, fallacibus, ſuſpenſis, aliter intellectis, aliter ſonantibus, utroſque ludificatus, apud Helvetios Sacramentariorum principes mentem ac ſententiam aperiens; apud Lutheranos autem potentiores, quorum ambiebat patro-

patrocinium, ita eorum loquendi rationem exprimens, ut ab iis distare nullatenus videretur.

1. Enim anno 1529. in comitiis Augustanis, ubi Lutherani celebrem suam fidei professionem ediderunt, ac imperatori exhibuerunt, Bucerus ad eos accedere se fingens, Argentinensem formulam seorsim proposuit, in qua *artic.* 18. profitebatur Christum in Eucharistia dare fidelibus verum suum corpus, verum suum sanguinem, vere ab iis manducandum, & bibendum in cibum, potumque animarum: cui formulæ expositionem adjecit, in qua Capharnaiticam manducationem solum damnans admittit simul cum pane dari verum corpus Christi, apud Hospinianum, *parte* 2. *fol.* 101.

2. Post ista autem comitia, hinc catholicis in Helvetia plurimas adversus hæreticos victorias reportantibus, occiso etiam in certamine Zuinglio, illinc bellicis Caroli apparatibus longe magis quam ante exterritus, eo processit, ut primo prædicaret nullam esse inter Lutheranos ac Sacramentarios, nisi de vocabulis controversiam, ut refert Hospinianus *ibid. pag.* 111. 127. secundo scribere auderet ad ducem Brunsvicensem, & Luneburgensem se cum Zuinglio, & OEcolampadio sentire verum corpus ac sanguinem Christi in cœna vere adesse, ibique una cum verbis Domini ac sacramentis exhiberi accedentibus verum Christi corpus in animæ cibum, *pag.* 122. tertio respondens Aldorfio Lutherano ad clarius exprimendam suam de præsentia reali cum Luthero consensionem „ diceret in hunc modum, *pag.* 136. " Quidquid Lutherus per *essen-* „ *tialiter*, *realiter*, vel etiam *corporaliter* dixit, hoc totum volumus per „ *vere* exprimere "; Melanchthoni autem confiteretur *pag.* 137. " cor- „ pus Christi vere & substantialiter a nobis accipi, cum sacramento „ utimur.

3. Denique anno 1536. concordiæ formulæ Wittembergensi a Luthero suppeditatæ subscripsit, ut subscriberent plures Sacramentarii: in illa autem profitebatur, 1. juxta verba Irenæi constare Eucharistiam duabus rebus, terrena & cœlesti: itaque cum pane & vino vere, & substantialiter exhiberi & sumi corpus & sanguinem Christi: 2. credere se etiam per Ecclesiæ ministrum corpus & sanguinem Christi omnibus sumentibus offerri, neque tantum sumi a dignis corde & ore ad salutem; sed etiam ab indignis ore ad judicium; ab indignis, inquam, vere accipi, etsi nullum aut pœnitentiæ aut fidei sensum illi habeant. Vide Hospinianum *ad annum* 1536. *pag.* 1442. Quocirca sic eos allo- „ cutus est cum Luthero: " Si creditis & docetis in sacra cœna ve- „ rum corpus & verum sanguinem Domini exhiberi, ... dari & sumi, „ inter nos convenit, vosque agnoscimus & recipimus ut carissimos „ nostros fratres in Domino.

Is est secundus opinionis Sacramentariæ status, quem timor, adulatio ac fraus expresserunt; Sacramentariis probatus, quamdiu necessitas suasit, postmodum iisdem exosus, si Argentinensem ac fœderatas civi-

tates

tates exceperis, quæ Bucerianarum fidei formularum usu ac consuetudine sensim sine sensu Sacramentariorum dogmata exuentes, ad Lutheri sententiam tandem se inflexerunt. Tanta vis est in vocibus evangelicis & vulgo usurpatis ad præsentiam realem astruendam!

De Calvino.

JOANNES Calvinus natione Gallus, Buceri auditor, cum perspexisset 1. orbem Christianum dogmati de præsentia reali corporis Christi in Eucharistia innutritum & assuefactum, a quo non nisi ægre divelli posset: 2. Scripturam ac Patres antiquos multa passim habere in eum sensum clarissima, ingensque in hoc sacramento divinæ potentiæ miraculum agnoscere: 3. eos, qui ab Ecclesia veteri desciverant, a se invicem esse divisos: ac Zuinglium quidem hinc ab Eucharistia corpus Christi plane excludere; illinc Lutherum in pane corpus idem includere; Bucerum denique magistrum suum Zuinglii sententiam componere cum apertissimis Lutheranorum locutionibus, iisque nulla fere adjuncta explicatione emollitis; peculiarem sibi viam ineundam esse censuit, qua singulis satisfaciens, cunctos ad se alliceret.

Itaque post expensas cæterorum opiniones, ex iisque nonnulla decerpens aut relinquens, prout commodum sibi videbatur, novam ipse ex omnibus conflavit, quæ reliquas partim concilians, partim castigans, ad universas autem pro necessitate flexibilis, mirum in modum plerisque in regionibus, sed in Gallia præsertim, invaluit.

Cum Zuinglio igitur sensit 1. hæc Christi verba, *Hoc est corpus meum*, de figura ac signo intelligenda esse, *lib. 4. Institut. cap. 17. num.* 1. " Eos proinde qui in solemnibus cœnæ verbis, *hoc est corpus* „ *meum*, *hic est sanguis meus*, præcise litteralem .... sensum urgent, „ ejus tanquam præposteros interpretes a se repudiari: se enim extra „ controversiam ponere, figurate accipienda esse; ut panis & vinum di- „ cantur id quod significant: neque vero novum aut insolens videri „ debere, ut per metonymiam ad signum transferatur rei significatæ „ nomen, cum passim in Scripturis ejusmodi locutiones occurrant: " ut ipse loquitur in concordia cum Tigurinis inita anno 1549. apud Hospinianum *fol.* 212.

2. Quod carnis suæ esu ac sanguinis sui potione, quæ hic figuran- „ tur, Christus animas nostras per fidem, Spiritus sancti virtute pa- „ scat: id non proinde accipiendum, quasi aliqua fieret substantiæ vel „ commixtio vel transfusio; sed quoniam ex carne semel in sacrifi- „ cium oblata & sanguine in expiationem fuso vitam hauriamus, *ibidem*.

3. Christum, quatenus homo est, non alibi quam in cœlo, nec ali- „ ter quam mente ac fidei intelligentia esse quærendum: itaque Chri- „ stum a nobis tanto locorum intervallo distare, quantum cœlum abest a ter-

a terra, *ibidem*; quod & Theodorus Beza ingenue confeſſus eſt in colloquio Piſſiacenſi, ut ipſe refert *in hiſtoria eccleſiaſtica*, *lib.* 4.

4. Inter opiniones rejectitias collocat, " Quod corpus Chriſti rea„ liter & ſubſtantialiter adeſſe cenſeatur in cœna. " *in* 2. *defenſ. contra Weſtphalum pag.* 776. *inter opuſcula*.

Verum ut a Luthero & catholicis non omnino recedere videretur, aſſerit nihilominus Calvinus, idque multis modis, in Euchariſtia veram corporis Chriſti ſubſtantiam nobis dari. 1. Enim *in confeſſione ad* „ *Bucerum* apud Hoſpinianum *p.* 171. ait " Carnem Chriſti vere no„ bis eſſe cibum, & ſanguinem ejus vere potum, ... ita ut nos illa „ carnis ac ſanguinis Domini ſubſtantia vere ad immortalitatem paſcat, „ & eorum participatione vivificet. " 2. *In brevi admonitione de cœna Domini*, *inter epiſtolas pag.* 595. " Nos recipere illic corpus ac ſan„ guinem Domini, non phantaſia, aut apprehenſione mentis, ſed rei„ pſa ita nobis offerri; ut vera ſubſtantialique unitate cum ipſo co„ hæreamus. " 3. *In optima concordiæ ratione*, " Ad nos penetrare ex „ carne Chriſti, quod ...... non incommode abſtractum aliquod a ſub„ ſtantia dici poſſet. " 4. *In* 2. *defenſione adverſus Weſtphalum* in eo a nobis diſtare veteres patriarchas, " Quod ſubſtantialis hodie mandu„ catio eſt, quæ tunc eſſe non potuit, ... ut vitam ex ejus ſubſtan„ tia hauriamus. " 5. *Lib*, 4. *inſtit. cap.* 17. *num.* 11. " Non intelligen„ tia duntaxat aut imaginatione rem tranſigi, ſed participes ſubſtantiæ „ ejus nos fieri. " 6. *In dilucida expoſitione*, ita ibi Chriſtum " Sub„ ſtantialiter exhiberi, quomodo in baptiſmo Chriſti vere & eſſentiali„ ter affuit Spiritus, ... vere ſub ſymbolo, aut externa ſpecie colum„ bæ apparuit. " 7. *Inſtit. l.* 4. *c.* 17. *n.* 10. " Rem ſignatam (hoc „ eſt Chriſti corpus) offerri & exhiberi omnibus, qui ad illud ſpiri„ tuale epulum accumbunt, (etiam indignis, ab iiſque percipi;) quam„ quam a fidelibus ſolis cum fructu percipitur. " *Num.* 33. Non ſe„ cus atque pluvia ſuper duram rupem decidit. " 8. *In ultima admoni*„ *tione ad Weſtphalum*, ſe, " An comedatur in cœna Chriſti corpus, „ in dubium nunquam vocaſſe: tantum videndum eſſe quomodo. " Hinc „ Calviniani anno 1571. in ſynodo Ruppellenſi, agentes adverſus eos, qui non recipiunt *ſubſtantiæ* vocabulum, & adverſus eos qui a cœna ſubſtantiam ipſam carnis Chriſti excludebant, " Damnamus, inquiunt, „ eos qui non recipiunt *ſubſtantiæ* vocabulum. " Vide & *catechiſmum Genevenſem Dominica* 51. &c. perpetuo eamdem Chriſti ſubſtantiam cœnæ ſacræ ingerentem.

Addit Calvinus arcanum in eo miraculum eſſe quod " & naturæ fi„ nes & humani ingenii captum ſuperet, " ut diſerte habet *in confeſſione ad Franciſcum II. Gallorum regem*, apud Hoſpinianum *pag.* 265. *ad* „ *annum* 1559. Sic *inſtit. lib.* 4. *cap.* 17. *num.* 32. " fatetur ſublimius „ eſſe arcanum, quam ut ingenio comprehendi aut verbis enarrari queat.

Quis

Quis vero tria hæc Calvini doctrinæ capita conciliet? Si enim Christi corpus cœli ambitu continetur, quomodo illud vere ac ſubſtantialiter in Euchariſtia comedimus? ſi fide illud tantum percipimus; quodnam ibi eſt arcanum myſterium, quod mens aſſequi non poſſit? Hæc tamen conjungit Calvinus, negatque ſecum invicem pugnare aut quidquam habere difficultatis. Interrogatus autem quo tandem modo id fieri queat, frigide reſpondet *in inſtit. lib.* 4. *cap.* 17. *in catechiſmo ad Dominicam* 51. *in opuſculis pag.* 864. *in confeſſ. ad Bucerum pag.* 171. apud Hoſpinianum, " Nullis finibus limitatam eſſe Chiſti Spiritus efficaciam, quin vere copulet & in unum colligere poſſit, quæ locorum „ ſpatiis ſunt disjuncta.

Hæc autem omnia ab eo conficta ſunt, ut ingentem, quam facit in cœna, inanitatem, verbis ſaltem magnificentioribus ſuppleret, ſeque ad omnes poſſet partes convertere, pro eo ac res exigeret.

Certe hujus flexibilitatis ope Calvinus Auguſtanam Lutheranorum confeſſionem probavit anno 1529. ut patet *ex ejus epiſtola ad illuſtriſſimum quemdam Germaniæ principem*, *pag.* 324.

Anno 1536. juravit & ipſe quoque in concordiam a Bucero cum Lutheranis initam Wittembergæ: de quo Hoſpinianus.

Anno 1549. pari facilitate ſocietatem pepigit cum Tigurinis, qui nullum in Euchariſtia peculiare miraculum agnoſcebant, nec dici ſuſtinebant in ea Chriſti ſubſtantiam accipi aut Chriſtum ſubſtantialiter comedi, *ibidem*, apud Hoſpinianum.

Anno 1561. in colloquio Piſſiacenſi tanta arte orthodoxam fidem ſimularunt Calviniani, ut catholicis theologis fere impoſuerint, quod & factum eſſe contendit Beza *in hiſt. Eccleſ. lib.* 4. *pag.* 608.

Anno 1570 in ſynodo Sandomirienſi Calviniani, qui in Polonia erant, in unam fidei formulam cum Lutheranis & Valdenſibus convenerunt: quod refert idem Hoſpinianus.

Anno 1571. in ſynodo Rupellenſi damnaverunt eos, qui non recipiebant *ſubſtantiæ* vocabulum, utpote quod in Scripturis expreſſum fundamentum haberet.

Anno autem 1572. cum accepiſſent id ſummopere diſplicere Helvetiis, illud idem in eorum gratiam refixerunt.

Eodem beneficio Calvinus modo ad cœlum uſque extollebat Lutherum, quaſi purioris fidei inſtauratorem, Zuinglium, tanquam interpretem Dei, Bucerum ut ſanctæ memoriæ virum; modo eoſdem flagellat audacius: ac Lutherum, ut qui modum exceſſerit in tradendo Euchariſtiæ myſterio, Zuinglium & Oecolampadium, ut qui jejune nimis de „ eo loquentes, " veram communionem obſcuraverint, " quam nobis in hoc ſacramento Dominus in corpore & ſanguine ſuo exhibet. Ita de iis ſcribit in libello *de cœna Domini pag.* 10. Pari confidentia Bucerum „ arguit *in quadam epiſtola*, " ut hominem perplexum, obſcurum, fle- „ xiloquum, atque .... tortuoſum. " *In alia* autem *ad Farellum* affirmat.

" Phi-

" Philippum (Melancthonem) & Bucerum formulas de transsubstan-
" tiatione composuisse ambiguas & fucosas, ut tentarent an adver-
" sariis catholicis quibus illudere volebant, possent satisfacere nihil
" dando.

Tertius is est hæreseos sacramentariæ status ex Zuingliniana opinione & Buceri artibus ex æquo fere mixtus.

De Socino.

ULTIMO loco numerantur Sociniani, & qui ab iis non abludunt inter Calvinianos Arminiani dicti. Eorum dux & auctor est Lælius Socinus, qui Calviniana & Zuingliana doctrina imbutus, eamque pressius urgens, ab iis longe recessit.

Solemne est hujusmodi hæreticis Calvinianorum principia sequi. In eo autem vulgo ab iis discrepant, quod ea Calviniani intra certos limites constringant; illi autem contra, quantum possunt, ea extendant & amplificent.

1. Itaque Sociniani cum a Calvinianis didicissent nihil in fidei dogma suscipi oportere quod Scripturæ aperte ac necessario non demonstrarent credendum, id ipsi quoque instar firmissimi cujusdam dogmatum suorum fundamenti posuerunt.

2. Cum viderent Calvinianos hæc Christi verba, *Hoc est corpus meum*, ad figuram detorquere, ac similium locutionum ex Scripturis multa exempla afferre, illud quasi commodum maxime ac rationi consentaneum amplexi sunt.

3. Cum iidem perspexissent in Scripturis duplicem Eucharistiæ finem assignari, in evangeliis quidem a Christo commemorationem mortis suæ, his verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*; a Paulo autem significationem Christianorum inter se societatis, in eo omnem Eucharistiæ ritus rationem collocarunt, quod figura ac commemoratio & prædicatio esset tum mortis Christi tum fidelium inter se conjunctionis.

4. Cum animadverterent verba Christi, quæ primo allegantur in Eucharistia tradenda nullam gratiæ promissionem, sed rei tantum institutionem ac præceptum continere; hæc autem Pauli verba, quæ aliqui obtendunt, *Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est?* non satis clara esse, ut probent quamdam inesse vim gratiæ conferendæ Eucharistiæ sacramento; audirent tamen eosdem Calvinianos mirifica quædam cœnæ ascribere, v. g. quod ea non merum ac nudum sit signum, sed efficaciæ singularis; quod in ea substantialiter manducetur corpus Christi; quod in ea sit arcanum mysterium, cui humana mens par esse non queat; quod ex carne Christi abstractum e cœlo ad nos fluat; quod hoc sacramentum obsignet fidem & immensa nobis dona largiatur; quod Spiritus sanctus ea copulet, quæ infinito locorum inter-

ter-

tervallo disjuncta sunt: hæc, inquam, & similia cum audirent a Calvinianis prædicari, nec quidquam iis solidi inesse crederent, cuncta ut inania & phalerata commenta contempserunt.

Quapropter suam de Eucharistia fidem anno 1593. in synodo Lublinensi sic expresserunt *art.* 8. " Finis vel scopus cœnæ Dominicæ est
„ commemoratio Christi, & annunciatio mortis ejus, id est celebra-
„ tio, quæ proprie cum gloria Domini Jesu Christi & gratiarum actio-
„ ne conjuncta est, cum nostra (dicimus) gratiarum actione, Domi-
„ no Jesu Christo, quod is corpus suum pro nobis crucifigendum &
„ sanguinem suum effundendum tradiderit, quod per panis fractionem
„ & vini in calicem fusionem repræsentatur & ob oculos ponitur. Quod
„ vero ad manducationem corporis Christi attinet, & sorbitionem san-
„ guinis ipsius, nullo pacto in ipsa cœna Dominica magis manduca-
„ mus corpus Christi & sanguinem ejus bibimus, nec corporaliter,
„ nec spiritualiter, quam alibi. Eadem etiam ratione quod fides nostra
„ per cœnam Dominicam augeri & confirmari debeat, nullibi scriptum
„ extare asseveramus. Quamvis si id fortasse accidat vel eveniat,
„ non ex ipsa cœna Domini, neque ex rebus sine quibus ipsa cele-
„ brari nequit; sed ex aliis accidentibus omnino provenire seu profi-
„ cisci affirmamus.

Legi possunt Socinus *de recto usu cœnæ dominicæ;* Smalcius *de sacramentis*; Wolkelius *de vera religione lib.* 4. inanes Calvinianorum conatus irrident & facillime retundunt.

Atque is est postremus Sacramentariæ impietatis status, catholicis nullo negotio expugnabilis, inexpugnabilis autem omnino Calvinianis a quibus tamen ille profluit.

Ex his quæ hactenus disputata sunt, patet 1. Neminem ante nonum seculum ex professo & instituto peculiari præsentiam realem corporis Christi in Eucharistia impugnasse: 2. Neminem pariter a nono seculo ad undecimum in eo errore hæsisse: 3. ab undecimo seculo ad decimum sextum nullam fuisse etiam inter hæreticos Ecclesiam, cum qua vel in hoc capite cæterisve omnibus Sacramentarii recentiores consentiant: 4. Sacramentarios eosdem quo intestino bello se invicem conficiunt, hoc ipso novitatum suarum vanitatem manifeste prodere.

SECTIO II.

De veritate præsentiæ realis corporis & sanguinis Christi in Eucharistia.

DUPLEX esse potest via ad demonstrandam adversus hæreticos fidei nostræ veritatem: altera præscriptionis, altera discussionis.

Præscriptio stricte accepta est exceptio nascens ex aliquo vitio actoris, unde ei non competit actio: latius autem sumpta, est generalis

quæ-

quædam ac brevis defensio, qua adversarii submoventur, & ejus frustrantur impetus. Priore sensu potissimum apud jurisconsultos intelligitur; utroque autem apud theologos: nos vero hic posteriore sensu eam usurpabimus.

Discussio est examen rei, quæ in controversiam adducitur ex omnibus sigillatim momentis, quæ utrimque afferri possunt.

Utraque via ad demonstrandam veritatem realis præsentiæ corporis Christi in Eucharistia utemur.

§. I.

In quo veritas præsentiæ realis corporis & sanguinis Christi probatur via præscriptionis.

NEMO est qui dubitet inter Christianos eam esse veram de Eucharistia fidem a Christo traditam apostolis, & ab apostolis commendatam Ecclesiæ, quæ semper & ubique apud omnes christiani nominis gentes viguit. Proinde si undecimo seculo, cum erupit Berengarius, & decimo sexto seculo, cum exorti sunt Lutherani & Calviniani, doctrina nostra apud cunctas ecclesias obtinebat, ea certe non alia ab apostolica est, modo nulla ab apostolorum ævo ad illa usque tempora mutatio intercesserit. Atqui res ita est. Ergo.

Atque hoc illud est argumentum ex impossibilitate mutationis ductum, insigne profecto, & invictum, quod jam pridem a nostris propositum, his autem superioribus annis amplificatum, munitum, & illustratum sic Calvinianos implicuit, ut ex eo expedire se nequiverint. Quod ut distinctius proponatur, sit

ASSERTIO.

VERITAS realis præsentiæ corporis & sanguinis Christi in Eucharistia ineluctabiliter conficitur ex impossibilitate mutationis in fide ab apostolorum ævo ad nostram usque ætatem.

PROBATUR. Undecimo seculo, quo emersit Berengarius, omnis Ecclesia Græca simul & Latina in eo dogmate, quod jam profitemur, consentiebat. Insuper in eodem quoque dogmate consentiebat, quo tempore prodierunt in orbem Calvinus & Lutherus, & hac etiamnum ætate consentit.

Atqui fieri non potuit ut ulla mutatio sive ante Berengarium, seu a Berengario ad nos in eo acciderit. Ergo.

MAJOR habet duas partes: prima est, quod omnes ecclesiæ Orientis, & Occidentis in præsentia reali consentirent tempore Berengarii: altera, quod etiamnum consentiant.

MINOR etiam duas habet partes: primam, quod ante Berengarium

nulla mutatio in illud ecclesiarum dogma inducta sit: alteram, quod nec a Berengario ad nos induci potuerit.

Majorem ac minorem de tempore Berengarii primo probabimus; deinde de nostro.

Probatio majoris de ætate Berengarii.

Duplici via demonstrari potest hæc omnium ecclesiarum ætate Berengarii consensio: 1. generatim: 2. speciatim.

1. Quidem generatim in hunc modum. Quoties de facto aliquo disputatur, illud est pro vero ac indubitato agnoscendum quod unanimi consensu traditur ab omnibus coætaneis scriptoribus, quos nemo dicat aut decipi potuisse, aut fallere voluisse, præsertim si ii etiam non contradicant, quorum interest maxime repugnare. Atqui omnes qui ætate Berengarii contra eum scripserunt auctores, ii una voce testantur constantem hanc fuisse ecclesiarum omnium fidem de præsentia reali, quam ille convelleret.

Adelmanus Berengarii sub Fulberto condiscipulus, *in epistola* quam ad ipsum ab errore revocandum scripsit, conceptis verbis asserit quod " se ab „ unitate sanctæ matris Ecclesiæ divulserit, " eumque orat ut non conturbet rempublicam christianæ civitatis.

Hugo Lingonensis episcopus tractatu *de corpore & sanguine Domini ad Berengarium* notat, quod " Universalem Ecclesiam scandalizet : " atque exinde ostendit non posse esse verum, quod Berengarius docebat, nisi omnis Ecclesia periisse dicenda sit.

Theoduinus Leodiensis præsul *epist. ad Henricum Francorum regem*, ait tam compertam esse Berengarii & ejus asseclarum hæresim, ut " Non tam „ sit pro illis concilium advocandum, quam de illorum supplicio exqui- „ rendum.

Gozechus scholasticus *ad Walcherum*, *tomo* 1. *analectorum*, Berengarii placita vocat " novitates quæstionum, " eumque affirmat " novas ac pere- „ grinas cudere a fide intelligentias.

Lanfrancus Cantuariensis archiepiscopus *de corpore & sanguine Domini*, *cap*.22. " Si verum est, ait Berengario, quod de corpore Christi tu credis, „ & astruis, falsum est quod ab Ecclesia ubique gentium de eadem re credi- „ tur & astruitur. . . . Interroga universos . . . . Latinæ linguæ . . . . „ Græcos, Armenos, seu cujuslibet nationis quoscumque Christianos ho- „ mines, uno ore hanc fidem se testantur habere.

Durandus abbas Troarnensis *lib. de corpore, & sanguine Domini contra Berengarium, & ejus sectatores parte secunda*, " Absit, inquit, „ ut tam perversis, & a veritate ipsa tam aversis pari jungamur per- „ fidia, atque in sancta Dominici corporis ac sanguinis communione „ minus aliquid fateamur, quam catholica per orbem universum præ- „ dicat Ecclesia.

Guit-

Guitmundus abbas primo sancti Laufredi apud Ebroicenses, deinde „ cardinalis, & archiepiscopus Aversanus *lib. 3. ad Berengarianos*, " „ Credite de corpore & sanguine Domini, inquit, quod mundus cre- „ dit, & sic credite sicut mundus credidit ..... quod ..... universalis „ Ecclesiæ consensione roboratum est ..... Notissimum namque est hoc „ tempore, priusquam Berengarius insanisset, hujusmodi vesanias nun- „ quam fuisse. " *In eodem opere* testatur, " Ne unam quidem fuisse „ tum urbem, imo ne unum quidem vicum, apud quem Berengariana „ doctrina obtineret.

Jam vero nemo suspicatus fuerit illos in ista re affirmanda hallucinatos esse. Nam Gallorum fidei testis luculentus esse potuit Hugo Lingonensis; Germanorum Adelmanus, Theoduinus & Gozechus; Italorum, qui Græcis permixti tum erant, Guitmundus; omnis autem fere Europæ Lanfrancus, ut pote qui origine esset Italus, & cum in Gallia primo monachus Beccensis ac deinde Cadomensis abbas extitisset, in Anglia demum Cantuariensis archiepiscopus factus fuerit.

At si in eo decipi non potuerunt; certe nec decipere voluerunt. Præterquam quod enim res etiam aliunde constat, quis in animum sibi inducat tot illustres viros adeo fuisse impudentes & imprudentes, ut in mendacium apertum, religionis suæ, conscientiæ ac famæ obliti, conspirarent, & id Berengarianis objicerent, quod non tantum falsum esse scirent, sed etiam falsum esse statim & nullo negotio cum æterno suo dedecore demonstrari potuisset. Neque vero id negabant ipsi Berengariani: imo ultro fatebantur id esse verissimum; nullius tum ecclesiæ, nullius societatis Christianæ, nullius scriptoris coætanei auctoritatem appellabant: omnium gentium consensioni nihil aliud habebant quod opponerent, nisi Joannem Scotum & quædam S. Augustini loca in pravos sensus detorta. Cumque ea parte premerentur, respondebant more novatorum, universam Ecclesiam ab antiqua majorum fide descivisse: " Prædicatum est, inquiunt apud Lanfrancum *cap.* 23. evangelium in „ omnibus gentibus: credidit mundus: facta est Ecclesia, crevit, fructi- „ ficavit; sed imperitia male intelligentium postea erravit & periit. „ In nobis solis & in his qui nos sequuntur sancta in terris Ecclesia „ remansit.

Atque illud etiam confitetur Albertinus de Christianis hujus ætatis *tertiæ* „ *partis initio*, " Sic contigit, inquit, ut hac opinione (de præsentia reali) „ una cum lacte imbuti, illam tanquam veram confidenter obtruserint.

Illud autem non tantum generatim evinci potest, sed etiam speciatim ex innumeris illius ævi monumentis, quæ prætermittimus.

Probatio minoris de eodem tempore.

PROBATUR minor, a Paschasio scilicet (quem Calviniani volunt esse auctorem nostri dogmatis) ad Berengarium nullam mutationem in-

vehi potuisse in Ecclesiarum de Eucharistia sententiam. Ea etenim mutatio concipi non potest contigisse nisi duplici ratione, nempe ita ut simul ac semel peracta fuerit, aut sensim ac labente tempore. Atqui neuter modus admitti potest.

1. Enim dici nequit hanc generalem fidei conversionem simul ac semel factam esse, ita ut omnis Ecclesia, cum certa quadam die Calviniana obdormisset, sequenti die subito catholica evigilaverit citra ullam pristinæ fidei memoriam. Nihil enim fingi potest absurdius.

2. Non minus absurdum est hanc mutationem dici sensim, temporis lapsu, ac progrediente, ut accidit, errore, cæterarum hæreseon ritu, tandem invaluisse, ita ut multiplex tempus sit distinguendum: primum, quo Paschasius monachus sententiam suam novam, peregrinam, & hactenus inauditam proponere ausus fuerit orbi universo spectanti & obstupescenti: secundum, quo nonnulli in eam nihilominus concedere cœperint: tertium, quo plures adhuc in idololatria sibi proposita acquieverint: quartum, quo mediam orbis & Ecclesiæ partem impietas occuparet: quintum, quo majorem hominum partem in familiis, monasteriis, regnis, pestis infecisset; sextum denique, quo ita error apud universos obtinuerit, ut nullum superesset antiqui dogmatis vestigium:

Quæ quidem insulsitas per se jam aperta, ut liquidius adhuc pateat, observandum est.

1. Paschasium Ratbertum ultra mediam seculi noni partem vixisse: quandiu autem vixit, nullas vidisse turbas ob librum suum excitari: Berengarium autem initio seculi undecimi doctrinæ suæ semina sparsisse, ita ut hæc mutatio intra centum circiter annos absoluta omnino fuerit, & tota fere in seculum decimum cadat.

2. Decimum hoc seculum, etsi illud a nonnullis *plumbeum*, *ferreum* & *obscurum* appellatum fuerit ob majorem scriptorum inopiam, & horrendam, quæ passim, & in Italia præsertim, grassabatur, morum depravationem: non defuisse tamen lumina litterarum, pietatis, & doctrinæ.

Floruerunt enim medio illo Paschasium inter & Berengarium tempore, qui postmodum a nobis laudabuntur, in theologicis rebus non parum versati, Remigius Altissiodorensis, Ambrosius, Ansbertus, Atto Vercellensis, Odilo & Odo Cluniacenses, Radulphus Flaviacensis.

Insignes studio fidei & doctrinæ tum extiterunt pontifices, quorum etiam vitas ac gesta habemus a coætaneis aut supparibus auctoribus conscripta; Romæ Stephanus VIII. Leo VII. Marinus, Agapitus II. Pisis in Tuscia Theodoricus & Grimoaldus; Bergomi Adelbertus; Fesulis Zenobius; Cæsenæ Sergius; Patavii Petrus & Gauzelinus; Veronæ Notherius; in Germania, Coloniæ Bruno; Moguntiæ Willelmus; Treviris Henricus; Hildeshemii Bernardus & Godartus; Augustæ S. Udalricus dictus *gemma sacerdotum*; Magdeburgi Adalbertus; Pragæ Adal-

ber-

bertus alter, nobilis martyr; Halberstadii Sigismundus; in Anglia S. Dustanus, Odo Cantuariensis; in Belgio Ratbodus Trajectensis; in Galliis Fulco & alii.

Ea ætate Dani, Slavi, Poloni, Bohemi, Hungari, Northmani a viris doctis & religionis propagandæ amore flagrantibus, Ægidio episcopo Tusculano, Volfango, Adalberto, aliisque ad fidem nostram conversi sunt.

Tunc vixere monasticæ disciplinæ reparatores celebratissimi Romualdus Camaldulensium pater, Majolus, Odilo & Odo Cluniacensium primi abbates, Dominicus Fulginas, S. Stephanus, Poppo Stabulensis, & alii bene multi.

Nec desuere in Germania, Gallia, Anglia principes viri ac fœminæ pietate commendabiles, Henricus, Conradus, Otto magnus, Robertus, Edgarus, Mathildis, Adelais.

3. Prodigialem hanc fidei in universo orbe conversionem fieri non potuisse nisi his omnibus illustribus viris faventibus, allaborantibus erroremque studiose promoventibus.

4. Grande hoc opus intra illos centum annos ita absolvi opportuisse, ut seculo XI. etiam docti crederent eamdem semper fuisse Ecclesiæ fidem. " Notissimum enim est, inquit Guitmundus, hoc tempore, „ priusquam Berengarius insanisset, hujusmodi vesanias nunquam fuisse.

5. Istius supra fidem omnem prodigii nullum extare vestigium, nullam mentionem apud ullos abhinc scriptores: illud a nullo esse notatum: omnes contra istius temporis texere historiam, quasi in Ecclesiæ fidem nulla novitas irrepsisset.

6. Fidem catholicam reipsa illibatam mansisse eo tempore quoad cætera dogmata, quæ videantur levioris longe ponderis.

7. Dogma Eucharistiæ certi cujusdam generis esse, quod non tantum doctis innotescat, sed etiam vulgo: nec in mente tantum residere, sed foras frequenter erumpere variis modis, multis ritibus, innumeris actionibus, quæ omnia in sensus incurrunt, & quæ pro varia opinione diversissima sunt.

8. Intra illud idem spatium Orientis ecclesias Paschasiana hac lue infici etiam debuisse: quandoquidem ineunte seculo XI. in eo dogmate cum Latina consentiebant.

At quis ita cœcus sit, ita rationis expers, ita in rebus humanis hospes & peregrinus, ut non illico perspiciat his positis merum illud esse somnium Calvinianorum, & hanc fidei conversionem nullatenus fieri potuisse, quin hominum natura simul mutata fuerit? Quis enim credat

1. Paschasium, cum junior adhuc esset monachus, id sibi sumpsisse ut orbem universum a sua & majorum fide avocaret? ut autem id perficeret, doctrinam istam novam obiter tantum proposuisse in nonnullis libri capitibus, & eam quidem proposuisse ut constantem omnium tunc temporis fidelium mentem? quod esset insanum.

2. Cum id tentasset, neminem esse repertum per triginta annos, qui tantam temeritatem coargueret, aut eum stultitiæ saltem admoneret? quod est incredibile.

3. Post ejus mortem innumerabiles statim episcopos, abbates, principes, viros doctos, eloquentes undequaque confluxisse, ut hæc Paschasii deliria cum ratione, sensibus, fide, omnium gentium consensione pugnantia confirmarent?

4. Eos in exequendo hoc proposito suo ac disseminanda hæresi, feliciores fuisse, quam apostoli divina virtute adjuti, fuerint in suadenda vera religione, & intra centum annos universum orbem pervertere potuisse?

5. Ab iis Ecclesiam ita esse perversam, ut omnes nationes statim & sponte in execrabilem idololatriam, simul illa proposita est, omnes, inquam, prolapsæ sint sine ulla contradictione & repugnantia? nullos fuisse tum viros pios, qui obsisterent, & propinatam impietatem aversarentur? nullos doctos, qui eam refellerent? nullos præsules, qui gliscentem coercerent? nullos pastores, qui lupos a caulis arcerent, invigilarentque gregi? nullos homines, qui suæ ipsius salutis curam haberent? nullam esse coactam synodum, in qua error damnaretur? nullum denique fuisse tribunal, ad quod saltem delatus ille fuerit; denique cum erroris veneno instillata esse tam plena rerum præteritarum oblivia, nemo ut alium fuisse unquam religionis statum meminisset?

6. Si error contra non obtinuit sine pugnis & certaminibus, sine ullo contentionum æstu & motu animorum, qui in similibus casibus semper occurrerunt, & pro humani ingenii conditione deesse non possunt: si divisæ familiæ fuerunt, scissa monasteria, convulsa regna: nullos fuisse auctores qui illud notassent, aut in historia imperiorum, aut in vitis eorum præsulum, qui præclaram in eo operam navarunt, ad eorum scilicet honorem & gloriam, aut in originibus monasteriorum: non in annalibus Metensibus, non in Aimonio, non in Flodoardo, Dythmaro, Reginone, non in Hermano Contracto, Luitprando, Adone Viennensi, non in chronico Hildeshemensi aut Odorani, aut Witichindo, aut Rodulpho Glabro, aliisve publicis aut privatis horum temporum monumentis.

7. Senes non erubuisse id dediscere, quod pueri didicerant, extinctos juvenum animos, fractam primo impetu mulierum pertinaciam, uno momento ex omnibus pectoribus excessisse amorem veri & studium religionis?

8. Cunctas Orientales ecclesias, quantumvis Latinæ inimicas, id accipere etiam sustinuisse sine ullo examine & difficultate, imo & sine ulla prædicatione, quod paulo ante nescio quis obscurus in Gallia monachus excogitaverat?

9. Tam admirabilem fuisse tunc in omnium simul hominum corde patientiam, ut sese invicem dissentientes toleraverint, donec in unam tandem sententiam coalescerent?

10. Tan-

10. Tandem omnes omnium gentium auctores ad unum in id conspiraſſe, ut rei tam memorabilis, tam inſolentis, tam miræ tempus ac rationem æterno ſilentio obvolverent, nec quidquam de ea ad futura ſecula tranſmitterent?

Hæc profecto ſingula ineptiſſima ſunt; collecta autem tantæ ſunt & tam monſtroſæ inſulſitatis, ut de eo deſperandum eſſe videatur, qui eam non ſenſerit.

Probatio majoris de poſtrema hac noſtra ætate.

PROBATUR nempe quod Græci etiamnum nobiſcum in admittenda præſentia reali corporis Chriſti in Euchariſtia conſentiant.

Id autem tanta ab aliquot annis ac nuper in luce poſitum eſt, conquiſitis undequaque ſummo ſtudio & ſingulari Eccleſiæ bono omnium Orientalium gentium ea de re teſtimoniis, ut nihil jam certius eſſe poſſit.

Quæ quidem, qui legere & expendere voluerit, ea coacervata omnia reperiet in iis, quæ adverſus Claudium elaborata ſunt, operibus; nempe *reſponſionis generalis lib.* 1. *tomo* 1. *perpet. lib.* 12. & *tomo* 3. *libro* 8. quorum etiam ſummam exhibet nobis *apologia pro Catholicis* adverſus Juriæum. Ibi quænam ſit fides patriarchatus Conſtantinopolitani, Alexandrini, Antiocheni, Hieroſolymitani, Maronitarum, Armenorum, Syrorum, Cophtitarum, Jacobitarum & Neſtorianorum, ex certis ac minime dubiis harum omnium eccleſiarum monumentis deprehendet. Addat ad cumulum Renaudoti *vindicias*, opuſcula, & quod ſub prælo nunc ſudat opus * ingens ejuſdem argumenti.

NEQUE eſt quod dicat Spanhemius *in ſcriptis contra illuſtriſſimum epiſcopum Meldenſem*, iſta omnia, quæ adducuntur teſtimonia eſſe Græculorum, a quibus nihil non pretio extorqueas.

ILLUD enim effugium ſeu potius mendacium omnino indignum eſt homine prudenti, liberali, & Chriſtiano. Quid enim eſt indignius 1. quam tam infandum ſcelus uni integræ nationi, imo tot Orientis nationum multitudini imponere, quod nempe fidem venalem habeant? 2. illud idem flagitium attribuere non quibuſcunque, ſed etiam epiſcopis, metropolitanis & patriarchis omnibus? 3. illud idem crimen affingere legato regis Chriſtianiſſimi, viro notæ probitatis? Quid autem imprudentius? Non enim iſtos ſolum pretio corrumpi oportuit, ſed & univerſos qui in Oriente degunt, etiam infimos e plebe, aut qui in iis regionibus peregrinantur, aut qui negotiorum publicorum aut privatorum cauſa illic verſantur, etiam Anglorum & Batavorum legatos, conſules, ne videlicet reclamarent. Si enim ſemel quiſpiam reclamaſſet, actum eſſet de tot laboribus & tam ingenti pecuniæ ſumma. Quid de-

* Prodiit in lucem Pariſiis annis 1711. & 1716. duobus voluminibus *in* 4. ſub titulo *Perpetuitatis fidei* apud J. B. Coignard.

nique illiberalius? Non poteſt Spanhemius ignorare a XII. ſeculo multa ſuppetere nobis teſtimonia Græcorum non minoris ponderis, imo noſtra & patrum noſtrorum ætate patriarchas Conſtantinopolitanos & alios a Lutheranis ipſoque adeo Claudio conſultos ſuper hoc capite, eadem omnino reſpondiſſe, quæ noſtris teſtificati ſunt. Ergo.

Quæ cum ita ſint nobis proferre ſufficiat confeſſionem eccleſiæ Orientalis orthodoxæ, quæ fidem omnium patriarcharum ſimul & ſubditarum iis gentium nobis luculenter repræſentat, & quæ apud Batavos ſumptibus reipublicæ in gratiam Panajottæ viri inter Græcos clariſſimi, edita ante iſtas cum Claudio controverſias, Calvinianis ſuſpecta eſſe non poteſt. Sic autem habet *quæſt.* 106. "Quodnam eſt tertium myſterium? Eſt „ Euchariſtia, ſive corpus & ſanguis Chriſti Domini ſub ſpeciebus panis „ & vini & realis præſentia. " *Quæſt.* 107. Animadvertendum eſt ut ſacerdos talem habeat intentionem, quod ipſa vera ſubſtantia panis & „ ſubſtantia vini tranſſubſtantientur in verum corpus & ſanguinem Chri„ ſti per operationem Spiritus ſancti, cujus invocationem facit tum tem„ poris, ut perficiat hoc myſterium orando & dicendo : Mitte Spiritum „ ſanctum in nos, & in hæc propoſita dona, & fac hunc panem pretio„ ſum corpus Chriſti tui, quod autem eſt in calice pretioſum ſanguinem „ Chriſti tui, tranſmutans per Spiritum ſanctum : ſtatim enim ad hæc „ verba fit tranſſubſtantiatio & tranſſubſtantiatur panis in verum corpus „ Chriſti, & vinum in verum ſanguinem Chriſti, remanentibus ſolum „ ſpeciebus viſibilibus, & hoc fit ſecundum divinam diſpoſitionem pro„ pter duo : 1. ne videamus corpus Chriſti, ſed credamus illud eſſe pro„ pter verba prolata a Chriſto Domino, *Hoc eſt corpus meum*, & *Hic eſt* „ *ſanguis meus*, pluſquam ſenſibus noſtris : ſi quidem pro hoc promiſit „ nobis beatitudinem, dicens, *Beati qui non vident & credunt* : 2. quia „ natura humana abhorret uſum vivæ carnis; & quoniam debet homo „ uniri Chriſto Domino per communicationem carnis Chriſti Domini, „ & ſanguinis Chriſti Domini. Ne igitur abhorreret, conſtituit Domi„ nus dare carnem ſuam & ſanguinem ſuum in eſum & potum ſub ſpecie„ bus panis & vini, de quo divi Damaſcenus & Gregorius Nyſſenus fu„ ſius diſputant.

Ea porro confeſſio, quæ de clariſſimis verbis concipitur, poſita eſt ſupra omnem exceptionem, & cavillationem hæreticorum. Illa enim ante ullam de eo facto motam quæſtionem, & ſine ullo Latinorum reſpectu, a Petro Ruſſorum patriarcha, Græcis ritibus addicto in gratiam duntaxat ſuorum popularium ſub nomine *confeſſionis Ruſſorum* primo cuſa fuerat : ſed cum patriarchæ Hieroſolymitano ac deinde cæteris oblata eſſet, iis omnibus adeo utilis viſa eſt, ut mutato nomine, & uſu amplificato, *confeſſio orthodoxa Eccleſiæ catholicæ, & apoſtolicæ Orientis* eorum juſſu dicta ſit, & omnibus eccleſiis Orientalibus deſtinata ; quibuſcum ut facilius communicaretur, ſemel & iterum edita eſt. Huic ſubſcripſerunt anno 1643. omnes patriarchæ : anno autem demum

demum 1662. primum prodiit in lucem apud Batavos cum Epistola patriarchæ Hierosolymitani, quæ illius narrat historiam. Cum autem brevi tempore omnia exemplaria distributa essent, typis secundo demandata est cum litteris Dionysii Constantinopolitani patriarchæ, qui illius fidem, auctoritatem & utilitatem maxime commendat, ita ut nihil amplius desiderari possit.

Certe hanc Græcorum cum Latinis consensionem, veritatis pondere victi confessi sunt inter Lutheranos & Calvinianos quicunque ante has controversias rem accuratius expenderunt, & mentem suam candidius aperuerunt, Crusius Tubingensis post multas scripto & viva voce collationes cum Jeremia Constantinopolitano patriarcha habitas *Germano-Græciæ lib.* 5. theologi Wittemberges *in responsis suis ad eumdem Jeremiam*; Sandius eques Anglus *cap.* 22. Grotius *in discussione Rivetiani apologetici*; Flavius Lutheranus *in præfatione ad Christophorum Anglum*; Forbesius *de Eucharistia cap.* 40. Damaverus Argentinensis *de ecclesiæ Græcæ hodiernæ statu adversus Allatium*.

Probatio minoris de tempore a Berengario ad nos usque lapso.

PROBATUR nempe quod eo temporis intervallo nulla fidei mutatio in iis, quæ ad Eucharistiam pertinent, apud Græcos fieri potuerit. Cum enim evicerimus Græcos ætate Berengarii in eo capite nobis consensisse, & etiamnum consentire, non potest ulla mutatio medio inter utrumque extremum fingi, nisi a præsentia reali agnoscenda transisse dicantur ad eam negandam, & ab ea neganda redierint ad eam admittendam, quod est ridiculum. Verum ut nulla supersit difficultas, illud demonstrabimus argumentis tum generalibus tum specialibus.

Ac 1. quidem generalibus. Ab undecimo enim seculo usque ad nos Græci Latinis permixti manserunt in Italia: Latini autem Græcis in omni fere Oriente, ex quo suscipi cœperunt celebratissimæ illæ expeditiones in terram sanctam, quæ per plura secula frequentatæ, magnam Occidentis partem sæpius in Græciam, Asiam, & Ægyptum transportarunt: in Judæa, Syria, Asia, ipsaque urbe Constantinopolitana diutius imperarunt Latini, ubique fere episcopos ac presbyteros instituerunt sui ritus qui ecclesias regerent; dum interim iisdem in locis alii erant episcopi ac sacerdotes Græci: connubia plerique jungere secum invicem non dubitarunt: modo inter utramque Ecclesiam pax inita est, modo recruduerunt odia: Latini in Græcos immaniter aliquando sævierunt, aliquando cum ipsis reconciliati sunt. Hæc ex historia constant. Atque adeo non potuerunt Latini non explorata habere dogmata Græcorum circa Eucharistiam, ut nec Græci Latinorum: præsertim cum Latini, ex quo Berengarius Ecclesiam conturbare cœpit, in id præsertim caput intenti essent. Attamen per illa tem-

pora,

pora, & exinde ad nos usque, ne leve quidem vestigium est dissensionis, quoad id dogma, nulla pugna unquam fuit, nulla contentio. Quoties de concordia sancienda actum est, nunquam Græci a Latinis postularunt ut Berengarianam sententiam amplecterentur, nunquam Latini a Græcis ut eam ejurarent. Dicant ergo Calviniani qua de causa id factum sit. An ex ignoratione mutua? Sed illud est ineptissimum, ut jam observavimus. An præ metu Græci hiscere ausi non sunt? Sed quidni? An eorum ora per sexcentos annos Latini tenuere? quomodo ergo contigit ut de processione Spiritus sancti, azymis, aliisque loqui, conqueri, disputare non destiterint, dum in hoc uno concordiam servarunt quod ad Eucharistiam attinet? An Latini de industria in Græcis dissimularunt? Sed quis id suspicetur de millies centenis millibus Latinorum qui ab ea ætate apud Græcos fuerunt? An omnes summi pontifices, episcopi, sacerdotes ex compacto in eamdem dissimulationem ierunt? an omnes etiam viatores? cur ergo cætera in iis arguunt? cur iis alias non parcunt? qua de causa peculiares alios ritus aliosque errores tam diligenter recensent, & ab hoc uno abstinent? An vero sensim Græci in hanc opinionem delapsi sunt? Cur ergo initio nulla sunt certamina, nullæ rixæ? Qui factum est ut etiam istud non notaretur? Si autem opera missionariorum; cur nulla eorum apud Græcos Latinosve auctores mentio est? Cur ii non observati sunt; qui ingens hoc miraculum patrarunt? Cur nullus est inter Græcos, qui obstiterit aut Latinis objecerit idololatriam? Quo tandem pacto accidit, ut nihil sit tam leve quod non resciamus, & istud tam insigne, tam singulare prodigium ignoremus? Quis non videat mera hæc esse, & absurdissima commenta a Calvinianis sine ulla veri specie, ulloque fundamento, in gratiam erroris sui duntaxat excogitata? Hoc certe qui non videt media in luce cæcutiat necesse est.

Illud autem idem demonstrari potest insuper multis specialibus argumentis, a quibus exponendis brevitatis causa abstinemus.

§. II.

De veritate præsentiæ realis via discussionis, ac 1. quidem ex verbis promissionis, Joan. cap. 6.

TRIA omnino argumenta ex Scripturis depromemus, primum ex promissione: secundum ex institutione: tertium ex usu. Quod autem pertinet ad promissionem, duo pertractanda nobis erunt: primum an in sexto Joannis capite de Eucharistia agatur: secundum an hoc posito aliquid elici possit in gratiam præsentiæ realis.

An:

An capite ſexto Joannis agatur de Euchariſtia.

HÆRETICI fere omnes recentiores, Lutherus *de captivitate Babylonica cap.* 1. Zuinglius *lib. de vera & falſa religione cap. de Euchariſtia*; Oecolampadius *in hæc Chriſti verba*, HOC EST CORPUS MEUM; Calvinus *Inſtit. lib.* 4. *cap.* 17. Martinus Kemnitius *ad cap.*1. *ſeſſionis* 21. *conc. Trid.* Petrus Martyr *libro contra Gardinerum*; Albertinus in prægrandi ſuo *de Euchariſtia* libro, & alii contendunt hic de Euchariſtiæ ſacramento non agi. Neque tamen inter eos convenit de hoc capite. Nonnulli enim, ut probent utramque ſacramenti ſpeciem eſſe omnibus ac ſingulis neceſſariam, Joannem de ſacramento interpretantur.

Catholici contra fere univerſi in eo conſentiunt, quod ibi Euchariſtiam promiſerit Chriſtus: ferme, inquam, univerſi: fuerunt enim inter catholicos pauci, qui ut Joanni Wicleſo & Joanni Hus eorumque aſſeclis communionis neceſſitatem ſub utraque ſpecie inde inferentibus, facilius reſponderent, in alienam ac vulgarem hæreticorum interpretationem nimium imprudenter conceſſerint: quos alii deinceps majori temeritate ſunt ſecuti. Hos autem inter præcipui ſunt cardinalis de Alliaco *in* 4. *ſentent. diſt.* 9. *quæſt.* 5. Cuſanus *epiſt.* 7. *ad Bohemos*; Joannes de Raguſio in libello *de communione ſub utraque ſpecie*; Gabriel Biel *lect.* 30. & 34. *in can. Miſſæ*: Joannes Heſſelius *de communione ſub duplici ſpecie*; Tapperus *in defenſione articuli* 15. *Lovanienſium*; Janſenius Gandavenſis *cap.* 59. *concordiæ evang.* ac Nicolaus Rigaltius *præloquio in S. Cyprianum*. Atque hoc quidem in catholicis condonandum eſt, ut qui non ſponte ſua, ſed inviti propemodum & acriori ſuo hæreticis repugnandi ſtudio in eam partem adducti ſint: in hæreticis autem caſtigandum ſeverius, cum illud directa fronte impetant, negentque pertinaciter contra apertum Scripturæ ſenſum adverſus omnium ſeculorum conſenſionem, contra ipſam denique traditionem.

Jam vero ne qua ſit ambiguitas, obſervandum eſt quæſtionem non eſſe de toto capite ſexto Joannis. Certum eſt enim prima capitis parte verba fieri de miraculo panum, de fide ac incarnatione. Controverſia itaque eſt duntaxat de poſteriori parte, quæ ſic habet:

Verſu 51. *Ego ſum panis vivus qui de cœlo deſcendi.*

52. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis, quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita.*

53. *Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes, Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum.*

54 *Dixit ergo eis Jeſus, Amen, amen dico vobis: niſi manducaveritis carnem Filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

55. *Qui*

55. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.*

56. *Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.*

57. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.*

58. *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse vivet propter me.*

59. *Hic est panis qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna & mortui sunt. Qui manducat hunc panem vivet in æternum.*

60. *Hæc dixit in synagoga docens, in Capharnaum.*

61. *Multi ergo audientes ex discipulis ejus, dixerunt; Durus est hic sermo, & quis potest eum audire.*

62. *Sciens autem Jesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis: Hoc vos scandalizat?*

63. *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius.*

64. *Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.*

65. *Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt ......*

67. *Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro, & jam non cum illo ambulabant.*

68. *Dixit ergo Jesus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire?*

69. *Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.*

Quo posito sit

ASSERTIO.

Posterior pars capitis sexti Joannis intelligenda est de Eucharistiæ sacramento.

Probatur 1. ex Scripturis, quæ plura hujusmodi sufficiunt documenta.

Primum sumitur ex ipsorum Christi verborum perspicuitate Ad designandam enim Eucharistiam & sacramentalem manducationem clarioribus profecto verbis uti non potuit. Auget promissionis Eucharistiæ evidentiam secuta postmodum ipsa ejusdem Eucharistiæ institutio: eo fere modo quo vaticiniorum fidem ac sensum non tantum confirmat, sed etiam illustrat eventus. Si enim Christus Eucharistiam deinceps non instituisset, non tolerabile duntaxat, sed etiam necesse fuisset ad metaphoricos ac spiritales quosdam sensus de carne Christi per fidem manducanda confugere. At ex quo sacramentum nobis dedit, in quo voluit corpus suum comedi & sanguinem suum bibi, viri certe prudentis & sani judicii non fuerit obvia, plana, facilia deserere; avia autem, obscura, implexa, aliena consectari. Si litteralem, ut loquuntur,

tur, sensum semper amplecti auctoritas patrum jubet, ratioque ipsa compellit, quoties nihil absurdi continet; quanto magis hic, ubi prælucente institutionis face, nihil omnino est quod istum non commonstret ac persuadeat? Et vero si institutionis verba cum hoc Joannis loco componas, tanta statim apparebit utrobique similitudo, ut liqueat hic fuisse promissum, quod alibi repræsentatum fuit. Hic enim ait Christus, *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, seu ut græce est, *caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita*: alibi autem, *Accipite & manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis datur in remissionem peccatorum*.

Secundum ex locutionis modo. 1. Enim quorsum ista tam frequenter repetita & inculcata distinctio carnis Christi manducandæ & sanguinis bibendi, nisi modum aliquem indicare voluisset juxta quem manducatio ab actione bibendi differret? At id locum habet in solo sacramento: extra sacramentum autem, ubi de fide sola quæstio est, unum idemque omnino est *manducare* & *bibere*. 2. Quorsum ea affirmatio, *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus?* Ibi enim non modo segregatur cibus a potu, sed etiam verus cibus verusque potus assignantur. At si recurras ad fidem nullus est verus cibus, nullus verus potus, sed cibus ac potus tantum metaphoricus. 3. Cum ait Christus, *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis* &c. satis arguit hoc veluti juramento verba sua ut sonant esse accipienda. Religio enim & ratio docent verba oportere clara esse, aperta, non ambigua; ubi jusjurandum adhibeas. At nemo inficias ierit manducationem, si proprie sumatur, esse actionem qua cibus ab ore transmittitur ad stomachum. Ergo de ejusmodi manducatione Christus loquebatur. Ergo de sacramento sermonem habebat.

Tertium petitur ex re ipsa, quæ ibi promittitur, & tempore quo exhibenda erat. Christus enim donum Patris a suo secernit. Donum Patris, temporis tunc præsentis esse admonet. *Pater meus*, inquit, *dat vobis panem de cœlo verum*: suum contra donum indicat esse temporis tantum futuri, *Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita*. Quorsum id discriminis, nisi quod jam tunc adesset ipse Filius carne indutus, a Patre datus hominibus ut fidei objectum: nondum autem adesset Eucharistia, quæ peculiare filii donum & adhuc futurum erat? Sane si nomine *panis*, qui aliquando dandus erat, ipse intelligeretur Filius fide manducandus citra ullum sacramenti respectum, ut volunt hæretici, frustra id ad consequens tempus ac futuros Christi discipulos restringeretur: fides enim in Christum omnium temporum fuit & erit. Adde comparationem a Christo institutam inter manna veterum & corpus suum aliquando manducandum, quæ idem omnino confirmat. 1. Enim ea collatio satis arguit utrumque proponi velut cibum aliquem sensibus objectum, cujus virtus diversa sit. 2. Ut transitus maris rubri imago expressa baptismi fuit; ita & manna Eucharistiæ;

ftiæ; quod innuit Paulus 1. *Cor.* 10. Ergo ad Euchariftiam refpiciebat hic Chriftus. 3. Si ibi tantum fignificaretur caro Chrifti per fidem manducanda, in eo nos a veteribus non disjungeremur. Omnibus enim id ab Adami lapfu etiam antiquiffimis Judæorum patriarchis neceffarium fuit.

QUARTUM ex difficultate, qua Chriftus auxit myfterium carnis fuæ manducandæ ex futura afcenfione. Cum enim multi audientes hanc promiffionem dixiffent, *Durus eft hic fermo, & quis poteft eum audire?* fic refpondit Chriftus: *Si ergo videritis filium hominis afcendentem ubi erat prius*. At afcenfio Chrifti in cœlum auget quidem difficultatem carnis Chrifti fubftantialiter & revera in terris manducandæ; non autem carnis Chrifti per fidem in cœlo percipiendæ. Ad fidem enim locorum diftantia nihil facit. Ergo.

QUINTUM repetitur ex Chrifti perfona. Quis enim credat Chriftum nullibi paulo uberius exponere voluiffe dignitatem ac fructum tanti facramenti? At nullus eft præter hunc locus ubi id præftet. In ipfa enim inftitutione rem tantum tradit; vim autem illius aut nullatenus, aut obfcurius prodit. 2. An probabile eft eum Sacramenti hujus ufurpandi præceptum non expreffiffe? Atqui fi ibi præceptum non eft, nullibi profecto eft. Nam in fuprema quidem cœna dixit Chriftus, *Accipite & manducate*, fed iis qui aderant, apoftolis nempe: dixit, *Bibite ex hoc omnes*, fed eifdem tantum, porrigens nimirum calicem, ab omnibus in commune ebibendum, cum antea panem fingulis diftribuiffet: denique adjecit, *Hoc facite in meam commemorationem*: verum hoc demonftrat folum ob quem finem celebranda fit Euchariftia, quotiefcunque celebratur, non autem fonat præceptum abfolutum; aut fi præceptum abfolutum, illud præceptum eft facerdotibus impofitum facrificandi, non omnibus Chriftianis communicandi. 3. Mos Chrifto fuit ad majora myfteria difcipulos præparare, antequam fierent: fic antequam baptifmi legem præfcriberet, dixerat Joan. 3. 5. *Nifi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu fancto, non poteft introire in regnum Dei*. Antequam cruci affigeretur, difcipulos admonuerat, præfertim *Matth.* 19. fe tradendum effe gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum: antequam refurgeret, ibidem, *fe tertia die refurrecturum*: antequam ad cœlum afcenderet Joan. 6. 16. dixerat, *Modicum & videbitis me, & iterum modicum, & non videbitis me, quia vado ad Patrem*: antequam Spiritum fanctum mitteret in difcipulos Joan. 14. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis*. Ergone Euchariftia, tam excellens, tamque altum myfterium, unicum illud fit, de quo difcipulorum animos prius informare Chriftus dignatus non fuerit? Confuetudinis faltem ejus fuit, quæ obfcurius turbis propofuerat, poftmodum clarius edifferere, maxime apud apoftolos, quibus datum erat noffe myfteria regni cœlorum, ut conftat *ex Matth.* 13. *Joan.* 4. 10. & 14. At iftud ne fuis quidem feorfim explicuit. Cur, quæfo, illi in ultima cœna ad eas Chrifti voces, *Hoc eft corpus meum*,

meum, commoti non sunt? Cur illum saltem non interrogaverunt, nisi quia id aliquando futurum jam ipse palam & aperte hoc Joannis loco eis insinuaverat?

Sextum deducitur ex persona auditorum. Cum enim illi multiplicatis divina virtute panibus a Christo satiati, panem adhuc ab eo simili ratione quærerent, hac occasione usus, illos erigit ad panem eucharisticum, quem aliquando exhibiturus erat, & in quo affirmat carnem suam vere comedendam esse, & sanguinem suum vere bibendum. Cum autem ad id quasi novum, insolens & incredibile turbarentur, hærerent, ipsique adeo discipuli dubitarent, non tantum eorum opinionem non correxit, sed ne emollivit quidem sententiam suam: rem contra eamdem confirmationis gratia significantius expressit, ajens graviter & constanter, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Imo & cum plerique recessissent, conversus ad apostolos, *Numquid, & vos*, inquit, *vultis abire?* quasi diceret: non habeo aliud quod dicam: exposui mysterium: fide opus est: abeat qui credere recusaverit.

Septimum ex persona Evangelistæ. Absurdum enim fuerit Joannem, in tradendis mysteriis omnium alioqui diligentissimum, hoc unum silentio involvere voluisse. At istud profecto non attigit, si hoc sexto capite de eo non scripsit.

Probatur 2. consensu Ecclesiæ & auctoritate omnium Patrum, qui ejus loci meminere: quod etiam apud Calvinum est in confesso. Hi autem Patres sunt.

Origenes *homil.* 7. *&* 16. *in Numeros;* Cyprianus *lib.* 1. *contra Judæos*; Ammonius *in catena Græca*; Athanasius in illud, *Qui dixerit verbum in Filium hominis;* Hilarius *lib.* 8. *de Trin.* Basilius *in regulis moralibus*, *reg.* 21. *cap.* 1. Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi* 3. *mystag.* Epiphanius *hæresi* 55. Ambrosius *lib.* 4. *de fide capit.* 5. Apollinaris *in catena Græca*; Theodorus *ibidem*; Theophilus *lib.* 2. *paschali*; Hieronymus *in caput* 1. *epist. ad Ephes.* Gregorius Nyssenus *de perfecta Christiani hominis forma*; Gaudentius Brixiensis *tract.* 2. *ad Neophytos;* Chrysostomus *homil.* 45. *&* 46. *in Joan.* Innocentius papa *epist. ad episcopos concilii Milevitani*; Augustinus *lib.* 1. *de peccat. meritis*, *lib.* 1. *in Julianum*, *serm.* 2. *de verbis Apostoli*; concilium Ephesinum generale approbans epistolam synodi Alexandrinæ ad Nestorium; Cyrillus Alexandrinus *in hunc Joannis locum*; Theodoretus *lib.* 4. *hist. & dialogo* IMPATIBILIS: S. Leo *serm. de jejunio septimi mensis*; Eusebius Emisenus *homil.* 5. *de paschate*; Maximus Taurinensis *in psal.* 11. Prosper *in psal.* 135. Sedulius *in cap.* 10. 1. *ad Cor.* Cassiodorus *in psal.* 109 Primasius *in cap.* 10. 1. *ad Cor.* Gregorius Magnus *lib.* 1. *moral. cap.* 4. Hesychius *lib.* 6. *in Levit. cap.* 22. synodus VII. generalis *act.* 6. Isidorus Hispalensis *in lib. de divinis officiis*; Joannes Damascenus *lib.* 4. *de fide*; concilium Cabilonense *capit.* 2. Paschasius *lib. de Sacramentis cap.* 14. Adelmanus *epist.*

epist. ad Berengarium; Guitmundus *lib.* 3. Algerus *lib.* 1. *cap.* 10. 12. 17. Theophylactus *in hunc locum*; Euthymius *ibidem*; Rupertus *ibidem*; Bernardus *serm.* 1. *in vigil. Nativ.* & *serm.* 1. *de Paschate*; concilium Senonense; synodus denique Tridentina *sess.* 13. *cap.* 2. & *sess.* 21. *cap.* 1.

PROBATUR 3. ratione. Nam ubi de Scriptura disceptatur, ratio suadet eam sententiam sequendam esse, quæ altera clarior & facilior est: ubi autem Scriptura ambigua est, eum sensum alteri esse præponendum, qui a Christo apostolis, ab apostolis Ecclesiæ, ipsa omnium ecclesiarum consensione traditus esse videatur. Quocirca non tantum gravis imprudentiæ, sed etiam summæ temeritatis sit, privatam opinionem suam non apertis modo Scripturæ verbis, sed etiam omnium Ecclesiarum consensioni totque doctorum idem unanimi consensu, sive in homiliis ad populum, sive in commentariis in Scripturam, sive in suis etiam adversus hæreticos libris profitentium auctoritati anteponere.

OBJICIES 1. Christus hoc capite de sola fide loquitur. Ergo.

DISTINGUO antecedens: ad versum usque 51. concedo; ad finem usque capitis; nego. Initio quippe capitis sermo fit de pane inter frangendum a Christo multiplicato: inde assurgit Christus ad panem cœlestem, quem quærere deberent auditores: tum proponit se ipsum, ut panem, qui de cœlo descenderat, in quem credi oporteret. Denique promittit alium panem a se aliquando exhibendum, in quo carnem suam vere manducandam & sanguinem vere bibendum daret.

OBJICIES 2. Hic disserit Christus de ea manducatione, quæ certo det vitam æternam. Atqui sacramentum ipsum hoc non præstat: cum non ii omnes salutem adipiscantur, qui ad illud accesserint.

DISTINGUO majorem: quæ det vitam, spectata rei natura; concedo: spectata conditione qualibet subjecti; nego. Idem de hoc sacramento pronunciatur apud Joannem, quod alibi de baptismo, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*: quod de oratione, *Qui petit, accipit*: quod de invocatione, *Quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit*. Hæc autem & similia dicuntur ob vim rebus ipsis insitam ad effectum memoratum, qui tamen vitio subjecti impediri & interturbari queat. Et vero hæc in manducationem ipsam spiritalem per fidem difficultas recidit. Nam si quid inest objectis roboris, deberet ipsa salutem certo conferre: attamen quot sunt qui postquam Christum per fidem manducaverint, a salute excidunt!

OBJICIES 3. Saltem hic sermo fit de eo, sine quo haberi non possit vita æterna: *Nisi manducaveritis* &c. Atqui sine Eucharistiæ sacramento haberi potest vita æterna: neque enim pereunt infantes ac parvuli, quibus illud non datur: imo nec adultus æternum perierit, si casu expers hujus sacramenti mortem obierit. Ergo.

DISTINGUO majorem; Christus loquitur de eo sine quo vita æterna haberi non queat a certo hominum genere; concedo: haberi omnino nullatenus queat; nego. De sacramenti hujus necessitate alius erit disse-

differendi locus. Interim observabimus nodum hunc adversariis quoque solvendum esse. Volunt enim illi hic sermonem fieri de manducatione per fidem. Dicant igitur an ea omnibus ita necessaria sit, ut absque ea vita æterna haberi a nullo queat. Si affirmant: quid de infantibus fiet, qui hujusmodi manducationis capaces non sunt? reponent eos habere fidem: esto. At *manducare* non habitum, sed actionem sonat: actus autem fidei elicere per ætatem non possunt infantes: non possunt fide attingere corpus & sanguinem Christi. Ergo non possunt ea manducare aut bibere. Ergo absque hujusmodi manducatione haberi potest vita æterna. Si autem illud restringere placeat ad certum hominum genus, id est adultos; cur idem nobis in sacramento facere non licebit?

Objicies 4. Si is Joannis locus de Eucharistiæ sacramento accipitur, inde sequetur communionem sub duplici specie omnibus ac singulis esse necessariam. Nihil enim est disertius istis Christis verbis: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Atqui Ecclesia catholica censet duplicem speciem non esse omnibus necessariam. Ergo.

Respondeo Christum hic loqui de sacramento Eucharistiæ & simul legem ferre de carne sua in eo manducanda, & sanguine suo in eo ab omnibus bibendo; mentem autem ejus non fuisse, ut caro manducaretur & sanguis biberetur seorsum sub variis speciebus: atque adeo hoc præcepto Christi duo tantum includi, sacramentum scilicet, & rem quæ eo continetur, non autem sumendi modum: de quo alias quoque disputabimus. Cæterum eisdem laqueis adversarii constringuntur. Concedunt enim illi hic agi de manducatione corporis Christi & potatione sanguinis per fidem. An ideo illi statuent ad vitam & gratiam necessarium esse omnibus, ut ea seorsum percipiant fide? Nonne sufficit si quis mente simul ac semel tantum Christum apprehendat ac complectatur? Si autem id sufficit, cur non pariter satis erit, si totum Christum in sacramento sumimus? At totus sub utralibet sacramenti specie sumitur. Ergo utralibet sufficit.

Objicies 5. Illud Christi ibidem, *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam: verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*. Ergo de carne manducanda non loquebatur, ut pote quæ prodesse non possit quidquam.

Respondeo 1. hæc verba non posse nec debere ad vivum ab hæreticis resecari. Ea enim sic accepta non tantum Eucharistiæ sacramentum, sed ipsum quoque incarnationis mysterium, omnem mortis Christi fructum, ac satisfactionis pretium everterent. Hæc enim consistere non possunt, si caro non prodest quidquam.

Respondeo 2. a Calvinianis non posse id intelligi de carne Christi manducanda. Ipsi enim confitentur carnem Christi summo cum fructu a Christianis manducari.

Respondeo 3. multas esse hujus loci explicationes, quarum nulla

pugnet cum præsentia reali. Duæ sunt inter alias maxime pervulgatæ: prima est, quod caro Christi non prosit quidquam sola absque spiritu Christi. Ita interpretatur ipse Calvinus *in dilucida expositione inter opuscula*, *pag.* 859. Id autem conciliari optime potest cum reali præsentia corporis Christi in Eucharistiæ sacramento. Neque enim dicimus profuturam Christi carnem iis, qui solam sine spiritu ejus, hoc est sine gratia, receperint. Secunda expositio est, quod verba Christi de carne sua manducanda & sanguine suo bibendo, non sint carnali, crassiori & Capharnaitico modo, sed spiritali intelligenda. Ea autem expositio sequentibus potissimum congruit. At catholici sensum istum crassiorem, quem Capharnaitæ sibi in mentem expresserant de carne Christi in frusta prius concidenda & postmodum edenda, ut impium & absurdum explodunt, solam autem admittunt rationem carnis Christi sine ulla divisione & læsione membrorum in sacramento sumendæ. Ergo.

Objicies 6. Multi sunt sancti Patres, qui sextum Joannis caput mystico sensu explicuerint; v. g. Clemens Alexandrinus *lib.* 1. *pædagogi*, CARNIS ac SANGUINIS nomine apud Joannem intelligens " verbum Dei quo alimur & inebriamur: " Basilius *epist.* 141. eadem exponens de Christi doctrina & ejus in animum pium adventu; Hieronymus *in psal.* 147. ista interpretans de Scripturis sacris; Augustinus *lib.* 1. *contra Julianum*; Bernardus *in psal. Qui habitat*.

Respondeo mysticum sensum non pugnare cum litterali: adeo ut propterea censendi non sint sancti illi doctores hunc altero exclusisse: quod patet 1. in Basilio; nam *in regulis moralibus* litteralem sensum tradit, ut *supra* monuimus: 2. in Hieronymo, qui suam de hoc loco sententiam alibi apertissime tradidit: 3. in Augustino, qui nedum hæc Christi verba nolit capi de Eucharistiæ sacramento, ea contra ubique inculcat adversus Pelagianos, ut ex iis probet sacramentum hoc ita esse necessarium, ut absque eo vita æterna haberi non queat: de quo olim. Quanto magis idem liquet in Bernardo, qui licet ex omnium consensu & præsentiam realem crederet, & sæpe Joannis locum de Eucharistiæ sacramento interpretatus esset, non idcirco putavit sibi a mystico quoque sensu, cum sese offerret, esse necessario abstinendum.

Objicies 7. Nonnulli sunt veteres qui Capharnaitas reprehendant, quod existimarent Christi carnem esse vere manducandam. Sic Tertullianus *de resurrect. carnis cap.* 37. " Durum & intolerabilem existima-
" runt sermonem ejus, quasi vere carnem illis edendam determinasset. " Sic etiam Origenes *homil.* 7. *in Leviticum*, " Si secundum litteram sequaris hoc quod dictum est, *Nisi manducaveritis carnem & biberitis* &c. occidit hæc littera.

Respondeo Capharnaitas Christum de carne sua edenda loquentem
" intellexisse quo modo in cadavere dilaniatur, aut in macello vendi-
" tur, ut ait S. Augustinus *tract.* 27. *in Joannem*: hunc sensum duntaxat abjicere procul sancti Patres voluerunt.

An

An ex verbis promissionis colligi possit præsentia realis corporis Christi in Eucharistiæ sacramento.

A S S E R T I O.

Ex verbis promissionis colligi potest præsentia realis corporis Christi in Eucharistiæ sacramento.

. PROBATUR 1. ex ipsius verbis. *Panis* enim, inquit, *quem ego dabo caro mea est pro mundi vita*. Ergo Eucharistia vere est ipsa Christi caro. Neque fingi potest eam esse figuram tantum carnis Christi. Nam aliquid hic pollicetur Christus longe præstantissimum, quod antiqui non habuerint. Porro veteres carnem Christi in figuris habuerunt. Proinde veritatem carnis suæ hic promittebat. Et sane addit Christus, *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*.

PROBATUR 2. ex ipsa dubitatione Capharnaitarum. Ii quippe dubitaverunt Christi veram carnem ab ipso promissam esse in cibum. Inde enim offensionem ceperunt. Atqui eorum opinionem non modo ille non emendavit; sed ne verba quidem sua in planiorem sententiam exposuit. Quis autem dicere audeat Christum, qui hominum causa tantum venerat in terras, eos & innumerabiles alios, quos prævidebat eodem modo voces istas exinde intellecturos, ut abirent in perditionem passurum esse, si uno vel levi verbo errorem corrigere potuisset? Nam quod aliqui argutantur, ex eo nihil inferri posse, quia inde quoque sequeretur Christi verba accipienda esse sensu Capharnaitarum, quem tamen vel ipsi catholici repudiant ut crassiorem; nihil est. Nam Christus dixerat tantum carnem suam vere manducandam, & sanguinem suum vere esse bibendum: modum vero non expresserat. Rem ipsam rite intellexerant Capharnaitæ: modum autem, quem Christus siluerat, e suo effinxerant, quasi carnem Christi frustatim concisam comedi oporteret. Iam vero Christus, quod de modo illi adjecerant, verbis suis corrigendum non existimavit, tum quia extra rem erat, tum quia frustra fuisset, remanente ipsa re per se incredibili, quæ semper foret offendiculo. At certe pro suo in homines amore, corrigere debuisset sententiam, quam sermo præ se ferebat, quem in animis impressum arguebat, si fallax ea extitisset. Atqui ne hoc quidem postremum præstitit, quamvis tantopere sitiret salutem hominis. Ergo carnem suam vere edendam & sanguinem vere bibendum promiserat reipsa Chistus.

PROBATUR 3. eo quod subinde Christus adjicit de ascensione sua futura. Illud enim præsentiam realem luculenter astruit, excludit autem manducationem per fidem. Duplex quippe est tantum hujus sententiæ explicatio probabilis. Nimirum id protulit Christus, vel ut miraculo, quod proponebat, fidem faceret alterius miraculi mentione: vel ut significaret discipulis longe majorem istius manducationis non creden-

dæ anſam eos habituros, cum in cœlum abiiſſet, ob locorum videlicet intercapedinem; quæ eam videtur omnino perimere. Primum ſufficit ad revellendam, quam hic ſomniant hæretici, manducationem carnis Chriſti per fidem, cum in ea nullum ſit prodigium, quod altero æquali aut majori confirmari debeat: ſecundum autem quod eſt filo orationis connexum magis, mirifice ad præſentiam realem facit, ut liquet. Ergo.

Probatur 4. ex communi Patrum conſenſione, qui ex hoc Joannis capite colligunt in Euchariſtia vere a nobis comedi corpus Chriſti.

Probatur 5. ex ipſa Calvinianorum confeſſione: confitentur enim, poſito quod caput ſextum Joannis intelligatur de Euchariſtiæ ſacramento, veram Chriſti carnem in eo manducari.

Atque hoc primum eſt argumentum, quod ex Scripturis torquemus in hæreticos: validum ſane; ſed futurum tamen multo validius, niſi petendi illi forent per latus quorumdam catholicorum, qui ſua cum hæreticis in hoc capite conſenſione ſic eos protegunt, ut teli vim non mediocriter frangant ac debilitent.

§. III.

De verbis Inſtitutionis.

Christus Euchariſtiam inſtituens & porrigens apoſtolis, ſic eos affatus eſt apud Matthæum *cap. 26. v. 26. Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum: hic eſt ſanguis meus.* Idem iiſdem verbis referunt Marcus *cap.* 15. *v.* 22. Lucas *cap.* 22. *v.* 19. & Paulus 1. *Cor.* 11. 24.

ASSERTIO.

Ex illis verbis colligitur evidenter veritas corporis Chriſti in Euchariſtia.

Probatur 1. Hæ enim Chriſti voces aut indicant Euchariſtiam eſſe verum Chriſti corpus, aut ejus tantum ſignum: Atqui hoc poſtremum abſurdum eſt. Non poteſt enim figuræ ſenſus iſtis Chriſti verbis affingi, niſi ſtatuatur Euchariſtiæ, eo ipſo quo inſtituebatur in ſignum corporis Chriſti, nomen ipſum *corporis* recte potuiſſe attribui. Atqui iſtud defendi non poteſt.

Obſervandum enim eſt, eorum, quæ in ſermonem hominum veniunt, duplex vulgo genus diſtingui, rerum videlicet & ſignorum. Res dicuntur, quæ, quatenus in ſe ſunt, ſpectantur: ſigna, quæ non quatenus in ſe ſunt, ſed quatenus aliud quid denotant, conſiderantur. Signa autem duplicis etiam ſunt modi: alia ſunt naturalia, quæ per ſe convenientiam quamdam ac connexionem habent cum ea re quam ſignificant, ut Herculis ſtatua: alia arbitraria, quæ ex inſtituto hominum

res

res alias significant, ut voces humanæ, aut si quis in nemore meditans, memoriæ juvandæ causa præcelsam quercum assumeret in signum Alexandri Magni.

Signa arbitraria possunt iterum spectari duplici ratione, nempe vel in prima sui institutione, vel post longum a prima institutione, tempus, assuefactis diuturno usui ad inditam significandi rationem animis.

Quibus positis dicimus 1. hanc esse pervulgatam ac certam inter colloquendum consuetudinem, ut omnia quæ enunciantur, instar rerum & quatenus in se sunt sumamus, nisi constet ea instar signorum esse accipienda. 2. Nomen rei significatæ nunquam posse tribui signo arbitrario in prima ejusdem signi institutione, nisi monitis prius auditoribus. Hujus rei ratio est, quod propositio alioqui non intelligeretur, ut si quis in nemore deambulans, qui prius apud se præcelsam quercum assumpsisset in signum Alexandri Magni, & diceret amico non ante monito, *hic est Alexander Magnus*. Dubium enim esse non posset, quin eo in casu inepta prorsus esset, nec unquam intelligenda propositio.

Jam vero panis & vinum sunt ex eorum numero, quæ instar rerum non vero signorum vulgo habeantur. Ea sic spectabant Apostoli. Non erant profecto signa naturalia corporis & sanguinis Christi, nec signa ejusdem corporis ac sanguinis a longo tempore jam instituta ac cognita: primitus enim Eucharistia tunc instituebatur. Ratio ergo signi tunc temporis apostolorum menti non obversabatur, nec de ea cogitabant. Porro qui loquitur, id omne exprimere debet, quod non supplet animus auditoris: non loquimur enim, nisi ut intelligamur: proinde debemus ea omnia clare exprimere, quæ cupimus intelligi, nisi quædam jam supponamus in animo auditoris, quæ brevitatis causa possunt supprimi. Non potuisset igitur, nisi absurdissime, dicere Christus, *Hoc est corpus meum*, ut significaret panem esse figuram corporis sui. Atqui impium sit aliquid Christo tribuere, quod vel tantillum a recta ratione discedat. Ergo.

Neque vero absurdum duntaxat foret Christi pronunciatum; sed etiam fallax. Qui enim audit hominem sapientem, ejus verba in sensus a communi loquendi ratione alienos non detorquet: alienissimum autem est a pervulgato loquendi modo, ut absque ulla præparatione auditorum, signo in prima sui institutione nomen tribuatur rei significatæ. Cum itaque præconceptam animo non haberent apostoli signi notionem, verba Christi simpliciter, ut sonabant, accipere debuerunt. Noverant summam ejus sapientiam, cui nihil absonum excideret. Noverant infinitam ejus potentiam, qua quidquid vellet pro libitu efficeret. Ergo in propositione Christi per se aperta statim necessario acquieverunt. Si autem ut in ea acquiescerent noluit Christus, iis ita loquendo illusit, quod dictu horrendum est.

PROBATUR 2. Hæ Christi voces, *Hoc est corpus meum*, explicandæ

non sunt in eum sensum, qui obvius ac facilis non sit, sed coactus & abstrusus. Atqui figuræ sensus est coactus & abstrusus: nec enim menti per se occurrit, & cum per vim in animum obtrusus est, nisi continua repetitione refricetur, statim evanescit, quod ex historia supra relata manifestum. 1. Enim Lutherus, quamvis id summopere averet, ei assuescere nunquam potuit. 2. Zuinglius cum per plures annos frustra torsisset ingenium, eum non nisi forte reperit in epistola cujusdam Batavi, quam memorat. 3. Cum Bucerus & Capito eum persuasissent Argentinensibus & civitatibus fœderatis, sed eum fovere aliquandiu intermisissent in gratiam Lutheranorum, cum quibus concordiam inire volebant, accidit ut illæ urbes ad pristinum de præsentia reali dogma relaberentur, ut notavimus. Ergo.

PROBATUR 3. ex eo quod in historia supremæ Christi cœnæ nihil sit, quod non suadeat sermonem Christi simpliciter esse accipiendum. 1. Enim si rem spectes, sacramentum instituebat, condebat testamentum; sanciebat ritum perpetuo deinceps tempore observandum, novum pangebat fœdus cum hominibus, dogma tradebat ab omnibus credendum. Atqui perspicuam quamdam loquendi rationem hæc omnia flagitant. 2. Si ad personas quæ aderant, animum reflectamus, alloquebatur Christus carissimos sibi apostolos, quibus datum erat nosse mysteria regni cœlorum, quibus seorsum explicabat, quæ reliquis non ita aperte proposuisset. Iis ultimum vale dicebat. In eos effundebat omnem vim amoris sui ac caritatis. Non ergo sententiam suam inusitata quadam ratione exprimere, nec illam verbis subobscurioribus involvere debuit. 3. Ita sacrorum scriptorum calamum rexit Spiritus sanctus, ut si quid ab uno dictum esset minus clare, illud idem alter apertius exponeret. Ut enim ait S. Augustinus *lib. 2. de doctrina Christiana.* " „ Nihil est obscure dictum in Scripturis, quod spectet ad fidem & mo- „ res, quod non planissime dictum sit aliis locis. " Atqui omnes, qui de Eucharistiæ institutione scripsere, Matthæus, Marcus, Lucas & Paulus, eodem plane modo rem retulerunt. Ergo nihil comminisci licet, quo dicta eorum in alienum a vocibus sensum transferantur.

PROBATUR 4. Verus enim ac genuinus Scripturæ sensus non potest aliunde melius ac certius dijudicari, quam ex communi omnium gentium in illum conspiratione. Atqui cum Berengarius sensum *figuræ* a Scoto excogitatum docere cœpit, cum eum renovare studuerunt Sacramentarii recentiores, universum orbem Christianum, omnem Ecclesiam, tum Græcam tum Latinam, alterius omnino sententiæ experti sunt. Ergo.

PROBATUR 5. Si quis enim esset in Christi verbis tropus ac figura inusitatior supplenda, illius profecto admonuissent e sanctis Patribus illi, qui ex professo in evangelia & Pauli epistolas commentarios scripserunt. Atqui contra omnes instant ut hæc verba eo quo sonant modo simpliciter intelligantur absque ulla dubitatione, ob summam Christi,

sti, qui loquebatur, sapientiam. Vide Chrysostomum, Cyrillum Alexandrinum, Theophylactum, & alios. Ergo.

PROBATUR 6. Illud est discriminis catholicos inter & Calvinianos, quod juxta catholicos propositio Christi verbis aperta sit & simplex, re autem mysterium contineat, cui nec mens cogitando, nec os eloquendo par esse queat: juxta hæreticos contra eadem propositio verbis constet obscurioribus; rem autem exhibeat intellectu facilem. Nihil enim facilius Christo fuit, quam signum aliquod corporis sui pro arbitrio figere, & ei insuper, si vellet, gratiam suam alligare, cum supremus sit omnium dominus & arbiter. Atqui Patres antiqui, dum expendunt verba Christi, asserunt ea esse aperta, simpliciter & ut sonant, ea esse accipienda, affirmant ea ad fidem plenam atque integram sufficere; timent ne quis iis non satis persuadeatur, omnem volunt abjici hæsitationem: reipsa autem sub verbis apertis ac simplicioribus agnoscunt mysterium quoddam grande altum & incomprehensibile; ut ad illud credendum adducant, allegant Dei loquentis ac semper veridici auctoritatem & infinitam potentiam; congerunt exempla similium quæ in Scripturis occurrunt unius rei in aliam conversionum, ut patebit in decursu operis. Ergo Patres longe distabant a sensu Calvinianorum.

O B J E C T I O N E S.

OBJICIES 1. Non est in Scripturis insolens, quod signo detur nomen rei significatæ. Sic Josephus somnium enarrans Pharaoni Genes 46. 2. *Septem boves pulchræ*, inquit, *& septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt*. Daniel nocturnum prægrandis statuæ visum similiter interpretans regi Nabuchodonosor cap. 22. 28. *Tu es*, ait, *caput aureum*. Sic Deus explicans Ezechieli quidnam significarent ossa quædam arida, quæ ei in spiritu ostenderat; *Ossa hæc universa*, inquit, *domus Israel est*. Christus edisserens parabolam zizaniorum, Matth. 23. *Qui seminat bonum semen*, ait, *est filius hominis, ager autem est mundus; bonum vero semen hi sunt filii regni: zizania autem filii sunt nequam; inimicus autem qui seminavit ea, est Diabolus: messis vero consummatio seculi est: messores autem angeli sunt*. Paulus eadem ratione loquens de petra, ex qua in deserto aqua Judæis profluit. 1. Cor. 10. 4. *Petra autem*, inquit, *erat Christus*. Ea enim singula dicuntur res illæ, quas tantummodo significabant. Quidni ergo pariter horum Christi verborum, *Hoc est corpus meum*, is quoque sit sensus, *Hoc est figura corporis mei*.

NEGO consequentiam. Latum enim est inter ea discrimen, adeo ut, nedum hæc exempla faveant errori Calvinianorum, nostram potius illustrent sententiam, ac firment regulam. Statuimus nempe *supra* nominibus rerum significatarum signa posse insigniri, quando compertum est ea jam pro signis haberi, estque auditor tantum ambiguus rei, cujus signa illa sint; non posse autem, cum pro signis nondum considerantur,

Porro in his omnibus, quæ modo objectæ sunt, occasionibus erecti jam erant animi ad perspectam sibi signi notionem, anxiique tantum erant quid illa significarent.

Ita Pharao somnium viderat & quærebat ejus interpretationem. Cum ergo tacite a Josepho postularet, quid essent in ratione signi septem boves pulchræ & septem spicæ plenæ, quas dormiens conspexerat, recte & ad ejus mentem & ad normam humani sermonis respondit Joseph, *Septem ubertatis anni sunt*.

Idem puta de Daniele. Eum enim interrogaverat Nabuchodonosor, quid ingens illa statua portenderet: eam ergo pro signo rei alterius jam spectabat.

Idem dicimus de Deo Ezechieli loquente. Prophetis enim omnia fere sub involucris a Deo revelabantur: figurisque assueti, eas a rebus ipsis per se secernebant. Cum ergo facta esset super Ezechielem manus Domini, & eduxisset eum in spiritu, & ei monstrasset in campo ossa arida, mens prophetæ eo ipso satis erecta erat ad ostentum latentemque in eo futuri præsagitionem: quapropter tunc absque ulla verborum ambage dixit illi Deus, *Ossa hæc universa domus Israel est*.

Christus pariter parabolam proposuerat: parabola autem omnis quædam est adumbratio rerum aliarum: unde apostoli accedentes ad eum dixerunt, *Edissere nobis parabolam zizaniorum agri*: jam itaque in animo suo constituerant hæc singula, quæ dicta erant, totidem rerum aliarum signa esse: non mirum ergo si Christus has in eorum cordibus cogitationes videns, responderit simpliciter, eum qui seminat bonum semen esse filium hominis, messores esse angelos &c.

Simili modo judicamus de Corinthiis, ad quos scribebat Apostolus: parati enim erant prius ipso Pauli sermone ad mysticas & occultas significationes quærendas in iis omnibus, quæ Israelitis acciderant in sua ex Ægypto liberatione. Jam enim dixerat ille omnes eos baptizatos esse in nube & in mari, ut innueret hanc figuram fuisse nostri baptismatis: addiderat eos eamdem escam spritalem manducasse, & omnes eumdem potum spiritalem bibisse: jam petram de qua biberant, nominaverat spiritalem, ut eos ad aliquid in ea reconditum investigandum excitaret. Nihil itaque novi est, quod ita comparatis Corinthiis tunc dixerit, *Petra autem erat Christus*, id est significabat Christum: unde statim subdit, *Hæc omnia in figura contingebant illis*.

At apostoli nedum de signo cogitarent, audierant contra Christum olim pollicentem se daturum carnem suam in cibum, & sanguinem in potum. Ergo cum præformatam tunc in eorum mentibus signi notionem Christus non cerneret, non potuit pronunciare, *Hoc est corpus meum*, si voluit tantum indicare hanc esse figuram corporis sui.

Verum ut omnia paria instituamus, fingamus v. g. quempiam tempore messis cum amico in agris obambulantem, vi occultæ cujusdam destinationis, quam ei non patefecerit, subito dicere, Viden hos messores?

ſores? hi angeli ſunt. Ridicula ſane aut amens eſſet aſſertio, ſi innuere vellet ſe eos in imaginem angelorum, qui aliquando homines demetent, aſſumpſiſſe. Cur autem ea hominis iſtius aſſertio ridicula aut inſana eſt, ſapientiſſima autem contra eſt Chriſti propoſitio? id inde profecto eſt, quod videlicet Chriſtus ſermonem haberet cum apoſtolis, qui in ſignificatione ſcrutanda propoſitæ parabolæ verſabantur. Is autem quem fingimus, de eo ne cogitat quidem.

Quandoquidem igitur Apoſtoli in ſuprema cœna de indenda pani nova ſignificandi corporis Chriſti virtute, ne vel levem quidem ſuſpicionem haberent, ejuſdem non eſt dictum Chriſti rationis cum exemplis ſuperioribus, eſſet autem ejuſdem cum hoc ultimo abſurditatis.

Instabis. Diſcipuli multa jam audiverant a Chriſto metaphorice accipienda, ut cum diceret, *Ego ſum oſtium*, *Ego ſum vitis vera*, *Pater meus agricola eſt*! Cum ergo hujuſmodi locutionibus eſſent aſſuefacti, evidenterque noſſent panem & corpus humanum ita pugnare, ut unum alterum eſſe non poſſet, nonnullamque panem inter & corpus proportionem ac ſimilitudinem animadverterent, ut pote quod utrumque vivificum eſſet: quid obſtat quominus iſtis omnibus quaſi manuducti ad figuræ ſenſum, ita Chriſti voces intellexerint, ut panem illic ab eo in ſignum corporis ſui conſtitui crederent.

Respondeo in omnibus promiſcue propoſitionibus non poſſe quandolibet & quomodolibet affirmari rem ſignificatam de ſigno. Ejuſmodi enim propoſitionum aliæ probandæ ſunt, aliæ contra intolerabiles. Quod cum ita ſit, certis legibus iſta licentia coercenda eſt. Ad id enim non ſufficit

1. Quod quis metaphoris ac parabolis utatur aut etiam delectetur. Aliud enim eſt metaphora, aliud parabola, aliud propoſitio in qua ſigno nomen rei ſignificatæ attribuatur. Neque enim ab uno genere ad aliud, neque intra idem genus ab una propoſitione ad aliam recta fit conſecutio. Ita dicere potuit Chriſtus, *Pater meus agricola eſt*, quia Patris cœleſtis ad agricolam cum quo confertur, quædam eſt ſimilitudo: non potuiſſet autem, certum quemdam commonſtrans digito agricolam, dicere, *Pater meus eſt hic agricola*, aut verba invertens, *Hic agricola eſt Pater meus*. Potuit parabolam explicans affirmare, *Ego ſum oſtium*; ſed non potuiſſet, oculos intendens in aliquod oſtium, affirmare, *Ego ſum hoc oſtium*, aut *Hoc oſtium eſt Chriſtus*: non enim eadem eſt ratio. Sic dicere ei fas fuit, *Ego ſum panis vivus*, *qui de cœlo deſcendi*, ut oſtenderet ſe cum pane, quo corpora noſtra aluntur, commune aliquid habere; non licuit autem dicere, certum panem porrigens, *Hoc eſt corpus meum*, ut inſinuaret hunc panem eſſe figuram corporis ſui. Nempe metaphora uſurpatur ob notam duorum in aliqua qualitate convenientiam: tunc autem ſubjectum propoſitionis eſt illud, cui qualitas alterius attribuitur: prædicatum autem eſt univerſale. Hujus porro generis non eſt iſthæc Chriſti propoſitio, *Hoc eſt corpus meum*, etiam juxta Calvinianos. Ergo ad aliud genus

nus pertinet, in quo de signo res significata dicitur. At illud fieri non potest absque prævia monitione, cum primitus signum instituitur.

2. Quod ea, quæ denunciantur, pugnare secum invicem putentur. Præterquam quod enim id locum non habet, ubi agitur de Deo, qui omnia potest; inde sequeretur in eo genere nullas esse absurdas propositiones: imo quo absurdiores forent, eo liqueret magis, in figuræ sensum eas esse accipiendas. Id autem quis ferat? An fas erit cuilibet idcirco, vi propositi cujusdam interioris, reliquis hominibus ignoti, omnia miscere & asserere, v. g. de cane, quod sit rex Sinarum; de culice, quod sit cœlum, ut indicet illas horum esse imagines, quas sibi suo arbitratu effinxerit: an, inquam, illud fas erit eo præcise, quod ista pugnent inter se, atque adeo figuræ sensu sint accipienda? Nulla profecto brevior esset aut certior ad insaniæ famam via.

3. Neque etiam satis est ad id remota quædam inter res propositas convenientia: alias quodlibet de quolibet pronunciari posset: nihil enim est fere in rerum natura, quod cum alia re quamdam non habeat aliquatenus similitudinem. Quocirca ut dictum Christi ad figuræ sensum detorquerent Apostoli, satis non erat, quod persæpe eum vidissent metaphoris ac parabolis utentem, aut panis ac corporis Christi distantiam perciperent, aut meditando detegere possent quamdam inter illa convenientiam; sed requirebatur insuper ut panem jam pro figura nota haberent, scireque averent de cætero quidnam tandem panis ille significaret, aut illud eis aperire vellet Christus.

Instabis 2. Apostoli panem cœnæ paschalis ut figuram jam spectabant. Namque paterfamilias panem azymum in sublime tollens initio epularum sic dicere consueverat, *Hic est azymus panis, quem patres nostri in Ægypto comederunt*, cum ejus duntaxat esset commemoratio. Quidni ergo Christus, novum antiquo ritum substituens, eodem sensu pronunciaverit, *Hoc est corpus meum*, significans Eucharistiam esse illius tantum figuram.

Respondeo 1. hoc e Rabbinorum scriniis ac recentioribus Judæorum libris ritualibus non ita pridem erutum esse, qui quidem non ita certæ sunt apud nos auctoritatis, ut fas sit hoc adducere ad stabiliendum fidei dogma, quod aliunde constare debet. Sane hunc ritum esse novum, multa sunt quæ persuadeant.

2. Noluisse Deum ut ad hujus observationis reconditæ amussim verba Christi exponerentur, cum ea & ab Apostolis & Evangelistis prætermissa sit, & omnes hactenus Christianos latuerit.

3. Falsum esse quod Christus hæc in consecrando corpore suo verba in locum antiquæ de azymo formulæ suffecerit. Ritus enim azymi panis a patrefamilias tollendi, principio cœnæ paschalis usurpabatur; Christus autem ad finem ejusdem convivii panem corpus suum fecit. Isto itaque ritu pridem perfunctus erat Christus, cum ad consecrationem corporis sui accessit: & si quæ in pane figuræ ratio ab Apostolis constituebatur,

batur, ea jam dudum erat exhausta. Vide de hoc inter cæteros Buxtorfium *de cœna*, & Bartholoccium *tomo 2. biblioth. Rabbinicæ*.

4. Ab una figura ad aliam, & a legitima ac justa locutione ad insulsam & ineptam non posse esse consecutionem. Eo quod enim v. g. laurus pro signo victoriæ vulgo jam habeatur, non ideo fas erit alicui, qui eamdem sibi proposuerit in signum Cæsaris, coram amico hujusce designationis ignaro pronunciare, *Hic est Cæsar*: eo quod enim ea sit signum alicujus rei, non inde sequitur, quod sit signum cujusvis rei. Recte dicebat de pane azymo paterfamilias, *Hic est panis, quem majores nostri in Ægypto comederunt*; quia publico & solemni religionis ritu institutus erat in æternum ac perenne alterius monumentum: at nondum in signum corporis Christi institutus erat panis ille, quem præ manibus tenebat Christus. Ergo ad figuræ sensum insinuandum non poterat simpliciter dicere, *Hoc est corpus meum*; quia, ut jam observavimus, ea omnia inter loquendum exprimi debent, quæ per se non supplet animus auditoris, ne maneat eoque absurda evadat oratio.

INSTABIS 3. Christus apostolos statim commonefecit figuræ corporis & sanguinis sui in pane & vino a se constitutæ: illico enim subjunxit Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo nihil jam superest difficultatis.

RESPONDEO 1. hoc commentum esse excogitatum a recentioribus Sacramentariis, ut aliquem errori suo e Scripturis colorem quærerent, adeoque necessarium illud non esse ad verborum Christi intelligentiam, quasi vero illa ex eo pendeat. Nullus enim unquam fuit in orbe Christianus, nullus est inter antiquos, qui priora Christi verba e posterioribus interpretanda esse censuerit? imo nec Sacramentariorum principes, Carlostadius ac Zuinglius, iis adducti sunt, ut *figuræ* sensum Christi dicto affingerent. Id ergo additamenti ad legitimum Christi propositionis sensum non requiritur; quippe quod non explicationis aut determinationis, sed confirmationis potius gratia propositum sit.

2. Ex ipsa historiæ serie evidenter colligi istas propositiones, *Hoc est corpus meum*; *Hoc facite in meam commemorationem*, esse duas propositiones omnino distinctas, quarum altera rem, altera rei finem contineat: atque eas quidem inter se connexas; sed non ita ut sensus unius ab altera necessario suspensus sit; quod & per se patet; & liquet insuper ex eo quod Lucas solus posteriorem referat prætermissam a Matthæo & Marco, qui cum ante Lucam scripserint, satis eo indicarunt absque illa additione verba Christi posse intelligi.

3. Generatim loquendo præviam esse oportere signi notionem in auditore, antequam de signo affirmetur res significata. Posset tamen aliquando contingere, ut postponeretur; sed duplici tantum in casu, nempe si is qui loquitur, accurate loqui nesciat, aut si inusitata quadam cavillatione audi-

auditores percellere velit. Qui enim humani sermonis leges servare sciat aut cupiat, is debet illud omne vocibus proferre, quod ipse mente sua concipit, & in alterius animum transire voluerit, nisi in eo jam illud existere perviderit. At Christo aut insulsam loquendi rationem, aut indignam cavillandi libidinem tribuere impium fuerit.

4. Ex his vocibus, *Hoc facite in meam commemorationem*, non potuisse a Christi discipulis inferri Eucharistiam esse figuram corporis Christi absentis. *Commemoratio* enim non *absentiæ*, sed *oblivioni* opponitur. Oblivisci autem possumus etiam ea quæ præsentia sunt, modo in sensus non incurrant. Ita potest quis sui oblivisci. Ita quotidie Deum ipsum obliviscimur, *in quo* tamen *vivimus*, *movemur & sumus*. Ea porro quemadmodum obliviscimur, sic & in memoriam revocamus. Non ergo memoria rei ipsius absentiam necessario arguit. Certe Eucharistiam catholici in memoriam Christi celebrant; neque tamen ab ea Christum procul abesse existimant. Cum ergo hæc inter se non pugnent, non est cur ab apostolis simul conciliata non fuerint.

INSTABIS 4. Apostoli statim intellexerunt a Christo sacramentum institui. Atqui *sacramentum* idem est, quod *rei sacræ signum*. Ergo de signo verba Christi acceperunt. Certe in omni de sacramentis locutione solemne Scripturæ est, ut id esse dicantur, quod duntaxat significant. Sic 1. *Genes.* 17. 10. de circumcisione ait Deus: *Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me & vos & semen tuum post te: circumcidetur in vobis omne masculinum*; versu 11. *Et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me & vos*. Ibi enim pactum ipsum dicitur in ipsa sui institutione circumcisio, quæ subinde in signum posita esse tantum indicatur. 2. Exodi 12. 11. de agno Paschali, *Est enim phase, id est, transitus Domini*. Quo loco maxime permotus est Zuinglius, ut *supra* notavimus. 3. Denique, inquiunt, necesse est ut vel ipsi catholici in verbis Christi Eucharistiam instituentis, figuram multiplicem esse confiteantur: postquam enim de pane dixerat Christus, *Hoc est corpus meum*, sic de calice mentem suam expressit apud Lucam & Paulum, *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*. Profecto nec calix, nec, quod erat in calice, vinum potest esse testamentum; sed ad summum est signaculum testamenti ac novi fœderis a Deo cum hominibus initi. Ergo duplex ibi figura est, una in voce *calicis*, qui pro vino sumitur in eo contento; alia in voce *testamenti*, quod pro signaculo benignissimæ Dei in homines voluntatis accipitur. Imo, ajunt, alia insuper figura admittenda est: nam Christus de pane loquens apud Paulum, ita pronuntiat, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, seu ut græce est, *quod pro vobis frangitur*: de calice autem apud Matthæum, *Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, seu ut græce est, *qui effunditur*. Atqui constat in Eucharistiæ institutione neque corpus Christi esse fractum, neque sanguinem effusum: utrumque enim postmodum duntaxat & in cruce contigit. Ergo Eucharistia

ſtia ideo dicitur eſſe corpus Chriſti quod frangitur, & ſanguis qui effunditur, quia fractionis & effuſionis iſtius ſignum & imago eſt. Porro ſi in fractione ac effuſione ita figura conſtituenda ſit, ut ea dicantur eſſe tantum in Euchariſtia ſub imagine; quidni idem de ipſo corpore affirmabitur?

Respondeo apoſtolos in ſuprema cœna ſatis intellexiſſe quod Chriſtus inſtituiſſet ſacramentum, ſed eo plane quo Chriſtus locutus fuerat modo, hoc eſt ita ut ſacramenti ratio præſentiam realem non excluderet, ſed ſupponeret. Dixerat nimirum Chriſtus apoſtolis, cum de ſigno prorſus non cogitarent, *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt ſanguis meus*. Proinde illi in verbis Chriſti ſtatim acquieſcentes, ſimpliciter crediderunt Euchariſtiam vere eſſe corpus ac ſanguinem Chriſti. Fundamenti igitur loco præſentiam horum realem in ea collocarunt; ſed cum animadverterent tamen remanere ſemper nihilominus panis ac vini eamdem ſpeciem, inde intulerunt in Euchariſtia duo quædam eſſe, nempe Chriſti ſubſtantiam intrinſecus, extrinſecus autem panis ac vini ſpecies ſuperſtites, quibus quaſi ſymbolis illa tegeretur, & adumbraretur: in qua ſacramenti ratio ſita eſt: deinde audierunt Chriſtum paulo poſt ſubjungentem, ut hoc idem facerent in commemorationem mortis ejus; quam quidem mortem ſatis aliunde expreſſam cernebant in ſeparatione corporis Chriſti ab ejus ſanguine, vi verborum quæ ipſe protulerat. Non potuerunt igitur, quin duplicem in Euchariſtia figuram agnoſcerent, aliam corporis ac ſanguinis Chriſti in ea deliteſcentis, aliam cruentæ ejus paſſionis; atque adeo ſacramentum ab ipſo inſtitui ſtatim aperte intellexerunt, ſed ita ut tamen ante reliqua præſentiam realem admitterent. Neque enim ſacramenti ratio pugnat cum præſentia reali, quod manifeſtum eſt ex ipſa catholicorum ſententia, qui utrumque nullo negotio componunt. Non ergo a notione ſacramenti venerunt apoſtoli ad intelligentiam horum Chriſti verborum, *Hoc eſt corpus meum*, quod vellent Calviniani; ſed contra ab intelligentia ſimplici horum verborum, *Hoc eſt corpus meum*, devenerunt in notitiam ſacramenti, quod catholicis mirifice favet.

Jam vero quod attinet ad allata exempla, reponimus,

1. *Geneſeos* 17. 10. circumciſionem non appellari *pactum*, ſed ibidem imperari ut pacti conditionem. Tum enim Abrahamum docere voluit Deus, non quid *circumciſio* ſignificaret, ſed quid ab eo in fœderis conditionem exigeret. *Verſu* autem *ſequenti* demum circumciſio vocatur *ſignum fœderis*. Neque id mirum: hoc enim ipſo quod in perpetuam ac perennem hujus fœderis conditionem figebatur, evadebat illius quoque ſignum ac ſymbolum. Itaque *verſu* 10. circumciſionis præceptum memoratur. *Verſu* autem 11. finis adjungitur, ob quem circumciſio præcepta fuerit. Adde quod fœdera ex certo ac peculiari rerum genere ſint, quæ per ſe ſigna quædam flagitent. Pactum enim eſt mutua conſenſio voluntatum diligenter in factis ſervanda: ea autem conſenſio ſen-

ſenſibus percipi non poteſt, ſi naturam ejus ſpectes, ut pote quæ ſit ſpiritualis; debet tamen in memoria hominum altius inſigi ac permanere, ne quis ei deſit, & ut quando deeſt, arguatur. Ratio ergo admonet, & omnes in eo gentes concordant, ut fœdera rebus quibuſdam ſenſibilibus alligentur, quæ ſtatim in fœderum ſigna eo ipſo tranſeunt. Quocirca ſi demonſtrari poſſet circumciſionem etiam in prima ſui inſtitutione appellatam eſſe *pactum*, eo quod eſſet ſignum pacti; nihil inde contra nos conficeretur. Simul enim ac mentio fit fœderis, mens abſque ulla alia monitione rem externam, cui affigitur, pro ſigno illius accipit, atque adeo protinus de ipſa fœdus ipſum affirmari poſſet. Porro corpus Chriſti non eſt aliquid quod figuram ſui neceſſario poſtulet: atque ita cum nulla ex parte ſigni notionem in mente ſua impreſſam haberent apoſtoli, eam exprimere debuit, ſi voluit eam ab iis intelligi.

2. Agnum paſchalem non dici *phaſe* ſeu *tranſitum Domini*, quod tranſitus figura & imago eſſet, (quæ enim eſt agni paſchalis cum tranſitu Domini ſimilitudo?) ſed quod eſſet victima tranſitus Domini, ut *ibidem* diſerte habetur *verſu* 27. ſeu victima ob tranſitum Domini imminentem mactata. Nempe uſus erat pervulgatus apud Hebræos & in eorum lingua, ut ſacrificia haurirent nomina ſua ab iis rebus propter quas illa fierent: ita ſacrificium pro peccato frequenter in Scripturis *peccati* nomine dicitur. Unde & apoſtolus de Deo ait, quod cum Chriſtus non feciſſet peccatum, eum pro nobis *peccatum* fecerit, id eſt hoſtiam pro peccatis noſtris. Proinde cum vulgaris eſſet ea locutio, & jam *verſu 6.* præſcripſiſſet Deus, ut mactaretur agnus paſchalis, & ejus ſanguine poſtes linirentur, quo Dominus tranſiens per Ægyptum, Judæorum ædes ab Ægyptiacis ſecerneret, inſolens non erat quod poſtea juxta communem uſum victimam ob tranſitum Domini inſtitutam nomine *tranſitus* inſigniret. Quod ſi autem obſtinate contendant agnum paſchalem vocatum eſſe *phaſe* ſeu *tranſitum Domini*, quod eſſet illius ſignum; non admodum reſiſtemus: neque tamen inde quidquam proficient. Jam enim *ſupra* monuimus nomina rerum ſignificatarum tribui poſſe ſignis, cum pro ſignis jam conſiderantur, & ſollicitus eſt tantum auditor quarumnam rerum illa ſigna ſint. Atqui cum iſtud de agno paſchali pronunciavit Deus, *Eſt enim phaſe, id eſt tranſitus Domini*, jam multiplici ratione excitati erant animi Judæorum, ad figuram aliquam ac myſterium in eo quærendum. 1. Enim Deus eum immolari juſſerat. Omnis autem victima ob aliquem finem mactatur. 2. In delectu agni & in ſanguinis ejus uſu, & in manducationis ritu plurima imperaverat, quæ non tantum extra ordinem epularum vulgarium erant, ſed & myſticas quaſdam rationes omnino ſpirabant: v. g. quod unus in unaquaque familia, nec aliter quam aſſus, & cum azymis lactucifque agreſtibus comederetur: quod ejus oſſa confringi non oporteret, quod ejus ſanguine poſtes oſtii tingeren-

gerentur: quod nihil residui de eo esse deberet in sequens mane: quod renes accingendi, & calceandi pedes, baculique tenendi forent præ manibus. Hæc sane a vulgaribus usibus adeo abhorrentia hanc illico in cujuslibet mente quæstionem movebant, quidnam sibi vellent, quænam esset ista religio, ut etiam notatur *versu* 27. Quamobrem animis in hunc modum præparatis dicere potuisset Deus, *Est enim phase, seu transitus Domini*, quod ejus esset imago. At huic nihil simile occurrit in suprema Christi cœna. Ergo comparatio inter illa instituta claudicat.

3. Quod spectat ad verba Christi in ipsa sacramenti institutione, quæ pluribus figuris referta videntur, dicimus latissime esse fusum figurarum genus. Proinde cum intra hoc genus aliæ sint legitimæ, aliæ ineptæ prorsus & absurdæ; neque absurdæ legitimis detrahunt auctoritatem, neque legitimis absurdæ excusari possunt. Omnes enim propriis ponderibus examinandæ sunt. Porro *supra* evicimus insulsam omnino fore Christi orationem, si corporis sui signum ac figuram duntaxat tradere voluisset. Eæ autem quas opponunt, non sunt ejusdem rationis. 1. Enim calicem pro vino in eo contento dicere tam pervulgatum est, nihil ut ea metonymia notius esse queat. 2. Quod in calice eodem porrigendo signum supremæ Christi jamjam morituri in nos propensissimæ voluntatis testamentum affirmetur, adeo insolens non est, ut non alia fere ratione loquamur. Vox enim *testamenti* non tam ultimam hominis alicujus voluntatem, quam instrumentum ipsum, quo eam exprimit, significat. Calix autem hujus Christi in nos benignæ voluntatis signum, pignus ac instrumentum fuit. Quanquam & si concederemus signum ipsum testamenti esse illic *testamenti* nomine donatum, nihil hinc incommodi oriretur. Ut enim quædam signa sunt, quæ per se significant: ita contra res quædam sunt quæ significari per se postulant. Hujus autem postremi generis sunt fœdera ac testamenta. Cum enim ex natura sua spiritualia sint, & hominum tamen memoriæ commendari debeant, signis exterioribus opus habent ut effectus suos sortiantur. Cum vero omnes in eo nationes consentiant, non potest in fœderis ac testamenti mentione monimentum illud exterius, cui alligata sunt, memorari, quin illud monimentum statim pro signo habeatur: atque adeo citra ulteriorem ullam aliam præparationem statim de eo res ipsa potest affirmari. 3. Tandem eadem facilitate retundimus inanem illam argutiam, quam repetunt ex fractione & effusione, quæ in Eucharistia sunt tantum sub quadam imagine: ex quo consequens esse ajunt, quod ipsum Christi corpus ibidem non sit nisi in signo ac figura. Observandum est enim corpori tribui solere inter loquendum, quæ involucris, quibus tegitur, tantum conveniant: sic Christus in Evangelio quærit, *Quis me tetigit?* cum mulier ejus pallii fimbriam tantum tetigisset: sic hominem madidum dicimus, cujus vestimenta madida fuerint. Cum itaque corpus Christi foret sub pane qui frangere-

tur,

tur, & sanguis sub vino quod effunderetur, juxta communem ac tritum loquendi modum corpus ipsum dictum est *frangi*, & sanguis *fundi*.

Objicies 2. Verba Christi ut sonant accipi non possunt, quasi Eucharistia sit ipsum Christi corpus.

Nempe in ista propositione, *Hoc est corpus meum*, pronomen, *hoc*, vel demonstrat corpus Christi, vel panem, vel speciem panis remanentem, vel substantiam quamdam vagam & indeterminatam.

Atqui 1. non significat nec demonstrat corpus Christi. Nondum enim erat corpus Christi, cum proferretur; & præterea inepta foret propositio. Idem enim esset ac si dixisset Christus, *Corpus meum est corpus meum*.

2. Non significat speciem panis. Non enim species panis est corpus Christi.

3. Eadem de causa non significat substantiam quamdam vagam & indeterminatam: corpus enim Christi non est substantia vaga & indeterminata.

Ergo significat panem, quem præ manibus tenebat Christus, cum ista pronunciaret, *Hoc est corpus meum*. Pronomen enim *hoc* est demonstrativus rei præsentis. Atqui panis non potest esse reipsa corpus Christi: esset enim panis & non panis: si quidem panis ac corporis humani diversa omnino est substantia. Proinde de pane affirmari non potest, quod sit corpus Christi. Ergo panis dictus est corpus Christi, eo quod ejus figura esset.

Respondeo non modo varias esse super isto pronomine hæreticorum pugnas, quas Bellarminus & alii recensent; sed etiam multas catholicorum de eo opiniones. Tres autem potissimum in scholis celebrantur.

Prima est eorum, qui volunt *hoc* nomine demonstratum esse panem, qui præsens erat, cum pronomen *hoc* proferebatur.

Secunda est illorum, qui censent pronomen *hoc* referri oportuisse ad corpus ipsum, quocum in fine propositionis conjungitur.

Tertia eorum, qui contendunt eo significatam esse tantum rem præsentem, quæcunque tandem illa sit, sive panis sive corpus Christi.

Non enim hic memoramus sententiam Innocentii III. summi pontificis in opere *de mysterio altaris libro* 4. *capit.* 6. quod privatus adhuc scripsit, Durandi, *libro* 4. *de divinis officiis capit.* 41. *num.* 15. Odonis Cameracensis, *in canonem* Benedixit; Catharini *in libello ea de re peculiari*, quem tempore ipso edidit, quo synodus Tridentina habebatur, & aliorum, qui putant Christum occulta vi corpus suum consecrasse, antequam illud porrigeret: atque adeo, cum dixit, *Hoc est corpus meum*, propositionem fuisse mere, ut ajunt, speculativam, quæ nihil efficeret, sed factum corpus supponeret. Proinde in ea pronomen *hoc*, quod vices subjecti gerit, significasse ipsum corpus Christi, quod tenet locum attributi, ut in reliquis id genus

propositionibus affirmantibus. Addunt iidem nunc effici contra a Deo corpus Christi ad pronunciationem istorum Christi verborum, *Hoc est corpus meum*, dum ea in historiæ modum recitant sacerdotes, ita ut pronomen *hoc*, cum illud protulit Christus, ipsum ejus corpus demonstraret jam factum: nunc autem nihil omnino demonstret; sed indicet tantum quid olim factum fuerit. Hæc sententia omnes omnino tricas expedit, quas hic nectunt hæretici. Quamvis autem notetur illa temeritatis ab aliquibus, eo quod adversatur vulgari placito theologorum, qui hanc propositionem, *Hoc est corpus meum*, tum in Christo, tum in sacerdotibus, vim effectricem habuisse & hactenus habere decernunt, cum non sit ab Ecclesia proscripta, eam sane amplecti non vereremur, si nulla alia nobis ad difficultatem explicandam via suppeteret.

Verum cum nulli ex superioribus sententiis, quæ maxime probantur, desit probabilis ratio solvendi istius nodi, hanc postremam omittimus.

Porro ut quid ea de re sentiamus palam fiat, dicimus tres istas priores opiniones esse simul conjungendas, ita ut pronomen *hoc* significet sub generali quadam notione sibi propria rem præsentem, & pro vario temporis puncto speciatim insuper demonstret modo panem, modo corpus Christi.

Quod ut intelligatur, notandum est ex logicis 1. verborum, quibus certæ propositiones constant, duplicem aliquando esse notionem; aliam propriam ac peculiarem, quam voces ipsæ præ se ferunt, aliam quam vocum occasione, quasi accessionis loco, mens adjicit ex adjunctis: sic istæ propositiones; *mentiris*; &, *non ignoras rem aliter esse, quam affirmes*, si pronunciatum ipsum spectes, unum & idem sonant ambæ: si notiones, quas excitant, longe aliud: prima enim præter falsi ideam, injuriæ ac contemptus significationem, altera contra cujusdam observantiæ speciem ingerit.

2. Hanc notionum significatarum & excitatarum distinctionem locum imprimis habere, ubi pronomen aliquod demonstrans ac præsertim *hoc* usurpatur: *hoc* enim idem est quod *hæc res præsens*: atque adeo in objecto nihil distinctum ac peculiare designat; sed illud tantum exprimit sub aliqua ratione generali & confusa rei præsentis, quæ omni promiscue rei præsenti ex æquo eadem convenire queat. Atque hæc est significatio propria ac nativa pronominis *hoc*. Sed cum demonstret tamen rem præsentem; mens eo excitata & in rem istam intendens, a confusa ac generali notione rei, quam pronomen exhibet, vulgo ad clariorem ac magis distinctam ideam per se transit, quam de suo adjicit. Ita si quis adamantem ostendens dicat, *Hoc est pretii carioris*; pronomen quidem *hoc* præ se feret tantum generalem quamdam ac confusam rei præsentis notionem: sed animus illico progredietur, & adamantis propriam ideam statim cudet: hoc autem idem si deinceps quis pronunciat de vino, *Hoc etiam est pretii carioris*; pronomen *hoc* unam & eamdem in mente

per se effinget notionem, quam ubi de adamante, id est generalem ac confusam duntaxat rei præsentis, quæ utrumque ex æquo eadem complectitur: sed mens aliam protinus adjunget, qua vinum ab adamante separabit.

3. Multas esse propositiones, in quibus subjectum sit specie unum, reipsa autem multiplex. Id autem contingit, cum multa sibi invicem succedunt in eodem loco similia, quæ in eadem communi ac confusa ratione conveniunt, & eodem vocabulo exprimuntur: sic de ædibus nostris dicimus easdem olim fuisse angustas & humiles, nunc esse magnificas: non sunt profecto eædem ædes; sed quia in aliquo conveniunt, spectantur sub imagine confusa, velut aliquid unum, cui diversa pro variis temporibus attribuimus. Ita jactabat olim Augustus se, cum imperium capesseret, Romam invenisse lateritiam, eam autem relinquere se marmoream; non quod eadem esset accurate Roma nova ac vetus; sed quod in eamdem & obscuram ideam utraque congrueret.

4. Certas a logicis propositiones dici complexas, eas videlicet, quarum subjectum aut attributum propositionem aliam in se incidentem includunt, qualis est ista, *Omnis qui invocaverit nomen Domini*, *salvus erit*.

5. Quoties aliqua sibi invicem succedunt, ac præsertim in se convertuntur, perinde esse: si duæ propositiones fiant pro variis temporum punctis, quæ in ea conversione distinguuntur, aut si fiat una complexa pro toto mutationis tempore: sic cum Christus in nuptiis convertit aquam in vinum, potuit dicere, quandiu aqua fuit, *hoc est aqua*; & statim atque vinum esse cœpit, potuit dicere, *hoc est vinum*: aut complectens utrumque simul tempus, aquæ nempe desinentis, & vini incipientis, potuit dicere, *hoc*, *quod est aqua in hoc momento*, *est vinum in isto*; ita commetiens dictum suum, ut propositionem absolveret ad id præcise temporis punctum, quo vinum esse cœpit.

6. Hujusmodi propositionem complexam posse in simpliciorem verbis saltem tenus resolvi, suppressione propositionis adjunctæ & incidentis, quam supplet per se animus. Sic Christus incipiens ab ultimo aquæ momento & finiens ad primum quo vinum esse cœpit, poterat simpliciter dicere, *Hoc est vinum*: mens enim satis pervidebat pronomine *hoc* demonstrari in primo temporis puncto aquam præsentem, in secundo vinum. Ista autem simplex propositio eadem est cum complexa; utrimque enim idem est subjectum & attributum: aut potius complexa ipsa est, si rem, non verba spectes: recisam enim propositionem per se necessario supplet animus.

Jam ut ista ad argumentum nostrum transferamus, Christus cum panem convertit in corpus suum, vidit profecto ultimum temporis punctum, quo panis esse desiit, & primum, quo corpus ejus esse cœpit: proinde dicere potuit ad hoc ultimum usque temporis punctum, *Hoc est panis*; & in consequenti momento, *Hoc est corpus meum*. In utraque propositi-

positione pronomen *hoc* per se tantum significasset rem præsentem confusa quadam ac generali notione : sed demonstrasset pro variis temporis punctis, modo panem, modo corpus. Una itaque & eadem idea seu significatio fuisset pronominis in utraque propositione; sed duplex extitisset demonstratio, altera transiens panis desinentis, & altera permanens corporis deinceps existentis.

Cum autem panis & corpus Christi sibi invicem succederent, & in eamdem ideam rei præsentis confusam concurrerent, quæ uno vocabulo designari posset, per consequens Christus affirmare potuisset, *Hoc quod in isto momento est panis, est jam corpus meum*. Si autem potuit dicere, *Hoc quod in isto momento est panis, est jam corpus meum*, dici quoque fas fuit, *Hoc est corpus meum*.

In isto porro Christi pronunciato *Hoc est corpus meum*, pronomen *hoc* ex propria sibi notione ab initio propositionis usque ad finem significat tantum rem præsentem sub imagine quadam confusa, quæ variis rebus æqualiter potest applicari; non significat autem proprie, directe ac distincte & explicate, neque panem, neque corpus Christi. Significat, inquam, explicate tantum ac proprie rem præsentem, quæcunque ea esset: ea enim vis est pronomis *hoc*: in eo enim a nominibus secernitur, quod nomina ideam quamdam peculiarem, distinctam & explicatam certæ cujusdam rei effingant; pronomen autem duntaxat confusam. Non significat autem per se panem nec corpus Christi: hæ enim res certe sunt ac determinatæ; fieri autem non potest, ut res certa, distincta ac determinata pronomine *hoc* significetur. Quamvis autem neque panem neque corpus Christi pronomen *hoc* in propositione Christi significaverit, dubitari non potest, quin utriusque ideam diversis temporibus excitaverit; adeoque aliquatenus utrumque designaverit. Initio enim propositionis, ideæ generali rei præsentis, quam præ se pronomen ingerebat, mens apostolorum per se adjecit panis notionem, qui tunc præsens erat, ad finem autem propositionis eidem ideæ generali ac confusæ, quæ semper una remansit, adjecerunt illi notionem corporis Christi, quod tunc aderat & exprimebatur. Multum autem differt idea, quam vox significat, ab ea quam excitat. Frustra ergo desudant Calviniani, ut probent panis notionem initio propositionis in mentem apostolorum venisse: id enim non negamus: sed quomodo venerit inquirimus. Contendimus enim priori ideæ, quæ generalis tantum erat, eam supervenisse, & eadem manente idea confusa rei præsentis eam recessisse, simul atque alia, nempe corporis Christi, accessit in fine propositionis. Idea autem illa generalis, ut pote suspensa, poterat eadem & illæsa semper manens absque ullo sui detrimento sub se pati varias notiones peculiares sibi invicem succedentes. Quapropter apostoli ideam generalem rei præsentis, quam significabat pronomen, primo cum idea distincta panis, propositione quadam, ut ajunt, incidenti conjunxerunt: deinde autem cum distincta notione corporis Christi: proinde cum corpus Christi advenit ad

finem propositionis, corporis præsentia ac notio eos quidem compulit ut adscititiam ac pugnantem panis ideam ab animo expellerent; non vero ut generalem ideam rei præsentis necessario mutarent.

Itaque nihil jam superest difficultatis, aut nulla saltem est difficultas, quæ non eadem pariter recidat in universas id genus propositiones. Fingamus enim v. g. Deum cum e limo efformavit hominem, dixisse, *Hoc est homo*; cum vertit uxorem Loth in statuam salis, *Hoc est statua salis*; Mosen, cum aquam in sanguinem, & virgam in serpentem mutaret, dixisse, *Hoc est sanguis; Hoc est serpens*; Christum in nuptiis, dum ex aqua vinum faceret, *Hoc est vinum*; ita ut istæ propositiones inchoatæ fuerint cum nondum fuissent mutatæ, & in id præcise tempus desierint quo mutatio peracta est; fingamus hominem eadem ratione, dum pulveri pyrio ignem admovet, dicere, *Hoc est ignis*; hujusmodi propositiones nihil absurdi continent, atque adeo a Calvinianis ut legitimæ admitti debent. Quæramus igitur ab iis, an in isto v. g. Christi in nuptiis, ut sumimus, dicto, *Hoc est vinum*, pronomen supponeret pro aqua quæ tunc initio præsens erat, an pro vino quod in fine præsens fuit, an vero substantiam quamdam vagam designaret. Quidquid ad hoc vel alia exempla reponent, & nos reponemus. Imo illæ omnes propositiones nullum fere nodum habent, quem non patiantur quam plurimæ aliæ, quæ in ore omnium versantur: ut si Italos ostendens dicam, *Hic populus omnium olim fortissimus, nunc omnium mollissimus est*. Si enim de iis adversarios interrogemus, respondebunt profecto rectas esse ejusmodi propositiones, non quod limus idem manens sit aut esse possit homo, aut mulier statua salis, aut aqua sanguis, aut virga serpens, aut aqua vinum, aut pulvis pyrius ignis, aut iidem Itali sint qui olim extiterunt, & nunc sunt; sed quod istæ propositiones specie simplices, revera compositæ sint, ita ut duo reipsa sint subjecta uno ac singulari nomine aut pronomine expressa, quod in eamdem obscuram ideam confluant.

INSTABIS. Nullum dubium est quin pronomen hoc initio saltem propositionis supponat pro pane. Atqui non potuisset de pane citra metaphoram pronunciari, *Panis est corpus meum*. Ergo metaphorica quoque est ista propositio, *Hoc est corpus meum*: atque adeo figuræ sensum præ se fert.

RESPONDEO 1. ad majorem, pronomen *hoc* supponere simul, & pro pane qui præsens initio esset, & pro corpore Christi quod præsens postmodum fuit: *hoc* enim idem est quod *res præsens*. Atqui res præsens initio propositionis fuit panis; ad finem vero corpus Christi. Itaque pronomen, *hoc*, specie unum, revera duplex est: vices enim gerit duorum subjectorum: quia si sententiam ipsam spectes, duplex est propositio: in prima copulatur cum pane, qui tacebatur ore, & animo intelligebatur; in secunda cum corpore, quod pani mutato succedebat. Idem enim est ac si dixisset Christus, *Hoc, quod est panis, jam est corpus meum*. Atqui istud omnino admittendum est, ubicunque conversio aliqua exprimi-

mitur. Non enim res eadem est initio, quæ in fine. Subjectum porro ordinem semper habet ad attributum, & ab eo determinationem accipit: sensus enim propositionis suspensus est, quamdiu non est absoluta propositio, & nisi expleta ea fuerit, expletus dici non potest.

RESPONDEO 2. ad minorem: si dixisset Christus, *Panis est corpus meum*, metaphoricam quidem futuram fuisse propositionem, sed non eo genere metaphoræ, qua de signo affirmatur res significata: metaphorica, inquam, fuisset ista propositio. Metaphora enim est accommodata translatio ac mutatio notionum. Genus autem illud est latissimum. At si Christus dixisset, *Panis est corpus meum*, apostoli sine dubio verbis ejus fidem habuissent: proinde cum panis idem manens non possit esse corpus Christi, satis intellexissent panem esse mutatum in corpus: atque ita principio propositionis *panis* vocem pro ipsâ peculiari substantia panis, qui præsens erat, accepissent; sed ad finem propositionis, audito nomine *corporis*, præconceptam notionem mutassent, & vocabulum illud de cætero, non ut proprietatis nomen, sed ut meræ designationis vocem sumpsissent. Ergo mataphorica eo in casu propositio fuisset; sed non ita ut de signo res significata idcirco affirmaretur. Nimium enim inepta est hujus generis locutio in prima signi institutione, quam ut Christo attribuatur. Sic autem Calviniani ratiocinantur, quasi unius hujus tantum modi essent metaphoræ, & quasi eo ipso quod admittenda sit aliqua metaphora, continuo agnoscenda illa sit figurativa, quam somniant; in quo graviter hallucinantur, & incautos fallere volunt. Ea enim propositio, *Panis est corpus meum*, metaphorica fuisset, & tamen luculenter præsentiam realem significasset.

RESPONDEO 3. ad consequentiam, eam omnino fallacem esse, ac prorsus negandam: ut enim scholæ loquuntur, quadruplex est terminus, quod est vitium summum in argumentatione: quadruplex, inquam, non vocum, sed notionum numero. Pronomen enim *hoc*, re quidem idem est quod *panis*, sed non eadem est utriusque notio. Nam *hoc* significat tantum notione sibi propria rem præsentem; *panis* autem rem certam ac definitam. Porro idea rei præsentis accommodari potuit corpori Christi & cum eo conjungi, cum præsens fuit; non potuit autem idea peculiaris ac determinata substantiæ panis. Unde si nomen adhibeas *panis*, est mutatio idearum, proinde metaphora: si vero pronomen *hoc* usurpes, eadem perseverat notio, atque adeo nulla omnino metaphora est. Cæterum ut argumenti vitium demonstremus, rem ponamus in exemplo: sit aliquis v. g. qui probare velit hoc de Christo pronunciatum, *Vicit leo de tribu Juda*, non esse metaphoricum, & arguat in hunc modum: Leo de tribu Juda supponit pro Christo. Atqui si dixisset Scriptura, *Vicit Christus*, non esset propositio metaphorica. Ergo neque ista metaphorica est, *Vicit leo de tribu Juda.* Ejusdem est hoc ratiocinium cum altero formæ: absurdum autem est: quia revera quidem leo de tribu Juda & Christus sunt quid unum & idem re,

re, ſed non eadem omnino notio eſt. Chriſti enim propria eſt; leonis autem de tribu Juda eſt translatitia.

INSTABIS 2. Si pronomen *hoc* ſupponat pro re præſenti, idem erit quod individuum vagum. Atqui corpus Chriſti non eſt individuum vagum.

NEGO majorem. Hoc enim non individuum vagum, ſed rem certam, determinatam ac præſentem ſignificat, ſeu potius demonſtrat, ſub confuſa tamen ratione. Atqui res quæ præſens fuit, ad finem propoſitionis erat corpus Chriſti. Ergo potuit dici a Chriſto, *Hoc eſt corpus meum*. Monemus autem iiſdem argumentis implicari poſſe omnes ad unam propoſitiones, in quibus pronomen *hoc* uſurpatur; ſed potiſſimum in iis quæ aliquam rerum ſucceſſionem involvunt, ita ut nihil habeat catholicum dogma peculiaris difficultatis.

INSTABIS 3. Si in hoc Chriſti dicto, *Hoc eſt corpus meum*, pronomen *hoc*, ſupponit pro *corpore*, idem eſt ac ſi dixiſſet Chriſtus, *Corpus meum*. Atqui inepta & identica foret hæc poſtrema propoſitio.

RESPONDEO propoſitionem ineptam & identicam appellari, non eam cujus ſubjectum re ſit quid idem cum attributo; ſed eam cujus ſubjecto attributum nullam omnino addit novam notionem. Propoſitio enim fit, ut aliquid diſtinctius & explicatius cognoſcatur, atque adeo attributum cum ſubjecto conjunctum novam ac clariorem notitiam parere debet. Cum ergo non alia eſt utriuſque notio, propoſitio videtur identica & inepta, ut ſi dicas, *Homo eſt homo*; non eſt autem identica, quod ſubjectum ſit quid idem cum attributo; alioqui omnis propoſitio affirmans & vera, identica foret. In hoc enim poſita eſt veritas propoſitionis affirmantis, quod ſubjectum idem omnino ſit cum attributo: ut ſi dicam, *Homo eſt animal rationale*: in hac propoſitione *homo* & *animal rationale* ſunt quid unum & idem; neque propterea identica eſt, quia ideam hominis obſcuriorem diſtinctius explicat notio animalis rationalis adjuncta. Itaque etſi in hoc Chriſti pronunciato, *Hoc eſt corpus meum*, pronomen *hoc* ſupponat pro *corpore*, non idcirco ineptum illud fuerit. Pronomen enim confuſe tantum ſignificat, quod clarius evolvit nomen *corporis*. Certe ſi identica ſit eam ob cauſam iſta propoſitio, identica ſit oportet & iſta Matth. 17. 5. *Hic eſt filius meus dilectus*, & aliæ id genus innumerabiles.

OBJICIES 3. Propoſitio quælibet, ut vera ſit, debet ſupponere objecti ſui veritatem. Atqui id non poteſt dici de iſta, *Hoc eſt corpus meum*, ſi accipiatur ſenſu catholicorum; quia theologi volunt ea effici corpus Chriſti. Ergo non eſt vera, ſi catholico ſenſu intelligatur.

DISTINGUO majorem: propoſitio quælibet ſpeculativa; concedo: practica, id eſt, quæ id efficit quod enunciat; nego. Jam *ſupra* monuimus pleroſque omnes theologos ſentire hanc propoſitionem, *Hoc eſt corpus meum*, & fuiſſe in ore Chriſti, & etiamnum eſſe in ore ſacerdotum, effectricem: fuiſſe tamen nonnullos, nec infimæ notæ, qui de ea aliter exiſtimaverint.

OBJI-

Objicies 4. Scriptura frequenter innuit Christum post suam in cœlum ascensionem, non amplius in terris futurum. Ait enim Christus *Matth.* 26. 11. alloquens apostolos, *Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habetis*. 2. Petrus *Act.* 3. 21. sermonem habens ad populum Judæorum de Christo in cœlo jam existente, *Quem oportet*, inquit, *cœlum suscipere, usque in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os sanctorum suorum a seculo prophetarum*. In symbolo pariter prædicatur ascendisse in cœlum, inde tantum venturus judicare vivos & mortuos. In hoc momento maxime se jactant Calviniani, quasi præsentia realis corporis Christi in Eucharistia unum e præcipuis fidei dogmatibus aperte destrueret.

Respondeo ista sententiæ nostræ non contradicere. Contradictio enim, ut fert adagium, est de eodem sub eodem respectu. Atqui diversus hic omnino respectus, diversaque est *corporis* hic ratio: alia nempe sensibilis; alia non item. Ambas autem conciliari posse inde constat, quod nos utrumque credimus atque profitemur. Fatemur enim in terris jam non esse, eo quo pauperes habemus modo, & quo olim ipse inter homines fuit, ut in eum omnia humanitatis officia præstare possimus. Fatemur Christum non venturum e cœlo, nisi ut judicet vivos ac mortuos; neque enim necesse est ab eo cœlum deseri ut in altari se sistat: utrobique enim est; diversa tamen ratione. Certe Lutherani præsentiam realem docent, proinde ac catholici: Calviniani tamen eos, tum in concordia Wittembergensi, tum in Sandomiriensi synodo, tum in Charentonensi anno 1631. tum in Delphensi ac Dordrechtensi, ut fratres amplecti se declaraverunt. Dallæus affirmat *in sua pro Calvinianis apologia* " nullum in Lutherana doctrina venenum esse, nihil quod pieta- „ ti præjudicium faciat. " Ergo quidquid dicant Calviniani, cum in catholicos more suo declamant, admittant oportet præsentiam realem consistere posse cum symbolo fidei, nec justam esse causam secessionis, neque pro errore, ut loquuntur, fundamentali haberi posse.

§. IV.

De iis Scripturæ locis quæ de Eucharistiæ usu mentionem faciunt.

ASSERTIO.

Veritas corporis Christi in Eucharistia ex iis locis probari potest quæ Eucharistiæ usum nobis exhibent.

Probatur 1. ex capite 10. epist. 1. ad Cor. versu 16. ubi sic loquitur, *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est, & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?*

PROBATUR 2. ex capite 11. *v.* 27. Post relata verba institutionis Eucharistiæ de quibus jam abunde disputavimus, ita ait: *Itaque quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.*

In his porro multiplex est momentum in gratiam catholici dogmatis.

PRIMUM est quod ubi de Eucharistia verba fiunt, statim constanter & ubique corporis ac sanguinis Christi tanquam in ea existentium mentio fiat, ne umbra autem ac vestigium quidem sit figuræ & imaginis: quod non tantum mirum, sed absurdum etiam fuerit, si in figura ac imagine corporis tota Eucharistiæ ratio constituenda sit. Cur enim sacri scriptores id semper clare proponerent, quod non esset simpliciter intelligendum, id autem semper tacerent, quod omnibus necessario credendum foret?

SECUNDUM, quod benedictio quædam ad calicis consecrationem adhiberetur. Atque id quidem exigit fides catholica, nempe ad corpus Christi conficiendum: in sententia autem Calvinianorum prorsus est inutile ac supervacaneum; ad signum enim & imaginem consecratio non requiritur, sed institutio sufficit.

TERTIUM est, quod apostolus *cap.* 10. totus in eo esset ut Corinthios averteret a sacrificiis gentilium & ab esu carnium dæmonibus immolatarum: ab his autem eos avocat, ut notat Chrysostomus, ostendens mensam Dominicam, in qua carnem & sanguinem Christi, aliis profecto longe præstantiorem, in cibum ac potum haberent. Ergo ad propositum apostoli necessarium fuit, quod in ea proponeretur caro Christi vere edenda & sanguis ejus vere bibendus, alias nulla omnino similitudo foret, nulla vis argumenti.

QUARTUM, quod juxta Paulum multi sint qui indigne recipiant corpus ac sanguinem Christi. Inde enim dicuntur non dijudicare corpus Domini, & rei esse corporis ac sanguinis Domini. Atqui si spiritalis tantum est ac per fidem manducatio, non potest indigne recipi corpus Christi. Non potest enim recipi, quin cum fructu recipiatur. Quocirca Calviniani excludunt semper improbos a manducatione corporis Christi: Ergo etiam qui digni non sunt, corpus Christi recipiunt: non spiritu sane: ergo ore. Ergo in sacramento corpus illud substantialiter est præsens: non enim manducari posset, si in cœlo tantum existeret.

QUINTUM, quod si Eucharistia non sit reipsa corpus Christi, sed signum ejus duntaxat, quantum volueris efficax, nihil sane in eo genere illi attribui possit, quod non eodem jure in alias corporis Christi figuras aliaque sacramenta non quadret. Atqui his Apostoli sententiis longe ab iis omnibus Eucharistia secernitur. Qui enim ad eam etiam citra contemptum sacramenti sceleratus accesserit, arguitur ut impius, ut

reus

reus corporis ac sanguinis Domini, ut non dijudicans corpus Domini. At quis dicat impium eum esse, qui aliquo inquinatus crimine citra alium contemptum imaginem aliquam Christi attigerit? Quis dicat reos fuisse corporis ac sanguinis Christi Judæos illos omnes, qui manna v. g. cum pietate non comederent? Quis dicat non dijudicare corpus Domini quotquot animis non bene præparatis sacramenta cætera suscipiunt? Ergo est aliquid in Eucharistia singulare, quod reliquis non competat, quo fit ut ista ei attribuantur. Quid autem illud est, nisi ipsum Christi corpus, cujus indigne violati rei sunt quicunque illud non dijudicant.

Sextum est, quod ex eo loco sancti Patres impietatem eorum, qui haud recte Eucharistiam suscipiunt in eo collocent, quod ipsum Christi corpus indignis modis habeant. Origenes *homil.* 2. *in psal.* 37. Hieronymus *in* 1. *caput Malachiæ*; Chrysostomus *homil.* 24. *in* 1. *Cor. homil.* 83. *in Matth. & homil.* 45. *in Joan.* Theodoretus *in capit.* 11. 1. *Corin.* Hesychius *lib.* 6. *in Levit.* Theophylactus *in hunc locum* & Euthymius, qui hoc etiam crimen comparat cum immani scelere eorum, qui Christum cruci affixerunt. Ergo verum in eo sacramento corpus Christi accipitur.

Sed de Scripturis satis: jam ad veteris Ecclesiæ sensum investigandum descendamus.

§. V.

De veritate Corporis Christi ex traditione.

Ut clarius ac manifestius constet de veteris Ecclesiæ fide, singulas a Christo ætates breviter decurremus, allata hactenus e Scripturis luculenta pro dogmate catholico loca innumeris, etiam luculentioribus, si fieri possit Patrum testimoniis cumulaturi, in quo gratam sane, & perutilem operam navabimus, sed minime tamen necessariam. Observandum enim illud, quod & alibi usurpavimus, longe disparem esse nostram & adversariorum conditionem. Æquitas enim & ratio docent longe potiorem esse conditionem possidentis. Cum ergo Sacramentarii a nobis defecerint, orbemque catholicum a fide, quam a majoribus accepit, dejicere velint, ab ipsis profecto momenta quædam evidentissima & ineluctabilia nostro jure postulare possumus. Probandi itaque onus in illos incumbit: & quoniam in Scripturis vim omnem fidei suæ constituunt, deberent ex iis argumenta depromere, quibus obluctari nemo queat. Nobis autem contra satis esset, si vel ambigua forent. A Scripturis enim in eo casu ad Ecclesiam, certissimum earum interpretem, provocaremus, ita ut cum illa a nobis stet, causa vinceremus. Tum si mens ipsa Patrum quoque vetustiorum incerta appareret, ipsa sola, qua gaudemus, diuturna, & ut ita dicam, invetera-

ta

ta possessione superiores multo adhuc essemus. At longe res aliter cedit: Calviniani enim, simul atque ad examen dogmatis de Eucharistia ventum est, qui catholicos summa vi oppugnaturi videbantur, illico acie cedere, & ad defensionem sui convertere se coguntur; felices nimium, si apertam & undequaque oborientem lucem veritatis nonnullarum argutiarum objectu, & tenebrarum, quas offundunt, ope eludere possint. Hujus rei jam periculum fecimus, ubi de Scripturis agebatur. Idem in Patribus usu veniet. Ab antiquissimis post apostolos exordium ducemus.

E Seculo II.

Tres a nobis adducentur, Ignatius, Justinus, & Irenæus.

Ignatius.

Primus sese offert S. Ignatius, insignis ineunte hoc seculo martyr ac defensor fidei celeberrimus, apostolorum discipulus, & a S. Petro Antiochiæ factus episcopus, qui cum damnatus morti Romam duceretur, septem in itinere epistolas scripsit, omnium deinceps consequentium ætatum usu ac reverentia consecratas. Eæ autem cum sinceræ diu fuissent in omnium ore ac scriptis, interpolatæ sunt ævo recentiori: cui depravatæ sic postmodum placuerunt, ut genuinæ ex hominum manibus exciderent, & hactenus forte laterent, nisi eas e tenebris eduxissent ope veterum manuscriptorum Isaacus Vossius, & Jacobus Usserius. Singulari sane Dei providentia factum est, ut e communi tot nobilium ex antiquitate monumentorum naufragio servarentur, & nostra ætate detegerentur, ad obstruendum os Calvinianis, quorum multis in capitibus revincunt impietatem, & quibus idcirco admodum invisæ sunt.

Is igitur *in epistola ad Smyrnæos* (quem locum jam a mille ducentis & amplius annis laudavit Theodoretus *in* 3. *dialogo*) sic ait de quibusdam hæreticis illorum temporum, " Ab Eucharistia, & oratione abstinent " (seu ut est apud Theodoretum " Eucharistiam & oblationes " rejiciunt) eo quod non confitentur Eucharistiam carnem esse servatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est: quam Pater benignitate sua suscitavit. Qui ergo contradicunt huic dono Dei, altercantes moriuntur.

Hæc verba sunt Ignatii, seu potius in Calvinianos fulmina: ex eo enim liquet hæreticos negasse, sensisse autem contra orthodoxos Eucharistiam esse carnem Jesu Christi.

Idem autem innuit *epist. ad Philadelphienses*, quibus ita loquitur *num.* 4. " Operam date, ut una Eucharistia utamini: una enim est caro Domini nostri Jesu Christi, & unus calix in unitatem sanguinis ipsius, unum altare, sicut unus episcopus.

Quod

Quod & confirmat *in epist. ad Romanos* iis, quæ a Baronio aliisque de Eucharistia intelliguntur, vocibus: " Panem Dei volo, qui est caro
" Jesu Christi, qui ex genere Davidis, & potum volo sanguinem il-
" lius, qui est charitas incorruptibilis.

Quidquid autem sit de duobus his posterioribus locis, primus sane luculenter & manifestissime dogma catholicum prodit.

Ad illum autem duo reponunt adversarii: 1. est, vel inde argui posse epistolas illas falsi, cum nullus sit præter istum auctorem, qui hæreticos memoret ab Eucharistia abstinentes: 2. verba ista accipi posse de figura & imagine. Duplici enim modo dici posse aliquid esse carnem Christi: 1. vere: 2. signo ac efficacia tenus.

Sed ista nullius sunt ponderis, neque quidquam probant.

Non 1. tum quia nemo fere est inter veteres, qui non dicat plurima aliis indicta, ita ut si eam ob rem Ignatii epistolæ expungendæ forent, actum esset de plerisque antiquitatis monumentis; tum quia Tertullianus *de præscriptionibus cap.47.* Epiphanius *hæresi 26.* Hieronymus *in indiculo*; Augustinus *de hæresibus*, & alii nonnullos ex prioribus istis hæreticis commemorant, qui spreta communi Christianorum Eucharistia, & Eucharistiæ forma, infandam aliam & abnormem usurpabant, de qua ne plura dicam vetat pudor.

Non 2. multiplici de causa. 1. Quia si sermo ambiguus foret, in nostram potius partem, quam illorum flectendus fuisset, quippe cum iis non æquo jure certemus; sed iis omni ex parte simus superiores, omnium videlicet gentium consensione, ecclesiarum auctoritate, antiquitate dogmatis, inveterata, ut ita dicam, possessione, aliisque id genus, quibus ita adversus illos præscribimus, ut vix ac ne vix quidem ad probationem admitti, nedum absque certis & ineluctabilibus argumentis recipi possint. 2. Quia Ignatii verba non perplexa, sed aperta sunt: nulla enim expressiora fingi possunt ad explicandam nostram fidem. Nos enim ipsi non aliis utimur. Ecquid vero expressius esse queat ad significandam præsentiam carnis Christi in Eucharistia, quam si dicas eam esse carnem Domini nostri Jesu Christi, eam, inquam, ipsam carnem, quæ pro peccatis nostris passa est, & quam Pater benignitate sua suscitavit. Equidem Calviniani id genus locutiones pro ambiguis jam habent, eo quod argutiis ejusmodi assueti clarissima quæque, & manifestissima in sensus coactos, sed ipso usu jam sibi familiares, ipsa causæ suæ necessitate detorquere soleant. Sed redeundum est ad originem vocabulorum, communemque usum. Caro autem caro est, non carnis signum: nemoque unquam ante Calvinianos fuit, qui cum affirmaret Eucharistiam esse corpus Christi, eam non esse corpus Christi intellexerit aut intelligi voluerit.

Cæterum mantissæ loco adjicimus Ignatium sacrificii rationem in Eucharistia agnovisse. Altare enim, sacerdotes, & sacrificium secum invicem connexa sunt, & ab iisdem simul aut admittuntur aut repu-

dian-

diantur. Altare autem hic memorat Ignatius. Ergo & sacrificium agnovit: Porro qui Eucharistiam esse sacrificium agnoscit, is carnem & sanguinem Christi ab ea non summovet: qui autem summovent, sacrificium rejiciunt.

Nihil objiciunt Sacramentarii e germanis Ignatii operibus: quapropter ad alia pergimus.

Justinus.

PROXIMUS Ignatio est S. Justinus itidem martyr, ingenio, eruditione, religionis amore longe illustrissimus.

Ille autem *in sua ad imperatorem & Senatum Romanum pro Christianis apologia*, quæ *secunda* dicitur, cum revera prima sit, Eucharistiæ naturam & ejus conficiendæ ritus explanans, sic ait, *pag.* 97. " Deinde ei, qui fratribus præest, offertur panis & poculum aquæ, & vini; " quibus ille acceptis laudem & gloriam rerum universarum Patri per " nomen Filii & Spiritus sancti offert, & Eucharistiam, id est gratiarum actionem, pro eo quod nos donis suis hisce dignatus est, prolixe exsequitur. At ubi ille preces & gratiarum actionem absolvit, " populus, qui adest, omnis fausta approbatione acclamat, *Amen*. " *Amen* autem voce hebræa, *fiat* significat. Præsidens vero, postquam " gratiarum actionem perfecit, & populus universus apprecatione læta " eam comprobavit, qui apud nos vocantur *diaconi*, distribuunt unicuique præsentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum, & aquam, & ad absentes perferunt. Porro alimentum " hoc apud nos appellatur *Eucharistia*, quod nulli alii participare licitum est, quam veram esse doctrinam nostram credenti, & lavacro " propter remissionem peccatorum & regenerationem abluto, & ita ut " Christus tradidit, viventi. Non enim ut communem panem, neque " ut communem potum ista sumimus: sed quemadmodum per verbum " Dei caro factus, Jesus Christus, Servator noster, carnem & sanguinem salutis nostræ causa habuit; ad eumdem modum etiam eam, in " qua per preces Verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ alimoniam, unde sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Jesu carnem & sanguinem esse edocti sumus. Nam apostoli " in commentariis a se scriptis, quæ *evangelia* vocantur, ita tradiderunt sibi præcepisse Jesum: eum enim pane accepto, cum gratias egisset, dixisse, *Hoc facite in meam commemorationem, hoc est corpus meum*: " & poculo similiter accepto, & gratiis actis dixisse, *Hic est sanguis* " *meus*, & solis ipsis ea tradidisse.

In dialogo autem *cum Tryphone*, Christianæ religionis veritatem probans ex veteribus prophetarum vaticiniis, Malachiæ oraculum de offerenda Deo olim in omni loco oblatione munda, interpretatur de Eucharistiæ sacrificio: sic autem loquitur, " De nostris sacrificiis, hoc " est

„ eſt pane Euchariſtiæ & poculo Euchariſtiæ ſimiliter, quæ in omni „ loco offeruntur; prædicit hic Malachias dicens, nos Dei nomen glorificare ...... univerſos, qui per nomen (Jeſu) ſacrificia, quæ Jeſus Chriſtus præcepit fieri, hoc eſt in Euchariſtia panis & calicis quæ in omni loco a Chriſtianis fiunt, offerentes prævertens Deus „ gratos ſibi eſſe teſtatur.

Quæ quidem nobis impenſiſſime favent.

Primo enim ex eo quod ait Juſtinus Euchariſtiam non eſſe communem panem, neque communem potum, ſed Jeſu Chriſti corpus & ſanguinem, manifeſte liquet pro vero corpore ac ſanguine tunc habitam eſſe. Si enim imago tantum eſt, non corpus Chriſti, cur id, quod erat, omiſit Juſtinus; dixit vero quod non erat?

Certe figuræ ac ſigni rationem tacere nec debuiſſet nec potuiſſet, idque tribus etiam aliis graviſſimis de cauſis.

Prima eſt, quod alloqueretur imperatorem & ſenatores Romanos, qui & Euchariſtiæ inſtitutionem & ſacramentales, quas jactare ſolent e Scripturis Calviniani locutiones, & duplicem, quam uſurpant iidem, ad explicanda hujuſmodi loca, *figuræ* ac *virtutis* clavem, & cætera id genus ignorabant. Ab iis autem ſine dubio intelligi voluit Juſtinus. Non enim loquimur, niſi ea mente ut intelligamur ab auditoribus. Ergo aperte dicere debuit Euchariſtiam eſſe figuram & imaginem corporis Chriſti, ſi id tantum erat. Inepte autem dixiſſet eam eſſe corpus Chriſti. De ſigno enim affirmare rem ſignificatam, ſive in prima inſtitutione, ſive longo poſt primam inſtitutionem tempore, apud eos, qui eam neſciunt, ejuſdem omnino eſt inſulſitatis. Ipſi profecto Calviniani, ut probent propoſitionem iſtam, *Hoc eſt corpus meum*; figuræ ſenſu, licet remoto ac penitus abſtruſo, potuiſſe ab apoſtolis accipi, congerunt multa, quæ in hunc ſenſum eos inducere potuerint. Agnoſcunt igitur his opus fuiſſe apoſtolis, verba Chriſti alioqui ſimpliciter & ut ſonabant accepturis. Atqui ad eorumdem verborum intelligentiam iſta imperatori Romano ac ſenatoribus non ſuppetebant. Ergo rem ut exprimebatur accipere debuerunt. Ergo qui id longe ante vidit Juſtinus, errorem certum, craſſum & noxium prævertere quoque pro officio ſuſcepto debuit. Non prævertit. Ergo non error, ſed communis Chriſtianorum fides fuit, Euchariſtiam eſſe corpus & ſanguinem Chriſti. Nam quod ait Albertinus Euchariſtiam ita vocatam eſſe corpus Chriſti, quomodo uſitatum erat gentilibus deorum ſtatuas ipſorum deorum nominibus appellare, merum ſomnium eſt. 1. Enim plebs univerſa ſtatuas pro Diis ipſis habebat. 2. Qui videri volebant eruditiores, ii ſtatuas ſpectabant ut Deorum ſedes & domicilia, quibus illi includerentur: proinde ſi Euchariſtiam cum ſtatuis compararunt, corporis Chriſti in ea præſentiam neceſſario conceperunt. Sed eſto: fuerint nonnulli defæcatioris religionis, qui ſtatuas pro nudis deorum imaginibus habendas eſſe docuerint, & qui iis tamen, deorum nomina

attri-

attribuerent, nonne *supra* statuimus imaginibus posse rerum nomina attribui, cum imaginis ratio jam nota est; alias non posse. Atqui statuæ deorum imagines erant, tum naturali lineamentorum ductu, tum publica ac religiosa dedicatione. Nulla autem ratio fuit Gentilibus, cur panem ac vinum pro figura corporis & sanguinis Christi de hujusmodi institutione non moniti considerarent. Ergo.

SECUNDA, quod id criminis vulgo objiceretur Christianis, quod carnem humanam in sacris suis comederent, ut constat ex Tertulliano *in apologetico*: Minutio Felice *in Octavio*, & Athenagora *in apologia* ad eumdem, quem tunc affabatur Justinus, imperatorem: cur ergo hic ait Justinus Christianos manducare in iisdem carnem Christi, si caro Christi Eucharistia non erat? An imprudens? an perfidiosus? an prævaricator causæ nostræ fuit? Quæro enim an potuerit, an non potuerit dicere Eucharistiam esse tantum imaginem ac figuram corporis Christi. Si potuit, nec id in eo casu fecit, sceleris augendo suspicionem, Christianos certe prodidit, non defendit: si non potuit; ergo Eucharistia revera aliud fuit.

TERTIA denique, quod Justinus pro suscepto officio religionem christianam, quam maxime poterat, approbare voluerit Gentilibus. Nihil autem planius ac facilius est Calviniano de Eucharistia dogmate; altissimum contra est Eucharistiæ mysterium, si catholico more exponatur: ei sensus ac ratio videntur repugnare. Itaque poterat ac debebat ista odiosa difficultate fidem nostram exonerare, si res aliter se habebat, quam nos credimus: id autem poterat uno verbo præstare: non præstitit, neque id sibi præstandum judicavit. Ergo id evidenti argumento est alia ratione nec fidem constare nec exponi potuisse.

Secundo Justinus confert hic incarnationis mysterium cum Eucharistiæ sacramento, ita ut velit Eucharistiam esse carnem ac sanguinem Christi, quomodo ille carnem ac sanguinem pro nobis suscepit. Ergo ut vere & non fictitie Christus carnem induit in incarnatione; ita in Eucharistia vere carnem Christi agnovit Justinus & non tantum in imagine. Quanquam enim accuratissimæ non sunt semper comparationes, non debent sane esse ridiculæ & ineptæ. At si de Eucharistia sensisset Justinus, ut hæretici nostræ ætatis; nihil ista comparatione fuisset insulsius. In incarnatione enim veritas; in Eucharistia umbra tantum & imago extitisset. Quid autem tam dispar, quam inane & solidum? Neque ulla ars est, quæ consociare possit tam dissimilia. Quid enim hoc sibi vellet: Quemadmodum Christus carnem & sanguinem vere assumpsit, ita panem, non vere, sed improprie, carnem suam facit? Quis autem sanctissimo ac sapientissimo martyri eam insulsitatem tribui ferat? Ergo noster est; cum Calvinianus esse non possit, quin ineptus esse videatur.

Tertio credidit sanctus ille doctor, perinde ac nos, Eucharistiam esse sacrificium. At sacrificii ratio indivulsa est a præsentia

tia reali. Non enim poteſt ſacrificium ſine victima præſenti conſiſtere. Ergo.

Quarto denique, ut jam diximus ad Ignatium, verba quæ profert Juſtinus, Euchariſtiam eſſe *carnem & ſanguinem Chriſti*, perſpicua ſunt per ſeſe in noſtram ſententiam. Fruſtra ergo nos torquemus, ut iis lucem addamus. Probent adverſarii eam eſſe nativam verborum iſtorum ſignificationem, ut ſignificent *ſolam carnis Chriſti imaginem*: id evincant argumentis, ut par eſt, ſole ipſo clarioribus; & tum aures eis præbebimus. An vero, quia Calvinianis placuit communem & hactenus uſitatam vocum hujuſmodi notionem intervertere, idcirco ſtatim in novam ac perverſam eorum interpretationem concedemus?

Objicies 1. Juſtinus Euchariſtiam ibi cibum appellat, "ex quo „ ſanguis & caro noſtra per mutationem aluntur." Atqui corpore Chriſti caro & ſanguis hominum non aluntur. Ergo.

Respondeo 1. Juſtinum non aſſerere Euchariſtia ali corpora noſtra, ſed cibum ex quo ſanguis & caro noſtra per mutationem aluntur, fieri Euchariſtiam, & Euchariſtiam factum, eſſe corpus ac ſanguinem Chriſti. 2. Id affirmari tamen poſſe de ipſa Euchariſtia, non quidem penes artem interiorem, ſed penes externam. Nemo enim eſt inter catholicos, qui non fateatur alendi vim ineſſe Euchariſtiæ; ſed eam refundunt in partem externam, ſive id volente Deo præſtent ſpecies per ſeſe, ſive id fiat ope novæ cujuſdam ſubſtantiæ accedentis, & corpori Chriſti tunc recedenti ſubſtitutæ. Conſule inſuper quæ ad Damaſcenum jam pridem diximus.

Objicies 2. duo Juſtini loca *ex dialogo cum Tryphone*; primum, ubi de ſimilæ oblatione in antiqua lege præſcripta ſic habet: "Similæ „ oblatio tradita, ut offerretur pro iis qui a lepra purgabantur, ty- „ pus fuit panis Euchariſtiæ, quem Jeſus Chriſtus Dominus noſter fa- „ cere præcepit in recordationem paſſionis quam ſubſtituit pro his, „ quorum animi ab omni malitia purgantur." Secundum, in quo exponens hæc prophetæ verba, *Panis dabitur ei* (ſcilicet *in juſtitia ambulanti*) *& aqua ejus erit fidelis*, ſic ait: "Apparet in hac pro- „ phetia agi de pane, quem Chriſtus noſter facere tradidit in comme- „ morationem, quod corpus ipſe aſſumpſerit propter credentes in eum, „ quorum cauſa patibilis factus eſt, & de poculo quod in memoriam „ ſanguinis ſui facere dedit gratias agentibus." Unde duplex momentum deducit. Primum eſt: Chriſtiani non poſſunt facere proprium corpus Chriſti, ut pote quod jam ſit. Ergo panis Euchariſtiæ, quem facere jubentur, non eſt ipſum corpus Chriſti. Secundum eſt: Panis & poculum Euchariſtiæ inſtituta ſunt ex Juſtino in memoriam incarnationis ac paſſionis Chriſti. Ergo non ſunt ipſum corpus incarnatum & paſſum, nec ſanguis effuſus in cruce.

Respondeo ad primum, nomine *panis Euchariſtiæ*, quem conficiunt ſacerdotes, intelligi ipſum corpus Chriſti. Sic enim loqui amant vete-

veteres. Ita Hieronymus *ad Heliodorum epist.* 1. ait " sacerdotes apo-
„ stolico gradui succedentes Christi corpus sacro ore conficere. " Ita & passim reliqui. Certe nomine *panis* istius vel significatur panis pinsendus, vel figura corporis Christi, vel ipsum corpus. Atqui 1. non intelligitur panis pinsendus: non enim in pistrinum compegit Christus sacerdotes. 2. Non intelligitur figura & imago corporis Christi, quam facit non sacerdotum consecratio, sed Christi institutio. Ergo intelligitur de corpore ipso. Quod enim arguit Albertinus non produci, nisi quod non est, id verum sane est, ubi res primo producitur, non ubi res, quæ jam extitit, certo in loco certoque modo; aliter alibi iterum producitur.

Respondeo ad 2. a nobis non negari Eucharistiam esse monimentum tum incarnationis tum passionis Christi: duo enim ista in Eucharistia agnoscimus, & quod verum Christi corpus, & quod illius imago ac monimentum sit: nihil enim obstat, quominus aliquid sui ipsius in alio statu pignus, imago & monimentum esse queat. Sed de eo alias.

S. Irenæus.

Tertius in aciem procedit adversus Calvinianos Irenæus, Polycarpi, qui cum beato Joanne evangelista diu vixit, auditor, magni nominis martyr ac summæ auctoritatis; fidei ecclesiarum Asiæ ubi natus, & Galliæ ubi Lugdunensis præsul est factus, testis omni exceptione major.

Is igitur *libro* 4. *contra hæreses*, *cap.* 32. de sacrificio Eucharistiæ sic sententiam suam promit: " Sed & discipulis suis dans consilium, primi-
„ tias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec
„ infructuosi nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est, accepit, &
„ gratias egit dicens, *Hoc est corpus meum*, & calicem similiter qui est
„ ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est,
„ & novi testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab apisto-
„ lis accipiens, in universo mundo offert Deo; .... de quo ... Ma-
„ lachias sic præsignificavit ... *In omni loco incensum offertur nomini meo*
„ *& sacrificium purum*; .... manifestissime significans per hæc, quoniam
„ prior quidem populus cessavit offerre Deo, omni autem loco sacrificium
„ offertur Deo, & hoc purum.

Ibidem cap. 34. expositam hæresim Valentinianorum, qui Jesum Christum non conditoris mundi, sed alterius Dei filium esse contendebant,
„ in hunc modum refellit. " Quomodo autem constabit eis eum pa-
„ nem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini sui, & calicem,
„ sanguinem ejus, si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant, id
„ est Verbum ejus per quod lignum fructificat, & defluunt fontes, &
„ terra dat primum quidem fœnum, post deinde spicam, deinde ple-
„ num triticum in spica? Quomodo autem rursus dicunt carnem in

„ cor-

„ corruptionem devenire, & non percipere vitam, quæ a corpore Do„ mini & sanguine alitur. Ergo sententiam mutent aut abstineant of„ ferendo quæ prædicta sunt. Nostra autem consonans est sententia Eu„ chariſtiæ; & Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram. Offeri„ mus enim ei, quæ sunt ejus, congruenter communicationem & uni„ tatem prædicantes carnis & spiritus. Quemadmodum enim qui est a „ terra panis, percipiens invocationem Dei, jam non communis panis „ est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti; sic „ & corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corrupti„ bilia, spem resurrectionis habentia.

Ibidem capite 57. pugnans adversus Marcionem, qui dicebat Christum non conditoris mundi, sed alterius Dei esse filium, & merum hominis simulacrum extitisse, " Quomodo, inquit, juste dominus, si „ alterius patris existit, hujus conditionis, quæ est secundum nos, ac„ cipiens panem, suum corpus esse confitebatur, & temperamentum „ calicis suum sanguinem confirmavit. Et quare se filium hominis con„ fitebatur, si non eam, quæ ex homine est, generationem susti„ nuisset?

Libro autem 5, *cap.* 2. " Calicem creationis confessus est Dominus „ suum esse proprium sanguinem, quo nostrum sanguinem rigat: & pa„ nem creationis suum corpus proprium esse confirmavit (*διαβεβαιώσατο*,) „ quo nostra augentur corpora. Quando igitur & mixtus calix & con„ fectus panis suscepit Verbum Dei, & fit Eucharistia, & corpus Chri„ sti, atque ex his augetur & consistit carnis nostræ substantia, quomodo „ dicunt carnem muneris Dei capacem non esse, quæ est vita æterna, „ & eam carnem quæ Domini corpore & sanguine nutritur & fit ejus „ membrum, sicut ait B. Paulus in epistola ad Ephesios, *quia membra su„ mus corporis ejus, de carne ejus & de ossibus ejus*: non de spirituali ali„ quo & inaspectabili homine, dicens ista; *spiritus enim carnem & ossa „ non habet*, sed de vero homine ex carne & nervis & ossibus constan„ te, qui & calice ejus, qui est sanguis ipsius, nutritur, & pane, qui „ est corpus ejus, augetur, ac sicut lignum vitis in terra insitum tem„ pore suo fructificat, & granum tritici lapsum in terram ac resolutum, „ multiplex resurgit per spiritum Dei omnia continentis. Deinde vero „ ipsa per Dei sapientiam in usum hominum veniunt, & suscepto Dei „ verbo Eucharistia fiunt, quæ est corpus & sanguis Christi; ita & no„ stra corpora, quæ illa nutriuntur, atque in terra deponuntur, & in „ eam resolvuntur, suo tempore resurgent, Verbo Dei resurrectionem „ illis donante ad gloriam Dei & Patris.

1. Enim Eucharistiam sacrificium esse asserit a veteribus prophetis prædictum. At non est sacrificium, a quo victima absit. Ergo.

2. Irenæus Eucharistia diserte appellat *carnem ac sanguinem Christi*, quæ quidem voces tantum profecto roboris adducunt catholico omnium Ecclesiarum dogmati, quantum vicissim ab ea gen-

tium omnium consensione ab his ac Patrum verbis efformata lucis accipiunt.

3. Non tantum Irenæus tradit Eucharistiam esse corpus & sanguinem Christi, sed etiam proprium esse corpus & proprium sanguinem Christi. Et ne quis rem tam altam non credat, bis notat Christum illud ipsum esse confessum & firmiter asseverasse, ita ut nullus jam superesse debeat dubitandi locus. Ex quo duo argumenta depromi possunt. 1. Enim si Eucharistia est proprium Christi corpus ac proprius ejus sanguis; ergo non est corporis ejusdem figura duntaxat ac signum: non enim figura ac signum dicitur esse proprie id cujus signum est. Quis enim v. g. dicat manna fuisse propriam Christi carnem? 2. Hujusmodi locutiones supponunt in re, quæ proponebatur, esse summam difficultatem. Sollicitus enim hic maxime videtur Irenæus, ut eam persuadeat: inde est quod non dicat tantum esse *corpus*, sed *proprium corpus & sanguinem*: inde est quod confessionem Christi ac firmam veritatis istius asseverationem in medium producat, ut his quasi per se incredibilibus fidem faciat. At quænam difficultas in re his verbis expressa, si Calvinianos consulas? nulla sane. Est vero maxima, si sententiam catholicam amplectaris: ut enim *supra* notavimus, duplici capite dogma catholicum a Calviniano secernitur. 1. Est, quod Christi propositio juxta catholicos verbis aperta sit ac simplex; juxta Calvinianos autem verbis obscurior & intricatior sit. 2. Quod si rem ipsam attendas, juxta catholicos nihil sit altius, juxta Calvinianos contra nihil planius esse queat. Unde enim in eorum doctrina difficultas oriatur? an quod Eucharistia pro signo corporis Christi ab ipso instituto habenda sit? At nihil hoc captu facilius. An non enim penes Christum fuit panem & vinum & res alias, si libuisset, pro arbitrio in signa corporis sui constituere? Si profecto hoc sensu intelligatur Christi propositio, nullam in re ipsa difficultatem habebit, quam non patiatur & ista, *petra autem erat Christus*. Quis autem unquam Patres vidit in eo laborantes, ut persuaderent petram posse significare Christum. Non ergo a figuræ ratione difficultas ista profluit, quod & Albertinus ac Claudius ingenue confitentur. Ex quo igitur alio capite oriri potest? An quod Eucharistia his Christi verbis non tantum figura sit, sed figura plena, efficax, ac singulari virtute prædita? At neque istud dici potest: tum quia revera Christo facile fuit, cui vellet rei gratiam suam annectere; tum quia verba Christi, si Calviniano sensu accipiantur, non continent istam efficaciam: non enim magis verba illa, *Hoc est corpus meum*, significant panem esse figuram virtute Christi donatam, quam hæc verba, *Petra erat Christus*, significant petram habuisse virtutem Christi.

4. Irenæus eodem modo ait Christum confessum esse quod Eucharistia sit corpus suum, quomodo juxta eum Christus confessus est se esse hominem. At cum Christus confessus est se esse hominem, id vere

vere ac proprie accipi oportebat. Ergo pariter cum Eucharistia dixit esse carnem suam. Et vero si Irenæus sensit in Eucharistia carnem Christi esse figurative tantum, ut loquuntur, imprudenter admodum & incaute prorsus argumentum illud ac comparationem torsisset in Marcionem, qui statuebat Christum non fuisse nisi figura ac specie tenus hominem: dedisset enim huic hæretico ansam illico respondendi ita Christum affirmasse se hominem, quomodo affirmavit Eucharistiam esse corpus suum: juxta doctrinam autem Ecclesiarum omnium posterius hoc pronunciatum de figura tantum esse intelligendum: ergo & prius.

Imo non solum Irenæus propositionem istam *Eucharistia est corpus Christi*, confert cum illa *Christus est homo*; sed etiam, si ejus verba attentius expendantur, ex eo colligit Christum vere esse hominem, quod Christus id confessus sit. At Christus confessus quoque est Eucharistiam esse corpus suum. Ergo pari jure Eucharistia est verum Christi corpus.

5. Secundum Irenæum Eucharistia duabus rebus constat, terrena nempe ac cœlesti. At nomine illo generali *rei cœlestis* sine dubio intelligitur *corpus Christi* paulo ante speciatim memoratum.

Scilicet vocabulo *rei cœlestis* aut significatur corpus Christi absens, ut voluit Petrus Martyr; vel virtus quædam separata ac profluens a corpore Christi in cœlo existente, ut placuit Albertino; vel consecratio, ut mavult Claudius; vel corpus Christi præsens, ut nos decernimus.

Atqui non intelligitur corpus Christi absens. Insulsum enim est aliquid dici eo constare, quod in ipso non sit. Nullum quippe totum est, seu physicum, seu collectivum, quod in se partes suas non complectatur. Ecquis enim dicat imaginem regis constare tela, coloribus, & rege in Polonia v. g. versante?

Non potest etiam ea voce designari virtus quædam separata ac profluens a corpore Christi, panique indita: nam præterquam quod ea virtus purum commentum est, neque Scripturarum auctoritate, neque Patrum traditione, neque ratione fundatum; 1. non potuit sic ea virtus exprimi. Verba enim illa generalia *rei cœlestis ac terrenæ* manifeste referuntur ad ea quæ ante disertius nominata fuerant. At virtutis istius nulla ante mentio facta fuerat. Ergo. 2. Etsi daremus virtutem illam, quam fingunt Calviniani, sic exprimi potuisse, non potuit tamen Eucharistia dici constare pane & ista virtute. Res enim constituta plene intelligitur, antequam concipiatur virtus ei superveniens, neque virtus hujusmodi ut pars aliqua rei considerata fuit. Ergo.

Non potest denique ea voce notari consecratio; tum propter rationes modo allatas, tum quia insolens plane est, quod aliquid dicatur componi ex re quadam certa & consecratione: neque enim consecratio instar partis unquam habita fuit, multo minus instar partis totum aliquod constituentis, potest a Calvinianis haberi, qui eam non esse necessariam contendunt.

Ergo nomine *rei cœlestis* superest, ut significetur corpus Christi præsens, ex quo ut ex speciebus Eucharistiæ sacramentum coalescat.

6. Irenæus inde probat resurrectionem futuram corporum nostrorum, quod in recipienda Eucharistia sese nobis permisceat caro & sanguis Christi. Jam vero legitimum est id argumentum, si Eucharistia sit vere caro & sanguis Christi. Par enim est ut Christus qui resurrexit & est caput nostrum, a corruptione vindicet eos, qui sunt membra illius, non mystico tantum modo, sed quadantenus physico propter Eucharistiam, videlicet qua aluntur & quæ est caro illius, membra ejus effecti, & de carne ejus & de ossibus ejus. Mirum quippe non est si auctor vitæ contactu suo vitam largiatur, & corpus omnis corruptionis expers sit veluti semen immortalitatis iis corporibus quibuscum miscetur: cumque Eucharistia non nisi ob aliquem insignem effectum instituta sit sub specie alimenti corporalis, nemo est qui corporibus nostris, quibuscum ea admirabili ratione communicatur corpus Christi gloriosum, æternitatis quoque communionem merito non expectet. Est ergo in eo argumento vis non minima ad resurrectionem corporum ostendendam, si Eucharistia sit vere caro & sanguis Christi: nulla autem erit, si illa sit tantum signum corporis Christi. Quis enim ex eo quod figura carnis Christi contigit corpora nostra, inferat corpora nostra immortalia fore? Quis unquam Patrum, ex eo quod Judæi manna manducaverunt, eos resurrecturos olim esse demonstravit? Nonne contra Christus ipse discrimen hoc statuit inter manna & corpus suum, quod qui manna comederunt, mortui sunt; qui autem manducabunt sub panis specie corpus suum, vivent in æternum.

Reponit Albertinus resurrectionem corporum e sacramento Eucharistiæ repeti, quia est pignus immortalitatis.

Equidem. Sed primo quærimus, cur sit pignus immortalitatis? An quia Christi caro est, quæ dum recipitur in corpora nostra, vim quamdam ac jus iis inserit ad immortalitatem, an quia est duntaxat figura corporis Christi? Deinde negabant sine dubio Valentiniani, quibuscum dimicabat Irenæus, Eucharistiam esse pignus resurrectionis, quandoquidem admittebant Eucharistiam & rejiciebant nihilominus resurrectionem. An vero ex eo illos revincere se posse arbitratus est, quod non probasset ipse, & illi sane non concederent? Mera certe fuisset, ut aiunt, petitio principii, tanto viro indigna. Tandem si ea ratio pignoris in Eucharistia est fundamentum totius ratiocinationis, cur eam illic ne verbo quidem significavit, vim autem illam carnis Christi præsentiæ & contactui ascribit? Quis tam insulsam tamque ineptam loquendi rationem ascribat non Irenæo modo, sed pluribus Patribus qui eum in hoc secuti sunt, Gregorio nimirum Nysseno, Chrysostomo, Cyrillo Alexandrino, & aliis?

At, inquit Claudius, comparat sanctus doctor panem eucharisticum, dum percipit invocationem Dei, cum corporibus nostris qui ali-

aliquando immortalitatem induent. Atqui corpora nostra, cum immortalia fient, non destruentur. Ergo neque panis invocatione Dei destruitur.

Respondeo comparationes non usquequaque esse urgendas, sed intra certos fines coercendas esse. In eo autem confertur panis eucharisticus cum corporibus nostris, quod sicut panis mutatur vere, ita corpora nostra vere mutanda sint, licet non idem sit genus mutationis. Alia enim mutatio est substantiæ; alia certarum duntaxat qualitatum. Sed utraque tamen vera est & realis. Mutatio autem realis ac insignis potest afferri in similitudinem & argumentum alterius mutationis realis item ac mirificæ. At si Calvinianos sequeremur, nihil intolerabilius foret ista comparatione. Quod enim non mutatur, non potest afferri in exemplum ac probationem illius quod mutandum esse evincitur. At panis eucharisticus secundum Calvinianos vere non mutatur. Neque enim vera mutatione rei opus est, ut quod signum ante non erat, in signum deinceps pro arbitrio constituatur. Ergo panem eucharisticum inepte conferret Irenæus cum corporibus nostris immortalitate aliquando mutandis.

7. Eadem erat Ecclesiæ fides de Eucharistia, quæ Valentinianorum. Idem enim supponit evidenter Irenæus, cum alibi, tum præsertim *lib.* 4. *cap.* 34. Et vero perperam alioqui Eucharistiam adhibuisset in argumentum futuræ resurrectionis, quam probandam susceperat. Atqui Valentiniani credebant in Eucharistia vere esse corpus & sanguinem Christi. Inter eos enim Marcus quidam magus, ut refert idem Irenæus *libro* 1. *cap.* 91. " Pro calice vino mixto fingens se gratias agere, & „ multum extendens sermonem invocationis, purpureum & rubicundum „ apparere faciebat, ut putaretur ea gratia ab iis quæ sunt super om„ mnia, sanguinem suum stillare in illius calicem per invocationem „ ejus. " Id Marcus moliebatur, ut homines ad se alliceret, precesque suas majoris virtutis quam reliquorum omnium ostenderet, cum sanguinem Christi, quem cæteri sub externa specie latentem facerent, ipse sub propria specie apparentem exhiberet. At ne quidem id ei in mentem venisset, nisi communis ea fuisset omnium doctrina, quod in Eucharistia esset vere caro ac sanguis Christi. Irenæus profecto ejus dementiam ut sacrilegium non arguit, quod populis persuadere vellet in Eucharistia esse sanguinem.

Objicit 1. Albertinus. Juxta Irenæum Eucharistia & corpore Christi nutriuntur & augentur corpora nostra. Atqui vero Christi corpore nec nutriuntur nec augentur corpora nostra, cum in ea caro Christi non convertatur. Ergo Eucharistia non est verum Christi corpus, sed signo tenus duntaxat.

Respondeo 1. quosdam etiam inter hæreticos nomine *nutritionis* & *augmenti* non intelligere ea quæ jam fiunt, sed eam quæ corporibus nostris olim adveniet immortalitatem. Et certe *augmenti* vocabulo im-

mortalitatem illam exprimere consuevit Irenæus, v. g. *lib.* 4. *cap.* 24. & 75. non secus ac Tertullianus *libro de resurrectione carnis.*

RESPONDEO 2. citra ullum præsentiæ realis corporis Christi in Eucharistia detrimentum, posse asseri juxta popularem loquendi usum, quod Eucharistia nutriamur & augeamur, imo & corpore Christi; quia nutrimur, cum Eucharistiam accipimus & Eucharistia alimur, quæ est corpus Christi. Neque vero refert, quod caro ipsa Christi proprie non nutriat: sed ante nutritionem abscedat. Nam neque panis corpora nutrit, nisi cum panis esse desinit. Sufficit ergo ad hoc ut Eucharistia nutrire dicatur, quod instar alimenti in corpora nostra delabatur, & quod exinde corpora nostra alantur; sive id corpus Christi præstet per sese, seu per species superstites, sive per rem alienam in sui locum suffectam, perinde est. Potest enim ascribi corpori, quod ei convenit, quod est corpus Christi; licet id ei non conveniat, quatenus est corpus Christi. Inter loquendum enim has scholæ minutias non consectamur; & ad sensuum duntaxat testimonium voces exiguntur. Cum autem sensus in hoc negotio nihil distinguant, confusa quadam & communi notione hæc omnia involvit animus, & ea per consequens, quasi non essent distincta, profert. Profecto illi ipsi qui præsentiam realem quam qui maxime crediderunt, simili prorsus ratione etiam locuti sunt. Sic Honorius Augustodunensis *in gemma animæ*, ubi conceptis verbis docet transsubstantiationem, non minus diserte ait de Eucharistia: " Sacra„ mentum quod ore percipitur, in alimentum corporis redigitur: imo & Joannes RUSBROKIUS, recentissimus scriptor, *in speculo salutis æternæ*. " Apostoli, inquit, in cœna cum Christo omnes venerabile hoc „ perceperunt sacramentum tanquam escam corpus nutricantem, & in „ ipso sacramento singuli corpus dominicum, ut æternum cibum suum „ per fidem, amorem, & desiderium acceperunt. Ergo hujusmodi lo„ cutiones cum præsentia reali non pugnant.

OBJICIES 2. locum Irenæi apud Oecumenium *in* 1. *Petri c.* 3. in quo sanctus ille vir historiam martyrum Lugdunensium describens, sic habet: " Cum gentiles Christianorum catechumenorum servos com„ prehendissent, deinde vim inferrent, ut ab iis arcanum quid de Chri„ stianis discerent, cum hi servi non haberent, quomodo vim inferen„ tibus ad gratiam loquerentur, præterquam quod a dominis accepe„ rant, divinam communionem esse corpus & sanguinem Christi, exi„ stimantes ipsi quod vere sanguis & caro esset, hoc responderunt in„ quirentibus. Illi vero id accipientes, quasi reipsa hoc perageretur „ a Christianis, id aliis quoque manifestabant gentilibus, & martyres „ Sanctum & Blandinam fateri cogebant. Quibus scite libereque res„ pondit Blandina dicens, Quomodo hæc ferrent qui exercitationis cau„ sa ne licitis quidem carnibus vescuntur? " Ex quo arguit Albertinus colligitque Christi corpus juxta veteris Ecclesiæ doctrinam, in Eucharistia sanguinem ac carnem Christi vere non existere. Id enim ne-

gavit

gavit Blandina, quod affirmaverant servi. Atqui servi illi asseverant vere sanguinem ac carnem Christi in Eucharistia recipi: quod & eorum ignorantiæ tribuit Irenæus. Ergo.

RESPONDEO 1. hanc Blandinæ responsionem dijudicandam esse ex præconcepta gentilium de Christianis opinione. Vulgo autem tunc nostris exprobrabatur, quod carnes humanas in sacris suis vorarent. Iis imbuti præjudiciis servi illi, de quibus agitur, & in eo insuper errore confirmati, communi Christianorum de Eucharistia dogmate, quod nempe caro ac sanguis esset Christi, rati reipsa carnem humanam more solito dilaniatam ab ipsis comedi; id suppliciorum metu gentilibus declararunt. Cum ergo hi super ista re Blandinam interrogarent, quidni illam eorum mentem eamque falsam perspiciens, rite responderit id quod putabant & objiciebant, minime verum esse: quandoquidem Christiani, nedum carnem Christi Cyclopum more ut credebatur, in frusta immaniter discerptam deglutirent, ab licitis etiam carnibus pietatis causa abstinebant: negavit ergo Blandina carnem Christi ita manducari in sacris, quo modo illi gentiles autumabant, hoc est cruento: alium autem modum, ut pote non necessarium dictu, tacuit. Quod vero eum siluerit, nec ad abolendam suspicionem responderit ritu Calvinianorum panem tantum a se comedi, quem pro signo corporis Christi haberent, quod per se planum ac facile erat; illud indicat martyribus istis hunc figuræ sensum penitus ignotum extitisse. Cur enim non levassent ii hac invidia christianam religionem, si uno verbo id potuissent? Expendantur verba Blandinæ & aliorum apud Eusebium *libro* 5. *historiæ*, & statim patebit eos in hoc unum defixos fuisse, ut crimen Thyestearum epularum a Christianis depellerent. Nihil enim aliud clamabant inter ipsas tortorum manus, quam se Christianos esse, & apud Christianos hæc infanda scelera non admitti. At flagitium certe non fuerit carnem Christi in sacramento comedere.

RESPONDEO 2. mihi maxime suspectum hunc locum videri. 1. Quia nemo veterum tale quid de Irenæo retulit. OEcumenius autem recentior est, quam ut fidem certam facere possit. 2. Quia habemus apud Eusebium *lib.* 5. historiam istam martyrum Lugdunensium, nomine ecclesiarum Galliæ scriptam ad Asianas, & forte, ut nonnulli conjiciunt, manu ipsa Irenæi: quæ quidem historia, tum criminationes gentilium, tum responsiones Blandinæ, Biblidis & aliorum luculenter exhibet. In his autem de Eucharistia altum est silentium: de infantibus tantum sermo fit, quos Christiani in mensis sacris comedere ferebantur. 3. Quia Christiani apud OEcumenium finguntur a licitis etiam carnibus pietatis causa abstinuisse, quod non tantum de certis diebus, sed in universum intelligi, argumenti ratio postulat. At ea consuetudo tunc non vigebat apud Lugdunenses. Imo cum Alcibiades quidam id forte observaret, narrant ecclesiæ Galliarum id offensioni fuisse reliquis, quasi ad Montani disciplinam accederet, cœlitusque Attalo martyri fuisse re-

 vela-

velatum & imperatum, ut eum ab hujusmodi usu deinceps cohiberet. Et vero apud Eusebium non de licitis carnibus loquuntur martyres, sed de sanguine tantum, a quo religiosissime primis his seculis Christiani temperabant.

E X S E C U L O III.

Quatuor ex ea ætate nobis expendendi veniunt scriptores.

Clemens Alexandrinus.

PRIMUS occurrit Clemens presbyter, vulgo dictus Alexandrinus, quod Alexandrinis scholis summa ingenii, pietatis & eruditionis laude præfuerit.

Ex ejus vero scriptis, quod allegoricas interpretationes amaret & fere semper persequeretur, vix suppetit aliquid, unde liqueat quæ fuerit tum Ecclesiæ de Eucharistia fides.

Unum est *libro* 2. *Pædagogi cap.* 2. ubi præsentiam realem innuat: „ ibi enim de *potu* & *Verbo* ait: " Amborum autem temperatura (seu „ mixtio) potus scilicet & Verbi dicitur Eucharistia. Ex eo enim sequitur Verbum ac Christum in calice eucharistico esse.

OBJICIT autem 1. Albertinus Clementem *ibidem*; qui Christianos ad sobrietatem hortatus, post multas rationes undequaque petitas, adhibet exemplum Christi qui sobrie vino usus sit. Cujus quidem disputationis occasione, arguit per transennam Encratitas hæreticos, qui non modo aqua sola utebantur, sed etiam vinum impurum esse liquorem docebant: proinde Christum & a vino per omnem vitam abstinuisse, & abstinere porro debuisse. Sic autem loquitur: " Quomodo Domi- „ num bibisse existimatis, quando propter nos homo factus est? Adeo- „ ne impudenter ut nos? ... Certo enim scitote ipsum quoque vino „ usum esse: nam ipse quoque homo erat: & vinum benedixit & di- „ xit: *Accipite, bibite, hoc est sanguis*, sanguis vitis: sanctum enim læ- „ titiæ fluentum, verbum *pro multis effusum in peccatorum remissionem*, „ allegorice significat: & quod sobrium oportet esse eum, qui bibit per „ ea quæ in conviviis docebat, aperte ostendit: neque enim ebrius do- „ cebat. Quod autem vinum esset, id quod benedictum est, ostendit „ rursum discipulis dicens: *Non amplius bibam ex fructu vitis hujus, do-* „ *nec bibera ipsum vobiscum in regno Patris mei*. Sed & quod vinum „ foret id quod bibebatur a Domino, rursum idem de seipso dicit Ju- „ dæorum cordis duritiem exprobrans: *Venit enim filius hominis; & di-* „ *cunt, ecce homo vorax & potor vini, publicanorum amicus*. Hæc nobis fi- „ xa sint adversus eos qui vocantur Encratitæ. " Unde quadruplex argumentum sumit Albertinus. 1. Est, quod juxta Clementem Christus in Eucharistia vinum biberit. Ergo vinum etiam post consecrationem cali-

calicis mansit. 2. Est, quod juxta eumdem istorum Christi verborum, *Hic est sanguis meus*, is sensus sit; hic fructus vitis est sanguis meus: proinde metaphorica sit propositio. 3. Quod fructus ille vitis, lætitiæ fons, non sit sanguis Christi; sed allegorice significet verbum pro multis effusum in remissionem peccatorum. 4. Quod probetur Christus etiam post consecrationem verum vinum bibisse ex iis verbis, *Non amplius bibam de fructu vitis hujus*. Atque adeo hæc verba de vero vino adhuc superstite sint intelligenda. Quæ certe non satis cohærent cum iis quæ jam astruximus.

Verum ista meræ technæ sunt & cavillationes.

RESPONDEO itaque ad 1. Clementem ibi non asserere, quod Christus in Eucharistia vinum biberit; sed quod in ea vinum benedixerit: qua sola in loquendo cautione satis significat, quid de Eucharistia consecrata sentiret. Tria nempe hic probanda instituerat: 1. est, quod Christus vinum parce ac moderate sumeret; 2. quod vino uteretur vulgo: 3. quod a vino adeo non abhorreret ut illud etiam benedixerit: 1. ostendit ex eo quod in conviviis doceret: nemo autem ebrius doceat: duo autem reliqua, quorum primum facti, alterum juris quæstionem continet, sigillatim ac seorsim exponit: nempe quod vulgo vinum in potum adhiberet, & quod illud, ut pote mundum ac purum, benedixerit: hæc autem quæ sic proposuerat, deinceps ordine præpostero astruit. Ac 1. quidem ostendit Christus non aquam, sed vinum, ut „ pote purum ac mundum, benedixisse iis evangelii verbis: *Non bibam* „ *amplius de fructu vitis hujus*: 2. autem, quod vinum vulgo usurpare „ soleret, id demonstrat, quia incusabant eum Judæi, quod potator vini esset.

Ad 2. Quod Clemens censuerit, de fructu vitis seu de vino dictum esse a Christo, *Hic est sanguis meus*, id nostræ fidei non officere; imo nec efficere ut propositio ista *Hic est sanguis meus*, sit metaphorica, nedum figuræ sensu sit accipienda: quod evicimus ubi de pronomine *hoc* a nobis est disputatum.

Ad 3. Inepte illud in argumentum afferri ab Albertino: quandoquidem conceptis verbis monet Clemens, se horum Christi verborum sententiam in allegoricam interpretationem deflectere: non enim ibi volebat litteralem sensum verborum Christi proferre; sed aperire tantum mysticas rationes, cur vinum, quod lætificat cor hominis præ reliquis rebus, ad Eucharistiam assumpserit Christus.

Ad 4. Clementem ea verba, *Non amplius bibam de fructu vitis hujus*, non adduxisse ut palam faceret Christum vino in Eucharistia esse usum; sed ut conficeret Christum in ea vinum benedixisse: quod ex sola lectione patet. Potuit autem vinum benedicere; nec tamen vinum bibere: quod & reipsa accidit: nam vinum erat in calice, cum eum benedixit; sanguis autem fuit ex vino factus quem bibit.

AT, inquies, voces hæ, *genimen vitis*, si indicant vinum fuisse id

quod

quod benedixit Christus, cur junctæ istis *non bibam*, pariter aut potiori etiam jure non indicabunt vinum fuisse id quod bibit?

RESPONDEO hujus discriminis rationem repetendam esse ex Christi dicto & facto. Nimirum hæ voces, *genimen vitis*, notionem vini in mentem per se ingerunt. Ea autem notio tandiu in animo manet, quandiu nihil intervenit quod eam mutet & expellat. Porro cum Christus calicem benedixit, in quem genimen vitis fuerat immissum, nihil intercesserat, quod cogeret mentem, ut acceptam vini notionem corrigeret & abjiceret: proinde voces hæ *genimen vitis*, indicant vinum fuisse id quod benedixit Christus. At statim a benedictione, & antequam biberet, Christus medio inter illa tempore dixit, *Hic est sanguis meus*, & hoc dicendo, quod erat in calice vinum, sanguinem suum fecit. Quapropter cum calicem exinde delibavit, tunc non vinum, sed sanguis fuit. Eædem voces utrobique sunt; sed non eadem notio, quia vocum nativam notionem vini in sanguinem conversio mutavit, ita ut post consecrationem, id quod erat in calice, *genimen vitis* dicatur, non quod vinum reipsa esset, sed quod vinum ante fuisset, & vini speciem semper præ se ferret.

OBJICIES 2. quasi Clementis appendicem, Theodotum quemdam e Valentinianorum grege, cujus epitome ad calcem operum Clementis excusa est. Is autem vim ad quam consecratione evehuntur tria sacramenta, Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia, explicat in hunc modum: Panis & oleum sanctificantur virtute nominis (Christi), nec „ talia manent, qualia sumpta sunt; sed virtute in vim spiritalem sunt „ transmutata. Sic & aqua exorcizata & Baptisma facta non modo re„ tinet quod minus est (hoc est vim suam naturalem naturalesque ef„ fectus); sed etiam sanctificationem assumit (seu sanctificandi vim concipit.)" Hoc autem, inquit Albertinus, est palmarium & invictum argumentum. Affirmat enim Theodotus panem per consecrationem transmutari, non quidem in substantiam, sed in virtutem corporis Christi. Neque enim *virtutis* nomine aliud intelligi potest, quam mutatio qualitatis, cum illam mutationem auctor communem faciat aquæ baptismi, oleo unctionis, perinde ac pani eucharistico. Certum est autem aquam & oleum per consecrationem non mutari substantialiter. Ergo pariter nec panem.

RESPONDEO hoc argumento, quo triumphat Albertinus nihil esse infirmius. Componit quidem simul Theodotus tria illa sacramenta; sed in eo in quo conveniunt: tacet autem ea in quibus illa discrepant. An vero quia non recenset ea, quibus inter se differunt, idcirco non differre putabuntur? Quid vulgatius in sermone quotidiano hominum, quam multa inter se conferre, quibus inest aliquid commune, mentione non facta differentiæ, quæ alias intercedit, cum de ea notanda non agitur? An quia Albertino placet, non poterunt deinceps aliqua certo quodam in genere comparari, quin omnes statim dissimilitudinis gradus ac medii

accu-

accurate observentur. Tria vero hæc sacramenta in eo paria sunt, quod consecratione vim quamdam novam ac peculiarem acquirant ad sanctimoniam conferendam; & hoc ait Theodotus: in eo autem distinguuntur, quod virtus ejusmodi Eucharistiæ insit a Christo, qui in ea vere existit; non item in duobus aliis sacramentis: & hoc ille non explicat. Est nempe virtus duplicis generis, alia substantialis, alia accidentalis. Christus enim ipse *virtus divina* dicitur tum in Scripturis, tum a Sanctis Patribus.

Tertullianus.

Clementi suppar fuit Tertullianus, qui suam de Eucharistia sententiam longe altero clarius expressit.

1. Enim libro *de spectaculis* Christianos ab iis avocans, alludensque ad ritum in Ecclesia usitatum, ut sacerdote Eucharistiam porrigente, & dicente, *Corpus Christi*, responderetur ab accipiente. Amen; " Quale est, inquit, de Ecclesia Dei, in diaboli Ecclesiam tendere " .... ex ore, quo *amen* in sanctum protuleris, gladiatori testimo" nium reddere?

2. In libro *de Idololatria, cap.* 7. declamans adversus idolorum artifices, qui ad Eucharistiam impuris, & contaminatis eo scelere manibus accederent, " Tota die, inquit, ad hanc partem zelus fidei " perorabit, ingemens Christianum ab idolis in Ecclesiam venire, " (de adversarii officina in domum Dei) attollere ad Deum Patrem manus, matres idolorum; his manibus adorare, quæ foris adversus Deum adorantur; eas manus admovere corpori Domini, quæ Dæ" moniis corpora conferunt..... Proh scelus! semel Judæi Christo " manus intulerunt; isti quotidie corpus ejus lacessunt! o manus præ" cidendæ! "

3. In libro *de Oratione cap.* 6. exponens trifariam hæc verba, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, nempe 1. de pane communi ac vulgari; 2. de Christo qui credentium verus est panis. 3. de Eu" charistia: Corpus ejus, inquit, in pane censetur; *Hoc est corpus* " *meum*. Itaque petendo panem quotidianum, perpetuitatem postula" mus in Christo & individuitatem a corpore ejus. " *Ibidem, cap.* 14. arguens quosdam, qui putarent stationum diebus, sacrificiorum orationibus non interveniendum, quod statio solvenda esset accepto corpore Domini, quasi nempe non posset componi jejunii mœror cum lætitia ex participatione corporis Dominici: utriusque autem conciliandi viam docens, corpus acceptum videlicet reservando. " Accepto corpore " Domini, & reservato utrumque salvum est, & participatio sacrificii & " executio officii. "

4. In libro *de resurrect. carnis c.* 8. sic ait de tribus sacramentis, Baptismo, Confirmatione & Eucharistia: " Caro abluitur, ut anima " ema-

„ emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur ; caro signatur ; ut & „ anima muniatur ; caro manus impositione adumbratur, ut & anima „ Spiritu illuminetur; caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut & „ anima de Deo saginetur. " Unde infert adversus hæreticos resurrectio„ nem negantes: " Non possunt separari in mercede (anima & caro ,) quas opera conjungit,

Quæ quidem ita efficacia sunt argumenta catholici dogmatis , ut omnem effugio viam præcludant.

1. Enim si dum accipitur Eucharistia , caro nostra carne Christi vescitur, ut & anima nostra ejus divinitate saginetur , profecto Christus tunc percipitur, non tantum spiritu , & fide, quod statuunt Calviniani ; sed etiam ore, quod nos decernimus. Ecquid enim intelligitur his vescendi Christi carne verbis? An spiritalis Christi manducatio? an susceptio signi illius corporis? an oralis & realis corporis ejusdem esus? At 1. non intelligitur spiritalis Christi manducatio, ut pote cujus caro nostra capax non sit. 2. Non etiam intelligitur susceptio signi corporis Christi, quod ore corporis sumatur. Nam quatuor hic tantum recenset Tertullianus, quibus omnem communionis rem complectitur ; hinc quidem corpus , & animam hominis , qui Eucharistiam accipit, illinc carnem, & divinitatem Christi, qui accipitur: proinde quemadmodum de vera hominis carne , & anima , & de vera Christi divinitate loquitur ; sic de vero ejus corpore: alioqui verum Christi corpus in negotio communionis nullum plane locum habet, quod volunt tamen ipsi Calviniani. Ergo oportet ut de orali ac reali veri Christi corporis esu hic sermonem habeat Tertullianus.

2. *Amen* olim dici solitum in Eucharistia , dum porrigeretur a sacerdote corpus Christi , testimonium est luculentum veritatis corporis Christi in Eucharistia : *Amen* enim idem est quod *vere* , & eo fine usurpabatur , ut quod os dicebat , cor fateretur . Atqui id probat Tertullianus , & inde argumentum petit ; & idcirco Eucharistiam *Sanctum* nominat , quia nempe Christum sanctum sanctorum continet. Ergo.

Adde quod *ibidem* , ut cohibeat a spectaculis Christianos sanguini gladiatorum , qui ibi fundebatur , inhiantes , in illius locum sanguinem Christi in Ecclesia exhiberi solitum ostendat : quæ arguendi ratio exigit ut utrobique de vero sanguine , non ut de vero hinc , illinc fictitio, agatur.

3. Asserit idem esse scelus eorum , qui indignas ad Christi corpus in Eucharistia manus afferunt , quod Judæorum fuit , qui violentas in idem Christi corpus olim manus intulerunt , aut etiam majus. Atqui non potest esse idem flagitium, nisi idem sit corpus . Nam si ex una parte esset verum Christi corpus, in altera tantum imago illius , comparatio corrueret. Quamvis injuria facta imagini redundet ad ipsam personam , duo tamen animadvertenda sunt : 1. ut imagini injuria fiat, opor-

oportere ut contemptus, & violandæ personæ animus accedat : 2. injuriam etiam in eo casu minorem esse, quam si personæ ipsi inferretur. Atqui artifices idolorum, qui alias summa cum reverentia Eucharistiam tractabant, criminis incessit Tertullianus paris aut etiam majoris, quam Judæorum, hoc ipso solo, quod conscelerati eam susciperent. Ergo.

4. Tertullianus *in expositione orationis Dominicæ*, modum quo Christus fide percipitur distinguit ab eo quo corpus ejus in pane *censetur* seu esse creditur, & agnoscitur. Idem enim vox illa sonat apud jurisconsultos, quorum more loqui amat Tertullianus. Adjice quod inde colligit corpus Christi in pane censeri, quia dixit Christus : *Hoc est corpus meum*. Atqui hoc Christi pronunciatum omnem figuræ sensum excludit. Ergo.

5. Asseverat Christi corpus in Eucharistia permanere, etiam dum ea asservatur. Atqui id pugnat cum doctrina Calvinianorum, qui & Christi corpus & illius imaginem in solo Eucharistiæ usu admittunt.

6. Sacrificii vim ac notionem Eucharistiæ attribuit.

Objicit 1. Albertinus Tertullianum, qui *libro* 1. *in Marcionem*, *cap.* 14. ut demonstret Christum non fuisse adversarium conditoris mundi, sic ait : " Usque nunc nec aquam reprobavit creatoris qua suos abluit, ,, nec oleum quo suos unguit, nec mellis aut lactis societatem qua ,, suos infantat, nec panem quo ipsum corpus suum repræsentat, etiam ,, in sacramentis propriis egens mendicitatibus creatoris. " Ergo Eucharistia est tantum corporis Christi imago & figura.

Distinguo antecedens : quo corpus suum repræsentat, id est sistit præsens ; concedo : id est, quo illud significat absens ; nego. Nempe verbum istud ex primæva origine sua & pervulgato omnium auctorum usu, idem est quod *præsens exhibere* : quo etiam sensu illud frequentissime Tertullianus accipit, ut Albertinus ipse confitetur. Æquumne igitur fuerit post illa quæ de Patribus generatim, ac speciatim de Tertulliano diximus, ut vocabulum ambiguum in novatorum potius favorem, quam in Ecclesiæ gratiam inflectatur ; præsertim cum multa sint quæ ibidem in sententiam nostram inclinent. 1. Enim non ait simpliciter ; quo corpus suum repræsentat, sed quo IPSUM suum corpus repræsentat. Hujus autem pronominis vis ea est, ut difficultatem & rei insolentiam sonet. Neque enim in rebus facilibus, obviis, ac planis recte adhibetur : aliquam enim præ se fert in affirmando contentionem. At nulla difficultas omnino est, si Eucharistia ritu Calviniano intelligitur. Ergo. 2. Gradatim a cæteris sacramentis, Tertullianus ascendit ad Eucharistiam, eique peculiarem hanc dignitatem assignat, quod corpus ipsum Christi repræsentet. At si de figura tantum disputat, nihil est in ea eximium. Oleum enim potest eadem ratione dici repræsentare Spiritum sanctum. Ergo eodem modo accipiendus est Tertullianus, cum pronunciat his verbis, *Hoc est corpus meum*, repræsentatum esse ip-

sum

ſum corpus Chriſti, quomodo intelligendus eſt cum de Patre æterno loquens filium ſuum apoſtolis exhibente his vocibus, *Hic eſt filius meus dilectus*, ita habet *lib.* 4. *cap.* 22. " Itaque jam repræſentans eum, *Hic* „ *eſt filius meus*, utique ſubauditur, quem repromiſi. " Atqui in poſtrema ſine dubio, *repræſentare*, idem eſt quod *exhibere*. Ergo & in prima.

Et certe cum frequenter utatur voce *repræſentare*, ſæpius illam uſurpat pro *præſentem ſiſtere*. Sic libro *de reſurrectione carnis*, ait carnem in ultimo judicio *repræſentandam* eſſe. Libro *de Pallio*, ait, diſcipulos oppido, quod Chriſtum recipere noluit, cœleſtes ignes *repræſentari* voluiſſe. In eodem libro *de reſurrectione carnis capite* 14. " perfectionem „ judicii non niſi de totius hominis *repræſentatione* conſtare : " hominem enim in utraque ſubſtantia carnis & animæ exhibendum, quem totum oporteret judicari. *Cap.* 22. in Domini *repræſentatione* reſurrectionem faciendam : *capit.* 23. nunc contemplationem eſſe ſpei per fidem, non *repræſentationem*; nec poſſeſſionem, ſed expectationem. Ita & alibi paſſim.

Objicit 2. Tertullianum, qui *libro* 3. *cap.* 19. adverſus eumdem Marcionem diſſerens, inde conficit Chriſtum non fuiſſe orbis & antiquæ legis conditori contrarium, quia videlicet veteres figuras ac prophetias implevit. Probat autem impleviſſe, quia Jeremias v. g. prædixerat fore ut Judæi lignum aliquando in panem Chriſti mitterent. Jam vero nomine *panis* deſignatum eſſe ipſum corpus Chriſti oſtendit, quia Chriſtus poſtea *panem* corpus ſuum appellavit. Hæc ſunt verba : " Extu- „ lit .... crucem, ... ut ſecundum ſuperiorem prophetiam, exinde „ Dominus regnaret a ligno. Hoc lignum & Jeremias tibi inſinuat, „ dicturis prædicans Judæis : *Venite*, *mittamus lignum in panem ejus*, uti- „ que in corpus. Sic enim Deus in evangelio quoque veſtro (*Lucæ*) „ revelavit, *panem* corpus ſuum appellans, ut & hinc jam eum intel- „ ligas corporis ſui figuram pani dediſſe : cujus retro corpus in panem „ prophetes figuravit, ipſo Domino hoc ſacramentum poſtea interpre- „ taturo. " Unde arguit Albertinus panem a Chriſto in corporis ſui figuram inſtitutum.

Distinguo conſequens : in figuram inſtitutum eſſe apud Jeremiam, concedo : in Euchariſtia; nego. Totus igitur controverſiæ cardo in eo vertitur, an de figura veteri hic verba faciat Tertullianus, an de figura ſimul cum Euchariſtia a Chriſto inſtituta. Porro nos contendimus de antiqua figura hic eſſe ſermonem, ita ut Chriſtus jam ab ipſo Jeremiæ tempore pani figuram corporis ſui dediſſe hic affirmetur : 1. quia id poſtulat argumenti ratio. In eo namque totus erat Tertullianus, ut demonſtraret a Chriſto impletas eſſe figuras veteres. 2. Hæc ipſa locutio, " Ut & hinc jam eum intelligas pani figuram corporis ſui dediſ- „ ſe, " tempus Jeremiæ ante memoratum indicat, a quo jam figuræ rationem indiderit, quam poſtmodum impleverit. 3. Id clarius adhuc

eluceт

elucet *ex libro* 4. *cap.* 40. ubi idem argumentum & iisdem fere verbis exequitur : " Cur autem, inquit, *panem* corpus suum appellat, & non „ magis *peponem*, quem Marcion cordis loco habuit, non intelligens „ veterem fuisse istam figuram corporis Christi dicentis per Jeremiam: „ *Adversum me cogitaverunt cogitationes*, *dicentes*, *Venite*, *conjiciamus li-* „ *gnum in panem ejus*, scilicet crucem in corpus ejus. Itaque illumi- „ nator antiquitatum, quid tunc voluerit significasse *panem*, satis de- „ claravit, corpus suum vocans *panem*. " Hic enim omnia aperta sunt. Nam conceptis verbis asserit Tertullianus veterem fuisse istam figuram, & Christum, ut pote illuminatorem antiquitatum, in Eucharistia declarasse, quid tempore Jeremiæ significare voluerit. 4. Idem confirmat *libro contra Judæos*, unde superiora ad verbum fere transsumpta sunt. Sic enim ibi Tertullianus : " Extulit .... crucem ut secundum .... „ superiorem prophetiam exinde Dominus regnaret a ligno. De hoc „ enim ligno Deus insinuat per Jeremiam quod effetis dicturi : *Veni-* „ *te*, *mittamus lignum in panem ejus* . . . Utique in corpus ejus lignum „ missum est. Sic enim Christus revelavit, *panem* corpus suum appel- „ lans, cujus retro corpus in panem prophetes figuravit. " Hic enim figura omnis ad retroactam Jeremiæ ætatem refertur. In Eucharistia vero figura revelata & impleta dicitur.

Instat Albertinus. Mentionem ibi facit Tertullianus figuræ a Christo in Eucharistia institutæ. Nam si id ad Jeremiæ tempus revoces, bis idem dicet Tertullianus : statim enim addit : " Cujus retro cor- „ pus in panem prophetes figuravit. " Atque adeo in tautologiæ, ut ajunt, vitium incurreret.

Respondeo ibi non esse tautologiam, quæ inepta est ejusdem & eodem modo repetitio. Nam aliud est quod Christus nomine *panis* designari voluerit corpus suum, aliud quod Jeremias id ejus imperio etiam fecerit. Prima propositio Christum nobis exhibet, ut qui dicenda prophetis inspiraret; altera, prophetas, ut qui ejus jussa capesserent. Prima Christum ut dominum & auctorem figurarum ac prophetiarum veteris testamenti; secunda prophetas ut ejus ministros repræsentat. Atqui ista inter se differunt, imo quod prophetæ a Christo sibi singula dictante penderent, id apprime faciebat ad propositum Tertulliani, qui ostendere volebat Christi cum prophetis consensionem. Quod autem ea mens Tertulliani fuerit, liquet *ex libro* 4. *cap.* 4. ubi diserte asserit, Christum id dixisse apud Jeremiam & corpus suum apud eum nomine *panis* significati voluisse.

Instat Albertinus. Vox illa *retro* tempus aliquod anterius notat. Ergo non eodem tempore pani figuram corporis sui dedit Christus, quo corpus idem in pane propheta figuravit.

Distinguo antecedens : vox illa *retro* significat tempus anterius ea re quam respicit & cui opponitur ; concedo : ea etiam re, quam non respicit; nego. Porro hoc vocabulum *retro* non pertinet ad figuræ consti-

constitutionem a Christo tempore Jeremiæ factam; sed ad veteris figuræ interpretationem, quam postea Christus in Eucharistia instituenda dedit.

Objicit 3. Tertullianum *lib.* 4. *contra Marcionem*, *cap.* 40. in quo juxta institutum suum probans Christum non fuisse legis Mosaicæ eversorem, quippe qui figuras & prophetias ejus studiose impleverit: & obiter simul demonstrans eum fuisse etiam verum hominem, sic ait: "
„ E tot festis Judæorum paschæ diem elegit: in hoc enim sacramen-
„ tum pronunciarat Moyses: *Pascha est domini*: ideo & adfectum suum
„ ostendit: *Concupiscentia concupivi pascha edere vobiscum, antequam pa-*
„ *tiar*. O legis destructorem, qui concupierat etiam pascha servare!
„ Nimirum vervecina illum Judaica delectaret? An ipse erat, qui tan-
„ quam ovis ad victimam adduci habens, & *tanquam ovis coram ton-*
„ *dente*, sic os non aperturus, figuram sanguinis sui salutaris implere
„ concupiscebat? Poterat & ab extraneo quolibet tradi: ne dicerem &
„ in hoc psalmum expunctum: *Qui mecum panem edit, levabit in me*
„ *plantam*. Poterat & sine præmio tradi. Quanta enim opera tradito-
„ ris circa eum, qui populum coram offendens, nec tradi magis po-
„ tuisset quam invadi? Sed hoc alii competisset Christo, non qui pro-
„ phetias adimplebat: scriptum est enim: *Pro eo quod venumdedere ju-*
„ *stum*: nam & quantitatem & exitum pretii postea Juda pœnitente
„ revocati, & in emptionem dati agri figuli, sicut Evangelio Matthæi
„ continetur, Jeremias, præcanit: *Et acceperunt triginta argentea, pre-*
„ *tium appretiati vel honorati*: *&* *dederunt in agrum figuli*. Professus
„ itaque se concupiscentia concupiisse edere pascha, ut suum (indignum
„ enim ut quid alienum concupisceret Deus) acceptum panem & di-
„ stributum discipulis, corpus illum suum fecit, *Hoc est corpus meum*,
„ dicendo, id est figura corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi
„ veritatis esset corpus. Cæterum vacua res, quod est phantasma, fi-
„ guram capere non posset. Aut si propterea panem corpus sibi finxit,
„ quia corporis carebat veritate: ergo panem debuit tradere pro no-
„ bis. Faciebat ad vanitatem Marcionis, ut panis crucifigeretur: cur
„ autem *panem* corpus suum appellat, & non magis *peponem*, quem
„ Marcion cordis loco habuit? non intelligens veterem fuisse istam fi-
„ guram corporis Christi dicentis per Jeremiam: *Adversus me cogita-*
„ *verunt cogitatum dicentes*: *Venite conjiciamus lignum in panem ejus*,
„ scilicet crucem in corpus ejus. Itaque illuminator antiquitatum, quid
„ tunc voluerit significasse *panem* satis declaravit, corpus suum vocans
„ *panem*. Sic & in calicis mentione testamentum constituens sanguine
„ suo obsignatum, substantiam corporis confirmavit: nullius enim cor-
„ poris sanguis potest esse, nisi carnis. Nam & si qua corporis quali-
„ tas non carnea opponetur nobis, certe sanguinem nisi carnea non
„ habebit. Ita consistit probatio corporis de testimonio carnis: proba-
„ tio carnis de testimonio sanguinis. Ut autem & sanguinis veterem
figu-

„ figuram in vino recognoscas, aderit Esaias. *Quis*, inquit, *qui adve-*
„ *nit ex Edom? rubor vestimentorum ejus ex Bosor* .... Multo manifestius
„ Genesis in benedictione Judæ ... *Lavabit*, inquit, *in vino stolam suam*,
„ *& in sanguine uvæ amictum suum* : stolam & amictum carnem demon-
„ strans & vinum sanguinem. Ita & nunc sanguinem suum in vino con-
„ secravit, qui tunc vinum in sanguine figuravit. " Hic Achilles est Calvinianorum. Et vero, inquit Albertinus, quid apertius quam quod juxta Tertulliani, atque adeo veteris Ecclesiæ mentem istorum Christi verborum, *Hoc est corpus meum*, is sit genuinus sensus, *Hoc est figura corporis mei?*

Distinguo consequens: nihil est apertius isto sensu, si voces illæ, *id est figura corporis mei*, cadant in attributum propositionis, & explicent quomodo Eucharistia est corpus Christi; concedo: si afficiant subjectum, & indicent tantum panem, qui factus est corpus Christi, fuisse olim figuram ejusdem corporis; nego. Porro dicimus admittendum esse hic hyperbaton, & construendam esse orationem in hunc modum: *Hoc, id est panis, olim figura corporis mei, est jam corpus meum*. Ad hoc enim duo sufficiunt: primum, quod ejus generis hyperbata non sint apud Patres & apud ipsum Tertullianum infrequentia: alterum, quod illud postulet orationis series & Tertulliani propositum, ex his enim efficiemus non tantum Tertullianum ita exponi posse, sed etiam oportere. Atqui hoc utrumque verissimum est. Ac primo quidem quod hyperbata non infrequentia sint apud SS. PP. ac Tertullianum, præsertim in laudandis Scripturæ verbis, ne videlicet irreverenter sacræ orationis filum interrumpant. Ita Tertullianus libro *contra Praxeam cap.* 29. explicans illud Apostoli: *Christus mortuus est*, " Dicendo, in-
„ quit, *Christus mortuus est*, id est unctus. Id quod est unctum, mor-
„ tuum ostendit, id est carnem. Libro hoc ipso 4. *contra Marcionem* afferens & explanans illud psalmi 77. *Aperiam in parabolis os meum*.
„ *Aperiam*, inquit, *in parabolam os meum*, id est in similitudinem. Chrysostomus pariter *homil.* 55. *in Matth.* " *Supra hanc petram ædifica-*
„ *bo Ecclesiam meam*, id est fidem & confessionem. " Imo & Clemens Alexandrinus *supra*, in eodem, quo Tertullianus, casu positus, interpretans primam vocem consecrationis calicis, interpretationem illius eadem ratione transponit. Sic enim habet: „ *Hoc est sanguis meus*, fructus vitis: " quod ita reddit ipse Albertinus: hoc, id est fructus vitis, est sanguis meus: nihil ergo est cur simile hyperbaton a Tertulliano hic usurpari non potuerit. Non tantum autem id fieri potuit, sed (quod alterum est caput) id factum esse necessario dicendum est. 1. Quia id flagitat Tertulliani scopus. Pugnabat enim ut evinceret panem fuisse olim corporis Christi figuram, quam in Eucharistia implesset: atque adeo sic illi disputandum fuit: Christus panem fecit corpus suum. Atqui panis erat apud veteres prophetas figura corporis Christi. Ergo implevit veteres figuras. Primam propositionem cla-

rissime exprimit: secundam de figura olim in pane constituta exprimere quoque necessario debuit. Nullibi autem expressa cernitur, nisi in iis de quibus agitur verbis. Ergo figura, de qua controversia est, pertinet ad panem, qui est subjectum propositionis Christi. 2. Illico subjungit: *figura autem non fuisset*: quæ loquendi ratio arguit eum de præterito tempore differere. Si enim de tempore institutionis Eucharistiæ verba faceret, dicendum illi omnino fuit, *figura autem non esset*. 3. Conceptis verbis affirmat *veterem fuisse istam figuram*, & Christum in Eucharistia declarasse, quid nomine *panis* jam a tempore Jeremiæ significari voluisset. 4. Eam ob causam Christum vocat *illuminatorem antiquitatum*. 5. Ita disputat de pane, quomodo de vino. Atqui *ibidem*, cum de vino agit, diserte asseverat in eo veterem similiter figuram extitisse, & Christum, cum vinum in sanguinem consecravit, manifestasse quid tanto ante, vino figurare voluisset. Ergo. 6. Nihil optasset magis Marcion, quam quod ista Christi verba, *Hoc est corpus meum*, ita accepisset Tertullianus, ut Eucharistia tamen esset tantum corpus Christi specie & figura tenus: illico enim respondisset eodem plane modo Christum fuisse & dictum esse, *hominem*. Ergo multa sunt quæ demonstrent ita intelligendum esse Tertullianum, ut quod de figura ait, cadat in priorem propositionis Christi partem, non in posteriorem. Imo hoc ipso in loco dogma catholicum astruitur: 1. quia explicatissime asserit quod Christus acceptum panem corpus suum illum fecerit: 2. quia contendit veterem figuram corporis Christi in Eucharistia esse impletam. Porro figura corporis non nisi corporis ejusdem veritate impletur. Non enim impletur figura, nisi cum in illius locum id substituitur, quod ea promittebatur.

Origenes.

TERTULLIANUM sequitur Origenes, Clementis Alexandrini discipulus, & ejus in scholis Alexandrinis successor, appellatus olim *magister Ecclesiarum*, cujus in scriptis luculenta habemus doctrinæ nostræ testimonia.

Primus locus est *homil. 13. in Exodum*, „ Nostis, inquit, qui divi-
„ nis mysteriis interesse consuevistis, quomodo cum suscipitis corpus
„ Domini, cum omni cautela & veneratione servatis, ne ex eo parum
„ quid decidat..... Reos enim vos creditis, & recte creditis, si quid
„ inde per negligentiam decidat.

1. Eucharistia hic dicitur esse corpus Domini. 2. Dicitur esse corpus Domini, etiam dum servatur, hoc est extra usum. 3. Hæc ipsa cautio ac veneratio Christianorum in ea accipienda arguunt hanc esse vere corpus Christi. Nam si figura tantum, quorsum tanta diligentia? quasi vero figuræ aliquid decederet, etiamsi panis aliquid in terram caderet.

Secun-

Secundus est *homil.* 15. *in varia loca evangelii*: „ Quando sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum: quando vitæ pane & poculo frueris, manducas & bibis corpus & sanguinem Domini: tunc „ Dominus sub tectum tuum ingreditur: & tu ergo humilians te ipsum, „ imitare hunc centurionem, & dicito: *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum*. Ubi enim indigne ingreditur, ibi ad judicium „ ingreditur accipienti.

Expediant Calviniani qua de re hic agatur. An de spiritali corporis Christi manducatione? an de orali & reali? an de signo duntaxat? At certe non agitur hic de manducatione spiritali: ea enim indignis non competit. Non etiam de signo. Nam illud signum non est incorruptum epulum, & ad illud, dum in os ingreditur, non possunt dirigi verba ista: *Domine non sum dignus:* sed ad solum Christum. Ergo Christus in Eucharistia est non solum dignis, sed etiam indignis. Ergo vere Christi caro etiam ore accipitur: ita ut qui Eucharistiam participat, in Christo recipiendo cum centurione comparari possit.

Tertius locus sumitur *ex homil.* 7. *in Numeros*, ubi Origenes conferens dicta & facta Dei in veteri ac nova lege, tradit eum non clarius modo nobiscum, quam cum antiquis esse locutum: sed etiam eum vere & in specie nobis exhibuisse, quod olim donarat tantum in figura & ænigmate. „ Tunc in ænigmate erat manna cibus, inquit, nunc autem „ in specie caro Verbi Dei est verus cibus; sicut ipse dicit: *Quia caro* „ *mea vere est cibus.* Quæ prius in ænigmate designabantur, nunc in „ specie & veritate complentur.

Species & *veritas*, *figuræ* & *ænigmati* hic opponuntur. Atqui manna erat figura corporis Christi. Ergo idem Christi corpus in veritate jam exhibetur nobis in Eucharistia.

Quartus petitur *ex libro* 8. *contra Celsum*, in quo respondens Celso, jubenti ut Christiani gratias agerent dæmonibus, a quibus fructus terræ acciperent, " Celsus, inquit, ut Deum ignorans, dæmonibus gra„ tias agat: nos vero Deo omnium creatori complacentes, cum gratia„ rum actione & precibus, pro iis quæ nobis data sunt, panes edimus „ per preces sanctum quoddam corpus effectos & sanctificans eos qui „ cum sano proposito utuntur.

Itaque *panis* vi consecrationis corpus Christi efficitur: nullum enim aliud quam Christi corpus eo nomine hic intelligi potest.

OBJICIT Albertinus Origenem in hæc Matthæi 15. verba: *Non quod in os ingreditur, polluit hominem*, ubi sic habet: " Dixerit quispiam in hunc locum incidens, quod sicut quod ingreditur in os, non polluit „ hominem; .... ita quod ingreditur in os, non sanctificat homi„ nem, etiam si a simplicioribus credatur sanctificare, nimirum is qui „ vocatur *panis Domini*. Et est, ni fallor, oratio non contemnenda, eo „ que desiderans dilucidam expositionem, quæ mihi talis videtur. Que„ madmodum non cibus, sed conscientia cum hæsitatione vescentis pol-

 luit

„ luit edentem ; ...... ita quod sanctificatur per verbum Dei & orationem, non suapte natura sanctificat utentem. Nam si id esset, sanctificaret etiam illum qui comedit indigne .... Proinde etiam in pane Domini tum utilitas est vescendi, cum impolluta mente, puraque conscientia, particeps est illius. Sic quod ad esum per se attinet, nec ex hoc quia non edimus de pane per verbum Dei & obsecrationem sanctificato, fraudamur aliquo bono, nec ex edendo abundamus aliquo bono .... Quod si quidquid ingreditur in os, in ventrem abit, & in secessum ejicitur, & ille cibus, qui sanctificatur per verbum Dei & orationem, juxta id quod habet materiale, in ventrem abit & in secessum ejicitur ..... nec materia panis, sed super illum dictus sermo, est qui prodest non indigne Domino comedenti illum. Et hæc quidem de typico symbolicoque corpore. Multa porro & de ipso Verbo dici possent, quod factum est caro, verusque cibus, quem qui comederit, omnino vivet in æternum, quem nullus malus potest edere.

Quo quidem in loco plurima sunt, quæ adversarii objiciant.

1. Est, quod panis eucharisticus non suapte natura sanctificet comedentem, sed tantum habita ratione illius pietatis: quod non congruit in verum Christi corpus, ut pote quod præditum sit per sese virtute sanctificandi.

2. Quod panis ille in secessum abeat juxta id quod habet materiale: id autem de proprio Christi corpore asseri non potest.

3. Quod corpus sit symbolicum ac typicum: qua loquendi ratione videtur significari, quod Eucharistia non appelletur *corpus Christi*, nisi quia illius corporis est symbolum ac typus.

4. Quod distinguatur a Verbo quod factum est caro, & verus cibus, quem nemo malus potest edere.

5. Quod idem cibus sit qui accipitur, qui sanctificatur per Verbum & orationem, & qui in secessum ejicitur. Ergo nulla sit panis substantiæ in Christi corpus conversio.

Respondeo Origenem non ex professo, sed obiter tantum & quasi per transennam hic aliquid de Eucharistia injicere, ita ut non possit hinc illius de Eucharistia sententia plane depromi: nihil tamen hic esse quod nobis obsit.

Dico enim ad 1. Origenem tantum velle, quod panis eucharisticus non sit ex earum causarum numero, quæ necessario agunt, & quæ in effectibus suis neutiquam pendent a voluntariis subjecti dispositionibus. Nam si ita esset, inquit, sanctificaret etiam illum, qui indigne comedit.

Ad 2. Origenem, ut id probaret evidentius quod instituerat & jamjam exponebamus, panem eucharisticum spectare in triplici statu: 1. Est, cum assumitur in futurum Christi corpus: 2. cum consecratione jam sanctificatus est: 3. est, quando corpore Christi recedente omnia in corporibus nostris præstat ac patitur, quæ solent reliqui vulgares

gares cibi. Panem illum in primo statu considerat, cum de eo ait, quod materia panis non sanctificet, sed qui super eum dictus est sermo: ad tertium autem respicit, cum addit panem illum juxta id quod habet tunc materiale, abire in secessum; at clare non explicat hic quid ille panis sit in secundo statu: id autem alibi declarat expressissime, ut vidimus. Nam quod in hoc secundo statu admitteret corpus Christi, quod non abiret in secessum, constat quia hunc cibum vocat *incorruptum*. Certe Cyrillus Hierosolymitanus *catechesi* 5. *mystagogica*; Chrysostomus *homil. in Encæniis de Eucharistia*; Damascenus *lib.* 4. *de fide cap.* 14. conceptis verbis negant Eucharistiam in secessum emitti. Unde, quæso, id eis venit in mentem ut id observarent, si Eucharistia iis fuit verus ac communis panis. At idem profecto, quod cæteri omnes, de Eucharistia sensit Origenes. Ergo & ipse quoque existimavit Eucharistiam non abire in secessum certo in statu spectatam. Ergo aliquem statum admisit, in quo illa non esset simplex panis, sed immortale Christi corpus.

Ad 3. Eucharistiam appellari *corpus symbolicum ac typicum*, tum quia symbolis ac typis involvitur, tum quia Eucharistia est symbolum ac typus corporis Christi patientis.

Ad 4. Eucharistiam a Verbo, quod caro factum est, distingui, non penes substantiam, sed penes statum. Idem enim est corpus, sed quia sub specie panis est in Eucharistiæ sacramento, sumitur ab indignis pariter & dignis. At extra Eucharistiam non apprehenditur nec manducatur, nisi per fidem.

Ad 5. panem eucharisticum in triplici illo statu *supra* memorato eumdem esse, non re, sed notione confusa: sub communi enim ac confusa quadam cibi ratione, panem illum animus considerat a primo momento ad ultimum, quia nihil illic distinguit sensus, nihil *ibidem* secernit animus, ac sermo. Nonne simili modo quotidie dicimus panem alere, converti in nostram carnem, & in secessum emitti? Panis tamen amplius non est, cum ista omnia peraguntur.

S. Cyprianus.

CLAUDET hanc ætatem S.Cyprianus martyr, splendidum Africæ, imo totius Ecclesiæ per ea tempora lumen.

Is autem libro *de oratione Dominica*, exponens quotidiani panis petitionem: " Panis vitæ, inquit, Christus est, & panis hic omnium " non est; sed noster est, ... quia Christus, noster, qui corpus " ejus contingimus, panis est: hunc autem panem dari nobis quotidie " postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad " cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum " abstenti, & non communicantes, a cœlesti pane prohibemur, a " Christi corpore separemur, ipso prædicante & monente, *Ego sum*

„ *panis vitæ, qui de cœlo descendi. Si quis ederit de meo pane, vivet*
„ *in æternum: panis autem quem ego dedero, caro mea est pro seculi*
„ *vita*. Quando ergo dicit in æternum vivere, si quis ederit de pane
„ ejus: ut manifestum est eos vivere qui corpus ejus attingunt, &
„ Eucharistiam jure communicationis accipiunt, ita contra timendum
„ est & orandum, ne dum quis abstentus separatur a Christi corpore,
„ procul remaneat a salute: comminante ipso & dicente: *Nisi ederi-*
„ *tis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vi-*
„ *tam in vobis*.

Figuræ sensus hic omnino excluditur. Nam ad hoc duo sufficiunt: primum, quod vera sit, oralis, & realis manducatio: secundum, quod ea manducatio ad veram Christi carnem spectet. Atqui hoc utrumque ibi clarissime complectitur Cyprianus. Primum: agit enim de Eucharistiæ sacramento, quo privatur qui excommunicatione plectitur: aitque nos in eo corpus Christi contingere, attingere, manducare. Alterum: agit enim de carne Christi, quæ data est pro seculi vita, de pane vitæ, uno verbo de Christo, & ad Eucharistiam refert sextum caput Joannis, ubi Calviniani ipsi confitentur agi de vera Christi carne. Ergo.

2. In libro *de lapsis* explanans quantum eorum scelus foret, qui postquam idolis sacrificassent, citra legitimam pœnitentiam Eucharistiam sibi dari non immature tantum, sed etiam procaciter flagitabant: " Corpus Domini, inquit, invadunt: . . . vis infertur corpori ejus, &
„ sanguini: & plus modo in Deum manibus atque ore delinquunt, quam
„ cum Dominum negarunt.

An vero ita loqueretur, an istam comparationem institueret, qui Eucharistiam merum esse panem, meram esse figuram corporis Christi crederet?

Objicit 1. Albertinus eumdem Cyprianum *epist. 76. ad Magnum*, in qua sic habet: " Quando Dominus corpus suum *panem* vocat, de
„ multorum granorum adunatione congestum, populum nostrum, quem
„ portabat, indicat adunatum: & quando sanguinem suum *vinum* ap-
„ pellat, de botris atque acinis plurimis expressum atque in vinum
„ coactum, gregem item nostrum significari commixtione adunatæ mul-
„ titudinis copulatum. " Ergo Eucharistia est figura Christi & societatis fidelium.

Distinguo consequens: si rationes mysticæ spectentur, cur panis ac vinum ad Eucharistiam a Christo usurpata fuerint; concedo: si Eucharistiæ consecratæ essentia spectetur; nego. Non disputat ibi S. Cyprianus de essentia Eucharistiæ consecratæ; sed de pane, & vino, prout in se sunt, ex natura sua: inquirit autem & explicat cur ea ad Eucharistiam adhibita præ aliis rebus fuerint; aitque id fieri, quia nihil aptius erat, quod repræsentaret societatem fidelium. At ne Calviniani quidem in eo reponunt essentiam Eucharistiæ sacramenti, quod sit figura cor-

poris

poris Christi mystici, sed naturalis, ita ut hic manifesta sit Albertini fraus aut imperitia.

Objicies 2. *epistolam 63.* in qua revincit Cyprianus eos, qui aquam solam in calicem Eucharisticum immittebant, probatque vinum esse admiscendum: ait autem vinum esse adhibendum, quia vinum significat Christum.

Respondeo idem esse fere institutum in hac epistola, quod in alia: rationes enim mysticas persequitur, cur vinum sit usurpandum: vinum autem spectat, quatenus ex natura sua est; non quatenus consecratum est. Unde id ad quæstionem nostram non pertinet.

Ex Seculo IV.

Concilium Nicænum.

Concilium Nicænum *canone* 18. arguens diaconos, qui eo impudentiæ venerant, ut sacerdotibus ipsis darent communionem: " Neque „ canon, inquit, neque consuetudo tradidit, ut hi qui offerendi potesta„ tem non habent, iis qui offerunt dent corpus Christi.

Duo hic sunt quæ confodiunt Calvinianos: 1. quod Eucharistia dicatur esse corpus Christi: 2. quod dicatur offerri Deo, a quo illi abhorrent.

Gelasius Cizycenus.

Adjungi vulgo solet Concilio Nicæno Gelasius Cizycenus, licet sequentis seculi scriptor, quia diatyposes quasdam sub nomine hujus synodi edidit: in iis autem sic habet de Eucharistia: " In divina men„ sa ne humiliter intenti simus ad propositum panem & poculum; sed „ . . . . fide intelligamus situm in sacra illa mensa agnum illum Dei tol„ lentem peccata mundi, incruente a sacerdotibus immolatum: & pre„ tiosum ipsius corpus ac sanguinem vere sumentes, λαμβάνοντες, creda„ mus hæc esse nostræ resurrectionis symbola.

Ibi Gelasius loquitur de eo quod est in Eucharistia, quod situm est in sacra mensa de symbolis resurrectionis, de eo quod ore corporis sumimus: ea enim vis est verbi græci: proinde non agit de spiritali aliqua manducatione. Loquitur autem de vera carne Christi, de eo quod fide intelligendum est; de agno tollente peccata mundi: non autem de mero signo Agni illius. Denique loquitur de susceptionis modo reali: vox enim *vere* adhibetur ad expellendam omnem dubitationem, quæ locum non habet in figura. Ergo.

Eusebius Cæsariensis.

EUSEBIUS Cæsariensis *libro* 1. *demonstrat. evangelicæ cap.* 10. " Præstantius quam veteres Judæi sacerdotium, & sacrificium consecuti, non amplius integrum nobis esse putamus recidere in illa prima, & infirma elementa, quæ signa, & imagines, non ipsam veritatem continebant. " Sacrificia vetera erant dubio procul figuræ corporis Christi aliquando immolandi. Ergo si in eo distinguuntur a nostro, quod illa umbras, & imagines continerent, nostrum autem veritatem habeat, necesse est ut corpus Christi vere sit in Eucharistia.

Apud Sanctum Damascenum autem *lib.* 3. *Parallel. cap.* 15. adhuc clarius loquitur: " Spiritus sanctus, inquit, consecrat dona proposita, panisque fit pretiosum corpus Domini nostri, & potus pretiosus ejus sanguis.

OBJICIT Albertinus Eusebium *de Ecclesiastica Theologia*, adversus Marcellum Ancyranum, *lib.* 3. ubi Christum inducit, sic verba sua, *cap.* 6. *Joannis* explicantem; " Nolite putare carnem me dicere quam circumfero, quasi illam edere oporteat: nec existimate me præcipere sensibilem, & corporalem sanguinem bibere . . . . . Hæc sensibiliter audita non proderunt. " Ergo realiter caro Christi non manducatur.

DISTINGUO consequens: modo sensibili, cruento ac Capharnaitico, quem sensum unice hic excludit; concedo: non sensibili nec cruento; nego. Potest dici caro Christi manducari; potest dici non manducari, etiam in sententia catholicorum: non adeo mirum est, si utriusque generis locutiones apud Patres reperiantur. Potest dici aliquo sensu vere manducari, quia revera ore corporis sumitur, & in stomachum instar cibi descendit. Potest etiam dici non manducari: manducatio enim strictius sumpta tres actiones aut earum unam saltem postulat; nempe ut res dividatur, gustetur ac digeratur: sic aer & pilula medica manducari non dicuntur. Respiciebant autem ad ritum vulgarem comedendæ carnis Patres, dum asserebant carnem Christi a nobis non manducari.

Athanasius.

IN eo loco, quem nobis declaravit Theodor. *dial.* 2. ubi demonstraret Christum habuisse veram carnem, non specie ac figura tenus, ut somniabant hæretici: " Corpus est, inquit, cui dicit (Deus) *Sede a dextris meis*, . . . per quod corpus pontifex . . . . fuit & dictus est, dicens, per illud, quod nobis tradidit mysterium, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: & sanguis novi testamenti pro vobis effusus*; divinitas autem neque corpus, neque sanguinem habuit: sed ille quem ex Maria gestabat homo.

De

De vero corpore erat omnis quæstio. Tam ergo verum Christi corpus in Eucharistia est, quam verum corpus Christi sedet ad dextram Patris: alias favisset errori speciem ac figuram corporis dumtaxat in Christo statuenti.

Basilius.

Libro 2. *de baptismo, quæst.* 2. Judaica sacrificia cum nostro conferens, " Si tales minæ, inquit, adversus eos positæ sunt, qui temere ad ea sacra accedunt, . . . quid dicendum de eo qui in tantum ac tale mysterium temerarius est? Quanto enim majus aliquid is est templo, . . . tanto gravius & terribilius est in animæ impuritate constitutum, corpus Christi contingere, quam sic accedere ad tauros & arietes &c. " Addit autem scelus illius qui conscius peccati sacrificat corpus Christi, qui semetipsum dedit oblationem & sacrificium pro nobis, tanto esse immanius alio, quanto corpus unigeniti Dei dignitate superat carnem taurorum, & arietum.

Ergo juxta S. Basilii doctrinam ab indignis sumitur, & immolatur Christus, Christus, inquam, ut in se est, ut est major ipso Judæorum templo, quod tam spiritalem manducationem, quam figuram elidit. Ergo corpus Christi vere est in Eucharistia, non autem in imagine tantum. Nam si figura tantum, nonne Christum pariter repræsentabant vetera sacrificia, & quidem expressius, quam Eucharistia? Unde ergo ex ea parte dignitas illa infinito intervallo major? Unde tanta tamque immensa flagitii distantia?

Gregorius Nyssenus.

In *oratione catechetica*, quæ nuda est ac simplex fidei nostræ expositio de Eucharistiæ vi ad immortalitatem corporum nostrorum, sic habet *cap.* 37. " Quoniam homo est duplex, anima & corpore contemperatus, necesse est, ut qui servantur, per utrumque attingant eum qui ducit ad vitam. Ergo anima per fidem ad ipsum contemperata hinc salutem habet: . . . corpus autem alio modo venit ad participationem & contemperationem ejus qui salutem dat. Quomodo enim qui venenum sumpserunt, alio medicamento mortiferam vim extinguunt, sic etiam oportet salutare medicamentum instar lethalis veneni admitti intra viscera hominis, ut per illud in totum corpus distribuatur virtus ejus, quod fert opem, ut cum in nobis fuerit salutare hoc medicamentum, veneni damnum corpori inditum per contrariam repellat affectionem. Quid hoc ergo est? nihil aliud quam illud corpus, quod & morte ostensum fuit esse potentius, & nostræ vitæ fuit initium. Quomodo enim parum fermenti, ut dicit Apostolus, sibi assimilat totam conspersionem, ita corpus morte a Deo af-

" fectum,

„ fectum, cum fuerit in nostro, totum ad se transmutat & transfert.
„ Sed ... oportet considerare quomodo fieri potuerit, ut unum illud cor-
„ pus, quod tam multis fidelium millibus in universo terrarum orbe
„ semper dividitur, totum sigillatim sit in unoquoque, & ipsum in se
„ totum maneat ..... Fortasse ergo non procul absumus a probabili
„ ratione. Nam .... quomodo corpus, quod Deum suscepit, cum pa-
„ nis alimentum accepisset, quadam ratione idem erat cum eo alimen-
„ to .... transeunte in naturam corporis; & hic similiter panis ...
„ sanctificatur per verbum Dei & orationem: non quidem per man-
„ ducationem & potationem migrans in corpus Verbi, sed statim in
„ corpus Verbi per Verbum transmutatus, sicut dictum est a Verbo:
„ *Hoc est corpus meum* ... Quoniam ergo ... Verbum &c. Verbum
„ ideo se admiscuit infirmæ hominum naturæ, ut communione divini-
„ tatis deificaretur humanitas; ea de causa .... se per carnem inserit
„ omnibus credentibus, ... corporibus credentium contemperatus, ut
„ unione cum eo quod est immortale, homo incorruptionis particeps
„ fiat. Hæc autem dat virtus benedictionis in illud, transelementans
„ eorum quæ apparent naturam.

Egregius profecto locus, in quo nihil deest eorum, quæ illustrando ac fulciendo dogmati catholico inserviant. Certum enim est Gregorium totum hoc in loco agere de vero Christi corpore, quod ostensum est morte potentius, quod vitæ nobis initium fuit. At ibidem affirmat corpus illud idem admitti intra nostra viscera, commisceri & inseri corporibus nostris instar medicamenti & fermenti, quod corpus ac molem omnem carnis nostræ pervadat: asserit ex ea commixtione vim efficacissimam indi corporibus nostris ad immortalitatem: ait, panem transmutari in hoc Christi corpus per verba Christi, *Hoc est corpus meum*, & eodem modo transmutari, quomodo Christus, dum viveret, convertebat panem in carnem suam: affirmat vim consecrationis tantam esse, ut transelementet naturam eorum quæ apparent: denique ne quid desideretur, observat etiam, quasi ad occupandas omnes difficultates, corpus Christi unum ac totum in se semper manere, omnibus tamen ex æquo infinitis in locis distribui.

Gregorius Nazianzenus.

ORATIONE 2. *de baptismate*, in qua de variis paschatis Ægyptiaci ritibus differens, eosque transferens ad Eucharistiam, atque imprimis quod Judæi baculis innixi pascha manducarent, " Absque confusione &
„ dubio, inquit, comede corpus, & sanguinem bibe, si saltem vitæ
„ desiderio teneris: ... constans esto, firmus, & stabilis: in nulla re
„ propter sermones adversariorum (gentilium eam maducationem irri-
„ dentium) fluctues.

Hæc hortatio ad fidem huic mysterio, quasi difficillimo habendam, inepta

inepta prorsus est : si eo tantum res omnis redit, ut carnem Christi in imagine tantum accipiamus, quod est facillimum.

S. Ephrem Edessenus.

In libro *de natura Dei curiosius non scrutanda*, *cap.* 5. de Eucharistia sic habet ; " Quid scrutaris inscrutabilia? Si ista curiose rimaris, jam „ non fidelis vocaberis, sed curiosus. Esto fidelis atque innocens : par„ ticipa immaculatum corpus & sanguinem Domini tui fide plenissi„ ma, certus quod agnum ipsum integre comedas : ignis immortalis „ sunt mysteria Christi : cave ea temere scruteris, ne in ipsorum par„ ticipatione comburaris. Abraham patriarcha cœlestibus angelis terre„ nos cibos apposuit, illique eos comederunt. Ingens sane miraculum „ est, cernere spiritus incorporeos in terra carnium cibos manducan„ tes : sed hoc profecto excedit omnem admirationem, omnem men„ tem omnemque sermonem, quod nobis fecit unigenitus filius Chri„ stus, Salvator noster : ignem quippe & spiritum manducandum at„ que bibendum præstitit nobis, carne vestitis, corpus videlicet & san„ guinem suum.

Primo de vera Christi carne hic verba facit S. Ephrem. 1. Enim ad eam dirigitur fides illa firmissima, quam postulat, non ad figuram. 2. Ea sola est, quam integre comedere dici poterant Christiani ; non ipsum signum externum, cujus particulam tantum accipiebant. 3. Denique ea sola caro est, de qua dubium suboriri poterat, an illa in sacramento Eucharistiæ præstaretur : de pane enim non erat ambigendi locus. Ergo de vera carne verba facit.

Secundo non minus clare loquitur de vera ac reali manducatione, quæ fit in Eucharistia ipsa, de qua sermonem instituit.

1. Enim contextus totius orationis significat hic sermonem esse de mysterio longe altissimo ac difficillimo, ad quod summa fide opus sit. At Eucharistia nihil est planius, si eam Calvinianis ponderibus examines.

2. Vetat S. Ephrem, ne quis scrutetur hoc sacramentum ob periculum fidei inde imminens. At neque illud scrutari necesse est in doctrina Calvinianorum : & quanto plus scrutatus fueris ac meditatus, eo plus facilitatis ac fructus, juxta eos, inde consequeris.

3. Si corpus Christi mente tantum apprehendatur, & manducetur, aut in signo; an illud potest dici majus esse miraculum, quam si angeli more hominum cibos corporaliter sumant? Ergo vere, non autem tantum fide aut in typo manducatur.

4. Hæc ipsa comparatio angelorum & hominum satis arguit ita ab hominibus accipi corpus Christi cœleste, quomodo comedebantur ab cœlestibus illis mentibus terrestres cibi. At vere & non specie tenus sumebant angeli corporales cibos. Ergo.

Uno

Uno verbo ad ſententiam noſtram nihil aliud requiritur, quam quod S. Ephrem hic verba faciat de vera Chriſti carne, & de vera ac proprie dicta & orali manducatione. Atqui 1. agit de vera Chriſti carne. Ea enim ſola eſt, ad quam feratur & deſideretur fides illa firmiſſima, quam exigit S. Ephrem, & quæ omnia ſymbola externa tranſcendit. Ea ſola eſt, quæ poſſit dici tunc integre ab unoquoque comedi: Sacramenti enim particula tantum a ſingulis accipiebatur. Ea denique ſola eſt, de qua dubium ſuboriri poſſet, an integre præſtaretur. Quod enim ad panem & ſignum pertinet, res oculis uſurpabatur, qualis erat. Ergo S. Ephrem agebat de vera Chriſti carne. 2. Agebat non minus clare de vera & reali manducatione: loquebatur enim de Euchariſtiæ ſumptione; de manducatione ei ſimili, quæ angelis corpore indutis competebat; de ea tandem manducandi ratione, quæ ſpecie tenus opponitur integritati corporis Chriſti, ab omnibus ac ſingulis comeſti: & eam tamen neceſſario poſcit. Atqui talis eſt ſola manducatio realis. Ergo.

Epiphanius.

In *ancorato* impugnans allegoricas Origenis interpretationes de creatione mundi, imagine Dei in homine, affirmanſque res a Deo propoſitas ſemper credi oportere, quantumvis obſcuræ, difficiles & intricatæ ſint, exemplum Euchariſtiæ, adducit de qua ſic habet: " Videmus quod Salvator accepit in manus ſuas, ... quod ſurrexit a cœna & accepit hæc, & gratiis actis dixit, *Hoc meum eſt hoc* (ita loquitur propter non initiatos.) Atqui videmus, quod illud nec æquale ſit, nec ſimile, aut imagini incarnatæ, aut inviſibili divinitati, aut lineamentis membrorum . . . . Voluit tamen ex gratia (hoc eſt auctoritate ſua) dicere: *Hoc meum eſt hoc*: & nemo denegat fidem ſermoni. Qui enim non credit illud eſſe verum, ut ille dixit, gratia & ſalute excidit. Verum quod audivimus, credimus, quoniam illius eſt.

Nihil ibi eſt quod fidem noſtram non aſtruat.

1. Enim ſcopus Epiphanii erat allegoricas ac myſticas ſacræ Scripturæ expoſitiones explodere ac oſtendere Scripturæ dicta eſſe litteraliter accipienda: in eam autem rem adducit Chriſti de Euchariſtia pronunciatum. Ergo non putavit illud allegorice & figurate eſſe intelligendum, aut omnium hominum ſtultiſſimus ac impudentiſſimus fuit, qui ſe ipſe propriis exemplis confoderit.

2. Ejuſdem eſt naturæ ac rationis aſſertio Epiphanii de Euchariſtia, cujus naturæ ac rationis erat ibi propoſita de ea dubitatio. Atqui dubitatio impetebat veritatem Chriſti in Euchariſtia. Id enim impugnabat ea dubitatio, cum quo ſpeciei diſſimilitudo pugnat. At ſpeciei externæ diſſimilitudo non pugnat cum typo, ſymbolo ac ſigno aut cum virtute: neque enim ſimilitudo ſpeciei externæ requiritur aut ut aliquid in typum

con-

constituatur, (caper enim emissarius & serpens æneus typi extitere Christi tollentis peccata mundi:) aut ut aliquid rei alterius vim habeat necesse est: Baptismus enim virtute Spiritus sancti repletur; & cum ipso tamen nullam habet similitudinem in externa specie. Ergo dubitatio respicit solum verum Christi corpus, inter quod & Eucharistiam penes speciem externam apparet insignis differentia, quæ credendæ corporis veritati multum obesse queat. Ergo cum id affirmat Epiphanius, quod tollebat dubitatio, oportet ut in Eucharistia asseveret esse verum corpus Christi.

3. Si propter summam Christi auctoritatem fides ejus verbis adhibenda est, eaque, ut sonant, simpliciter sunt accipienda; ergo juxta Epiphanium Christi verba, *Hoc est corpus meum*, ad alienum figuræ sensum detorqueri non debent, nec possunt.

4. Omnis disputatio Epiphanii evincit in hoc mysterio capiendo & credendo maximam esse difficultatem. At nihil facilius est dogmate Calvinianorum de Eucharistia. Ergo non idem de Eucharistia sentiebat Epiphanius, quod Calviniani.

Cyrillus Hierosolymitanus.

Catechesi 4. *mystagogica* de Eucharistia ex professo sermonem habens ad recens baptizatos, relatis Christi verbis sic ait: " Cum igitur ipse
„ pronunciaverit & dixerit de pane, *Hoc corpus est meum*, quis aude-
„ bit deinceps ambigere? & cum ipse asseveraverit & dixerit, *Hic meus*
„ *est sanguis*, quis unquam dubitaverit, ajens non esse ejus sanguinem?
„ Aquam olim in vinum, quod sanguini affine est, in Cana Galilææ
„ transmutavit; & eum parum dignum existimabimus, cui credamus,
„ cum vinum in sanguinem transmutavit? Ad nuptias corporales voca-
„ tus, stupendum hoc miraculum effecit: & non eum multo magis fi-
„ liis thalami nuptialis corpus suum & sanguinem fruenda donasse con-
„ fitebimur? Quare cum omni persuasione tanquam corpus & sangui-
„ nem Christi (illa) sumamus. Nam in figura panis (ἐν τύπῳ ἄρτυ)
„ datur tibi corpus, & in figura vini datur tibi sanguis, ut cum sum-
„ pseris corpus & sanguinem Christi, concorporeus & consanguis ipsi
„ efficiaris: sic etenim Christiferi efficimur, distributo in membra no-
„ stra corpore ejus & sanguine .... Quamobrem ne tanquam nudis &
„ communibus elementis pani & vino eucharisticis attende: sunt enim
„ corpus & sanguis Christi, secundum Domini asseverationem. Nam
„ etiamsi illud tibi suggerat sensus, fides tamen te certum & firmum
„ efficiat. Ne judices rem ex gustu; sed ex fide citra ullam dubitatio-
„ nem certus esto te corporis & sanguinis Christi dono dignatum fuis-
„ se .... isthæc edoctus & certissima indutus fide, quod qui videtur
„ panis, panis non est, tametsi gustu sensibilis sit, sed corpus Christi;
„ & quod videtur vinum, vinum non est etiamsi ita gustui videatur,
„ sed sanguis Christi....

Cate-

Catechesi autem 5. explicans canonem Missæ, " Deum benignum „ exoramus, inquit, ut mittat sanctum Spiritum super dona proposita, „ ut faciat panem quidem corpus Christi, vinum vero sanguinem Chri- „ sti. Omnino enim quodcunque attigerit Spiritus sanctus, id sanctifi- „ catum & transmutatum est ... Hic panis non in ventrem vadit at- „ que in secessum ejicitur; sed in omnem tui compagem dividitur ad „ corporis & animæ emolumentum .... Audivisti deinde vocem .... „ dicentis, *Gustate, & videte* .... Ne corporeis faucibus hujus rei ju- „ dicium æstimationemque permittite: non, inquam; sed fidei omnis „ dubitationis experti. Qui enim gustant, non panem & vinum degu- „ stare jubentur; sed antitypum (seu signum & sacramentum) corpo- „ ris & sanguinis Christi. Adiens igitur, ne expansis manuum volis, „ neque disjunctis digitis accede; sed sinistram velut thronum subji- „ ciens dexteræ, ut pote regem suscepturæ, & concava manu suscipe „ corpus Christi, respondens, *Amen* .... Tum vero post communio- „ nem corporis Christi, accede & ad sanguinis poculum non exten- „ dens manus, sed pronus & adorationis ac venerationis in modum, „ dicens *Amen*.

Ista Cyrilli verba sunt supra omnem cavillationem.

1. Enim alloquitur sanctus Cyrillus recens baptizatos omnis ætatis, conditionis, & sexus, qui plerique rudes erant: non erant autem sine dubio assuefacti his omnibus argutiis, quas excogitarunt postmodum Calviniani. Præterea vero dogmatica erat ejus oratio. De fide enim simpliciter explicanda agebatur. Debuit ergo Cyrillus suam & Ecclesiæ doctrinam dilucide exponere. Atqui nihil aliud illis proponit, quam verba Christi, quasi apertissima: eadem semper repetit sine ulla interpretatione. Itaque voluit ut in iis simpliciter acquiescerent; non autem ad abstrusos & metaphoricos sensus ea transferrent. Videant Calviniani an ita se gererent apud plebem imperitam, si suum eis de Eucharistia dogma explicarent.

2. Cyrillus quantum in sermone Christi perspicuitatis reperiebat, tantum in re verbis illis proposita agnoscebat esse difficultatis. Inde est tantus ille sancti doctoris in oratione nisus ad rem istam persuadendam. At negotium nullum facessere potest in propositione Christi neque figura neque efficacia Calvinianorum: non signi ac figuræ ratio, quæ est facillima: non efficacia; tum quia non ipsa minus Deo facilis fuit, quam altera, tum quia insuper illis Christi verbis non continetur.

3. Cyrillus asserit corpus Christi dari sub typo panis, & sanguinem Christi sub typo vini, & ea in membra distribui. Quodnam ergo corpus ita datur? An corpus typicum, an verum Christi corpus? Non typicum: absurdum enim fuerit corpus typicum seu typum dici dari in typo. Ergo verum Christi corpus datur sub typo panis: quo nihil est luculentius. Duo enim postulat dogma catholicum, corporis Christi veri-

veritatem, & conjunctam ei corporalem illius susceptionem. Atqui utrumque hic occurrit. Ergo.

4. Cyrillus definit Eucharistiam non abire in secessum. Atqui si panis esset figura corporis Christi tantum, in secessum emitteretur.

5. Jubet ut Eucharistia adoretur totius dejectione corporis, antequam suscipiatur. Ergo fateantur Calviniani necesse est, verum ibi esse corpus Christi adoratione dignissimum, vel adorari posse imagines.

6. Imperat ut dicatur more solito *Amen* post Eucharistiæ susceptionem. Atqui illud est argumentum veritatis corporis Christi in Eucharistia existentis. Ergo.

7. Tollit hic Cyrillus quamdam dubitationem, & illud ipsum probando firmat de quo hæsitatio erat. Diligenter ergo videndum de quo hæsitatio institueretur. An illi, quos hic corrigit Cyrillus, putarent de pane circa ullam panis mutationem affirmari, quod esset corpus Christi: cum autem id fieri non possit, nullum per consequens agnoscerent in Christi propositione sensum? An ambigerent tantum de figuræ sensu, an de efficacia, an de realitate? hæc enim quatuor duntaxat fingi possunt in dubium esse revocata. Atqui non possunt illi ad quos sermonem habet hic Cyrillus dici existimasse, quod de pane, qui panis semper remaneret, affirmaretur corpus Christi, nullumque idcirco in ista propositione sensum agnovisse propter insociabiles panis & corporis Christi notiones.

1. Enim si res ita erat, cur auditoribus genuinum sensum non aperuit Cyrillus? cur eos non docuit panem quidem & corpus pugnare; sed pugnam nullam reipsa esse in Christi verbis, quia de pane non affirmatur corpus Christi, sed figura tantum illius corporis: insolens enim non esse in Scripturis, quod signis dentur nomina rerum significatarum. Dubitatio ejusmodi revellenda erat facili & clara dogmatis expositione. Cur si Calvinianus fuit Cyrillus, eam non adhibuit? cur eadem Christi verba semper regerit & inculcat? cur constanter præcipit ut credatur corpus Christi sine ulla prorsus explicatione? An ita ageret Calvinianus, ut nodum istum dissolveret.

2. Qui hic inducuntur dubitantes, non arbitrabantur panem manere, & de eo affirmari corpus Christi, si putabant in Ecclesia dici quod non maneret, sed mutaretur in corpus Christi. Atqui illi ipsi homines ambigendo an panis esset aut esse posset corpus Christi, ambigebant an panis mutari posset in corpus Christi: mutari autem posse decernit contra Cyrillus. 3. Cyrillus docet illud ipsum esse credendum, de quo ii dubitarent. Atqui mens profecto Cyrilli nunquam fuit ut crederetur panis, talis semper manens, esse vere corpus Christi. Ergo de eo illi non dubitabant.

Dubium autem illud non erat pariter de figuræ sensu. Cur enim illi clare sententiam suam non exprimunt? cur non saltem respondendo sanctus doctor? An vero talis erat in figuræ sensu difficultas, ut

ut de ea dubitari posset, & tot tantisque conatibus deberet stabiliri? Præterea nullum dubium esse potest de istius dubitationis natura. Variæ enim illius causæ assignantur. 1. Eo quod non caperetur quomodo panis mutaretur in corpus Christi. 2. Quod panis semper videretur, ejusdem speciei, coloris, & saporis. At hæ causæ non impetunt figuræ sensum. Non enim officit figuræ sensui species panis eadem semper perseverans; non idem panis color & sapor: neque, ut panis habeatur pro signo corporis Christi, debet mutari aut suum saporem ac colorem amittere. Deinde quorsum miracula & prodigiales rerum mutationes hic adduceret Cyrillus, si de imagine tantum ageretur. Ergo non illud dubium spectabat ad figuram.

At neque spectabat ad efficaciam. 1. Enim dubium illud versabatur circa verba Christi, *Hoc est corpus meum*. Illa autem non præ se ferunt efficaciæ sensum, sed figuræ tantum in sententia Calvinianorum. 2. Neque vero ista efficacia erui potest ex isto figuræ sensu, quem verba illa continent. Non potest enim deduci efficacia ex figuræ sensu, nisi omnis figura sit efficax; quod est falsissimum. Ergo verba Christi ejusmodi efficaciam in mentem non ingerebant, ut de ea dubitari posset. 3. Si de efficacia dubium est, cur nulla mentio ejus fit? Quis enim efficaciam aliquam ex corpore quodam derivatam nomine *corporis* ipsius expresserit aut exprimat? 4. Si de efficacia tantum sermo est; cur exempla conversionum substantialium hic affert Cyrillus, eaque vult esse longe infra stupendum illud miraculum, quod in Eucharistia conficienda patratur? 5. Cur asserit panem non esse, etiamsi panis esse videatur? An enim ut panis vim aliquam concipiat, oportet quod esse desinat? 6. Cur qui dubitabant, objiciebant speciem panis superstitem? an species panis superstes existimari potuit obesse efficaciæ?

7. Cur ejusmodi dubitationes de sola Eucharistia instituuntur? An ea sola virtute divina prædita est? hæc sane innepta sunt. Ergo dubitatio, quæ ibi proponitur, pertinet ad realitatem corporis Christi in Eucharistia existentis per mutationem substantiæ panis in illud: quod nos credimus & quod spirat omnino hic locus. Atqui eo modo ajebat Cyryllus Eucharistiam esse corpus Christi, quomodo illi ambigebant an esset corpus Christi. Ergo sentiebat Cyrillus vere esse corpus Christi in Eucharistia.

8. Ex eo quod panis dictus sit a Christo esse corpus suum, 1. colligebatur fieri panis corpus Christi per aliquam mutationem. 2. Ea mutatio ut vera & realis habebatur. 3. Cum multiplex sit mutatio realis, ista significabatur desinere in substantiam, quasi terminum suum, corpus nempe Christi, proinde substantialis esse monebatur. 4. In exemplum ejus afferebantur mutationes substantiales rerum, quæ tamen adhuc esse infra mirabilem panis istius conversionem affirmabantur. 5. Ad eam peragendam invocabatur virtus omnipotentis Spiritus

ritus sancti. 6. Ea fiebat ut panis, qui ante erat, amplius exinde non esse credendus foret, quamvis panis semper esse testimonio sensuum videretur. 7. Ea mutuo singularis erat, & Eucharistiæ tantum attribuebatur. Atqui isti omnes characteres neque quadrant in figuram, neque in efficaciam, quas solas hic admittunt Calviniani.

Non in figuram. 1. Enim quod in signum alicujus rei statuitur, non idcirco res illa fieri recte dicitur. 2. Ut panis pro signo sit Christi absentis, necesse non est, quod aliqua vera mutatio intercedat. 3. Multo minus opus est mutatione substantiali, & simili ejus, qua in vinum aqua conversa est. 4. Hujus signi institutio non est grande miraculum nec supra vires humani ingenii: nedum miraculum majus dici queat ista singulari aquæ in vinum mutatione. 5. Ad id non requiritur virtus Spiritus sancti omnipotentis. 6. Denique non idcirco panis destrueretur. Ergo.

Non etiam in efficaciam. 1. Enim eodem sensu panis dicitur a Cyrillo mutari in corpus Christi, quo sensu in Eucharistia panis dicitur esse corpus Christi: unum enim tanquam alterius necessarium consectarium hic exhibetur. Atqui cum panis dictus est a Christo esse corpus suum, id non intelligebatur de efficacia, ut ipsimet confitentur Calviniani, qui verbis illis solum ascribunt figuræ sensum, longe sane diversum ab efficaciæ sensu. Si enim figuræ sensum inducas, verbum *est* in propositione Christi, idem sonat quod *significat*; vox autem *corporis* in propria manet notione: si autem efficaciæ sensum astruas; tunc contra verbum *est* nativam semper servat significationem; vocabulum autem *corporis* sua excidit naturali notione, & pro *virtute corporis* sumitur. Ergo. 2. Id quod acquirit vim alicujus rei, non propterea res illa fieri legitime dicitur. 3. Mutatio illa virtutis, non est mutatio substantialis nec comparanda cum aquæ in vinum conversione, nedum stupendum magis ea prodigium affirmari possit. 4. Ut efficacia nova pani indatur, necesse non est quod panis esse desinat, aut exuat pristinam speciem ac saporem suum. 5. Ea efficacia non ita propria est Eucharistiæ, ut cæteris sacramentis pari jure non conveniat. Ergo panis fit corpus Christi per veram illius in Christi corpus conversionem.

Objicit 1. Albertinus. Eucharistia etiam post consecrationem a Cyrillo vocatur *panis*. Atqui si panis est, non potest simul esse corpus Christi. Ergo.

Distinguo majorem: vocatur *panis*, quia panis fuit, & panis speciem habet; concedo: quia substantia panis est; nego. Triplex est ratio nominis alicujus tribuendi: 1. est substantia ipsa rei, cujus nomen est; & illud vulgatissimum est: sic *hominem* appellamus, quod substantia ipsa hominis præditum est. 2. Est origo. Res enim sæpe nuncupantur, id quod fuerant, non quod jam sunt: ita *Joannis* 2. v. g. vinum ex aqua factum, donatur adhuc *aquæ* nomine; *Exodi* 7. *versu* 12. virga Aaron in serpentem conversa, *virgæ* solito vocabulo exprimitur; Evam *os* suum vocat Adamus *Genes.* 2. *v.* 23. Adamus ipse *Genes.* 3.

v. 19. *pulvis* appellatur. In his porro locutionibus, ut notat Tertullianus *de resurrectione carnis cap.* 6. origo recensetur, non substantia revocatur. 3. Ratio nominis dandi est species nomini congruens: sic *viri* nomen habet Gabriel, *Danielis* 9. *v.* 21. & alter ille angelus qui luctabatur cum Jacob. *Genes.* 32. *v.* 24. *serpentis* nomen, figura ænea serpentis, quam erexit Moïes *Numer.* 21. *v.* 9. & ita passim. Jam vero Eucharistia *panis* a Cyrillo dicitur ob duas tantum posteriores causas, non ob primam. Ipse enim diserte monet panem esse transmutatum in corpus Christi; nec panem esse, quamvis panis esse videatur: adeo ut exemplum nullum afferri possit illustrius, quo ostendatur Eucharistiam dici potuisse *panem*, ab iis qui in ea panis tamen substantiam non agnoscebant. Certe innumeri sunt scriptores, etiam post definitam ab Ecclesia transubstantiationem, qui Eucharistiam *panis* nomine donaverint: neque ullus est etiamnum in schola theologus, qui ita loqui refugiat: adeo constat ex eo confici non posse quod Christi corpus in Eucharistia non esse existimetur. Nempe, quando res aliquæ sunt circa quas non concordant ratio aut fides cum sensibus, inde duplex necessario exurgit loquendi modus: alter consentaneus rationi aut fidei; alter sensuum testimonio: sic *Genes.* 1. luna dicitur *luminare magnum*, & describitur quasi major ipsis etiam stellis, quibus tamen minor est. At in Eucharistia idem contingit: proinde cum *panis* illa appellatur, id nomen designat id quod apparet: non significat id quod in se est.

Objicit 2. Eucharistia *ibidem* a Cyrillo nuncupatur *ἀντίτυπον* seu figura corporis Chisti. Atqui figura non est id, cujus figura est. Ergo non est corpus Christi.

Distinguo majorem: figura corporis Christi præsentis, quo plena est; concedo: figura corporis Christi absentis, & vacua; nego.

Distinguo similiter minorem: figura non est quid idem cum eo cujus figura est, non idem vel quoad substantiam, vel quoad statum; concedo: non idem, quoad substantiam semper: nego.

Quæ quidem ut intelligantur observandum est,

1. Si origo vocum spectetur, nomina *signi*, *figuræ*, *typi*, *antitypi*, *imaginis* ac *symboli* ejusdem esse prorsus significationis; imo & nomen *sacramenti*: *sacramentum* enim nihil aliud est, quam *signum rei sacræ*.

2. *Signum* definiri a philosophis, id quod præter speciem, quam sensibus ingerit, facit aliud in mentem venire.

3. Duplicis generis signa esse; alia plena, alia vacua; alia conjuncta rebus quas significant, alia ab iis separata. Duplici nimirum de causa aliquid indigere potest signo, ut in mentem veniat: 1. quia absens est: 2. quia, etsi præsens sit, in sensus tamen non incurrit. Quocirca signa alia sunt ad supplendam absentiam, alia ad supplendam speciem. Uno verbo signum ac figura ex natura sua non a se excludunt res significatas, & iis possunt conjungi: ita arca Noe figura erat Ecclesiæ,

quam

quam continebat; ſic columba, quæ in baptiſmo Chriſti viſa eſt, ſignum extitit Spiritus ſancti præſentis: ſic vultus eſt imago animæ, quæ ei ineſt: ſic denique Chriſtus dicitur imago Dei, 2. *Cor.* 4. *v.* 4. & figura ſubſtantiæ Patris, *Hebr.* 1. *v.* 3.

4. Etſi voces *ſigni* ac *figuræ* per ſe nec excludant nec includant rei ipſius veritatem; attamen cum pleræque imagines ſint vacuæ & inanes, poſſe generatim dici, quod ubi figura eſt, ibi veritas non ſit; niſi aliunde conſtet veritatem eſſe cum figura ipſa copulatam.

5. Cum veritas ineſt figuræ & imagini, idque ita eſſe cognoſcitur, poſſe ſolo nomine *figuræ*, *typi*, *ſymboli*, *ſacramenti*, aut alio ſimili, rem totam compoſitam ex veritate & ſigno, exprimi: quia tunc animus non ſiſtit in propria ac præciſa *ſigni* notione, ſed ad eam adjungit quæcunque ad ſignum ipſum adjuncta.

6. Voces quidem *figuræ*, *imaginis*, *ſigni*, *typi*, *ſymboli*, *ſacramenti* ac *myſterii* idem ſonare, ſi ſpectes earum originem; ſed ſi ad uſum attendas, exoleviſſe jam & odioſas ſactas eſſe quatuor priores, ubi de Euchariſtia agitur, ita ut veritatem excludere cenſeantur: quod contigit perverſitate hæreticorum, iis intemperanter abutentium.

7. Diſcrimen revera aliquod eſſe oportere inter figuram, & id cujus figura eſt. Non enim tantum diſtinguuntur, ſed etiam opponuntur: ſed diſcrimen illud non neceſſario eſſe debere penes ſubſtantiam; ſatis autem eſſe, ſi ſit penes ſtatum. Poteſt enim aliquid ſui ipſius imago in alio ſtatu eſſe, ut ſi quis in theatro princeps ſuam ipſius in tribunali judicantis perſonam ſuſtineat, aut aliquis in cubiculo ſe ipſe exprimat de ſuggeſto concionantem: ita juxta S. Auguſtinum *tract.* 12. *in Joan.* Chriſtus cum in cruce unum e latronibus elegit ſecum regnaturum, alium contra rejecit, ſignificavit quod facturus eſt de vivis & mortuis, alios poſiturus ad dexteram, alios ad ſiniſtram.

8. Ut aliquid in ſignum ſit, non requiri rei ipſius ſubſtantiam, cujus ſpeciem gerit; ſed ſufficere rei illius formam exteriorem. Quanquam enim v. g. columbæ ſolius veræ ſit repræſentare Spiritum ſanctum; ea tamen quæ in baptiſmo Chriſti apparuit, ſignum Spiritus ſancti fuit, licet illa non vera, ſed adumbrata tantum columba extiterit. Ad ſignum quippe ſatis eſt, quod alterius rei notionem in animo excitet.

Hæc autem ut jam ad Euchariſtiam convertamus:

Dicimus in Euchariſtia eſſe quidem corpus Chriſti; ſed non videri: proinde duo ibi eſſe, quæ vel re, vel notione ſaltem diſtinguantur, ſpeciem ſcilicet panis & vini extrinſecus apparentem, & corpus Chriſti intrinſecus latens.

Ex eo autem ſequitur in Euchariſtia veritatem eſſe ſimul ac figuram, adeo ut *figuræ* vocem fides noſtra poſtulet, nedum eam reſpuat & cum ea pugnet.

Iſta autem figura ac veritas vel ſeorſim conſideratur vel conjunctim, ita ut corpus Chriſti primario, typus autem ſecundario, una voce &

una communi ac confusa notione exprimantur. Tunc autem corpori Christi attribuuntur, quæ ei non conveniunt, nisi quatenus indutum est specie illa externa; quomodo cum sub una veluti notione confusa hominem vestitum considerantes, eum *madidum* esse dicimus, quod tamen ei non competit, nisi qua parte vestitus est.

Figura autem in Eucharistia triplex est: corporis nimirum naturalis Christi; corporis ejus mystici, seu societatis fidelium; & Christi in cruce morientis. Species panis externa signum est corporis Christi naturalis, quod continet: simul enim conspicitur ac nominatur, statim occurrit menti corpus Christi cum ea conjunctum. Neque vero refert quod species illa externa non sit forte quid solidum, distinctum ab ipso corpore Christi. Ad signum enim sola species sufficit.

Species eadem externa symbolum est corporis Christi mystici, seu fidelium societatis: quia sicut panis ex multis granis coalescit; ita multi unum corpus sumus in Christo, & unus panis, qui de uno pane participamus. Neque obstat quod panis substantia destructa esse credatur, cum panis forma exterior remaneat, quæ eamdem semper in mente ideam ac notionem ciet.

Eadem de causa dici potest de integra Eucharistia, quod sit signum fidelium societatis, imo & de corpore Christi, quod per se videri non potest, quia nempe speciem extrinsecus habent, quæ illam societatem adumbrare nata est.

Ista eadem species exterior, & propter illam tota Eucharistia, imo & corpus Christi, licet jam gloriosum & immortale, potest appellari *imago Christi in cruce morientis*: quia sicut tunc sanguis ab ejus corpore separatus est; ita sanguinem a corpore sejunctum species illæ exhibent.

Triplex porro figura illa, qua parte figura est, distinguitur ab eo cujus figura est, saltem penes statum, ut liquet.

Quamvis autem voces *figuræ*, *typi*, *symboli*, & *sacramenti* partem tantum externam Eucharistiæ per se denotent; attamen consuetudine factum est, ut totam & integram Eucharistiam significent. Quotusquisque enim est, qui cum sacramentum altaris fando audit, non omnia simul intelligat, quæ venerabile hoc mysterium complectitur? nonne is est contra omnium etiam e vulgo sensus? nonne ea est vulgaris loquendi ratio? nonne ita dogma catholicum expressere, quicunque a Berengario scripserunt.

Quid ergo mirum si veteres idem quod nos de Eucharistia sentientes, eodem modo locuti fuerint?

Certe quod in eorum sententia vox *typi* ac *sacramenti* non excluderet corporis Christi veritatem ab Eucharistia, patet ex Cyrillo, quem jam expendimus. Nempe juxta eum, qui antitypum corporis Christi ac sanguinis accipit, is regem ipsum cœlorum manu sua suscipit, & confiteri potest ac debet, quod illud antitypum sit verum Christi corpus.

Itaque

" Itaque propter ejusmodi sententias non magis putari debent antiqui corpus Christi in Eucharistia non admisisse, quam Ecclesia hodierna quæ eadem ratione etiamnum loquitur.

Hilarius Pictaviensis.

Libro 8. *de Trinitate*, *num.* 13. adversus Arianos probans naturam Patris æterni esse in Verbo, Patremque ac Filium esse quid unum, non tantum voluntatum consensione, sed etiam naturæ ejusdem communione. " Eos, inquit, nunc qui inter Patrem, & Filium voluntatis „ ingerunt unitatem, interrogo utrumne per naturæ veritatem hodie „ Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis? Si enim vere „ Verbum caro factum est, & nos vere Verbum carnem cibo dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est? . . . Quisquis ergo naturaliter Patrem in Christo negabit, „ neget prius non naturaliter, vel se in Christo, vel Christum sibi „ inesse, quia in Christo Pater, & Christus in nobis, unum in his „ esse nos faciunt. Si vere igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, & vere homo ille quia ex Maria natus fuit, Christus est, „ nosque vere sub mysterio carnem corporis sui sumimus (& per hoc „ unum erimus, quia Pater in eo est & ille in nobis) quomodo voluntatis unitas asseritur, cum naturalis per sacramentum proprietas „ perfectæ sacramentum sit unitatis? Non est humano aut seculi sensu „ in Dei rebus loquendum. . . . . Quæ scripta sunt legamus, & quæ „ legerimus intelligamus, & tunc perfectæ fidei officio fungemur. De „ naturali enim in nobis Christi unitate, quæ dicimus, nisi ab eo „ discimus, stulte atque impie dicimus: ipse enim ait: *Caro mea vere est esca, & sanguis meus vere est potus. Qui edit carnem meam, „ & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo.* De veritate „ carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus. Nunc enim & „ ipsius Domini professione & fide nostra vere caro est, & vere sanguis est. Et hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut & nos in „ Christo, & Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? Contingat plane his verum non esse, ubi Christum Jesum verum esse „ Deum denegant. Est ergo in nobis ipse per carnem, & sumus in „ eo, dum hoc, quod nos sumus, in Deo est . . . . Ipse testatur: . . . . *Ego in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis* . . . . . Gradum quemdam consummandæ unitatis exposuit, ... utpote . . . . „ qui in eo (Patre) naturaliter secundum nativitatem inest, nos quoque in eo naturaliter inessemus, ipso in nobis naturaliter permanente . . . . Quod autem naturalis in nobis hæc unitas sit, ipse ita „ testatus est: *Qui edit carnem meam & bibit meum sanguinem, in me „ manet, & ego in eo.* Non enim quis in eo erit, nisi in quo ipse „ fuerit: ejus tantum in se assumptam habens carnem, qui suam sum-

„ pserit : perfectæ autem hujus unitatis sacramentum superius jam do-
„ cuerat, dicens : *Sicut misit me vivens Pater & ego vivo per Patrem,*
„ *& qui manducaverit meam carnem, & ipse vivet per me :* Vivit er-
„ go per Patrem : & quomodo per Patrem vivit, eodem modo nos
„ per carnem ejus vivimus. Omnis enim comparatio ad intelligentiæ
„ formam præsumitur, ut id, de quo agitur, secundum propositum
„ exemplum assequatur. Hæc ergo vitæ nostræ causa est : QUOD IN
„ NOBIS CARNALIBUS MANENTEM PER CARNEM CHRISTUM
„ HABEMUS, victuris nobis per eum ea conditione, qua vivit ille
„ per Patrem. Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eum vi-
„ vimus, id est naturam carnis suæ adepti, quomodo non naturaliter
„ secundum spiritum in se Patrem habeat, cum vivat ipse per Patrem
„ .... Hæc autem idcirco a nobis commemorata sunt, quia ....
„ hæretici mentientes unitatis nostræ ad Deum utebantur exemplo,
„ tanquam nobis ad Filium, & per Filium ad Patrem obsequio tan-
„ tum ac voluntate religionis unitis, nulla per sacramentum carnis,
„ & sanguinis naturalis communionis proprietas indulgeretur, cum &
„ per honorem nobis datum Dei Filii, & per manentem in no-
„ bis CARNALITER Filium, & in eo nobis corporaliter, & inse-
„ parabiliter unitis mysterium veræ ac naturalis unitatis sit prædican-
„ dum.

Huic loco lucem addere, radios soli aptare est. 1. Enim quid expressius his verbis, quod naturaliter nobis insit Christus, quod eum in nobis carnalibus per carnem, & carnaliter manentem habeamus, carnis ejus naturam adepti?

2. Vox *sumendi* corporalem tantum actionem sonat : neque unquam de contemplatione rei alicujus spiritalis usurpata est. Atqui juxta Hilarium Verbum ipsum Deum sumimus vere in Eucharistia. Sumere autem non possumus ore corporis, nisi ope carnis Christi cum eo conjunctæ. Ergo.

3. Omnis in eo Hilarii disputatio vertitur, quod sicut natura divina in Filio est per nativitatem æternam, & natura humana vere in Christo est per incarnationem; ita natura, & caro Christi vere sit in nobis per Eucharistiam. Ergo.

4. Talis erat Hilarii doctrina de Eucharistia, ut stulta futura fuisset, & impia, nisi Christi auctoritate fulciretur. At juxta Calvinum ubinam est eo sensu summa illa difficultas? nullibi profecto. Quid enim insolens, quod Eucharistia relicta sit a Christo in signum & memoriam sui, aut ei etiam gratiam suam annectere voluerit?

5. Dubium aliquod de Eucharistia hic memoratur. Qua autem de re dubium illud est? an de carne Christi in cœlo, utrum fide attingi possit? nequaquam. Nam tunc respondere debuisset Hilarius pariter de fide, & carne in cœlo existente. Atqui contra de corporali manducatione responsionem subjicit : " De veritate carnis & sanguinis, inquit,

„ non

„ non eſt relictus ambigendi locus . . . . Nunc enim & ipſius Domi-„ ni profeſſione & fide noſtra vere caro eſt & vere ſanguis eſt : & „ hæc accepta atque hauſta id efficiunt, ut & nos in Chriſto, & Chri-„ ſtus in nobis ſit. “ Et inde concludit: “ Eſt ergo in nobis ipſe per carnem &c. Proinde de vera & orali manducatione hic diſputat Hilarius.

6. Comparat Hilarius triplicem illic conjunctionem ſeu unionem : primam, Filii cum Patre : ſecundam, carnis noſtræ cum Verbo : tertiam, carnis Verbi nobiſcum Euchariſtiæ ope . Jam vero non tantum hanc poſtremam iiſdem verbis exprimit ; ſed & in exemplum ac probationem affert cæterarum ; ac præſertim ut oſtendat primam non eſſe tantum metaphoricam voluntatum unionem ; ſed veram ejuſdem naturæ communionem . Ergo poſtrema hæc non poteſt eſſe juxta Hilarium metaphorica ; ſed debet eſſe vera & naturalis : alioquin omne diſputationis fundamentum corrueret .

7. Sic ratiocinatur ſanctus Pater : Ita Chriſtus vivit per Patrem, accepta illius natura , quomodo nos vivimus per Chriſtum accepta ejus carne . Atqui vivimus per Chriſtum naturam illius carnis adepti : ita ut per illam manducationem Chriſtum in nobis carnalibus carnaliter manentem habeamus . Id autem ſumit , quaſi Arianis notum & ab iis conceſſum . Ergo & Chriſtus per Patrem vivit , accepta ab eo natura , ita ut in eo naturaliter maneat . Ea porro argumenti ratio indicat Chriſti carnem tam vere nobis ineſſe quam vere inſit Chriſto eadem cum Patre natura .

Ambroſius.

De *myſteriis cap.* 8. de Euchariſtia loquens & eam cum manna componens *num.* 48. „ Conſidera , inquit, utrum præſtantior ſit panis an-„ gelorum (manna) ; an caro Chriſti, quæ utique eſt corpus vitæ?... „ Potior eſt lux quam umbra, veritas quam figura, corpus auctoris cœ-„ li, quam manna dé cœlo . . . . . Forte dicas: aliud video ; quomodo „ tu mihi aſſeris, quod corpus Chriſti accipiam ? Et hoc nobis adhuc „ ſupereſt ut probemus. Quantis ergo utemur exemplis? Probemus hoc „ non eſſe, quod natura formavit ; ſed quod benedictio conſecravit , „ majoremque vim benedictionis eſſe, quam naturæ , quia benedictio-„ ne etiam ipſa natura mutatur . “ (Tum varia adducit exempla ſimilium mutationum, virgæ in ſerpentem, ſerpentis in virgam , aquæ fluminis in ſanguinem, &c. adjungitque ſimul plura prodigia prophetarum verbis perpetrata, ac poſtea ſic pergit :) „ Quod ſi tantum valuit „ humana benedictio , ut naturam converteret , quid dicemus de ipſa „ conſecratione divina, ubi verba ipſa Domini operantur ? Nam ſacra-„ mentum iſtud , quod accipis , Chriſti ſermone conficitur . Quod ſi „ tantum valuit ſermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret ; non vale-

„ bit Christi sermo, ut species (naturas) mutet elementorum? De „ totius mundi operibus legisti: *Quia ipse dixit, & facta sunt*..... Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat; non „ potest ea quæ sunt in id mutare, quod non erant? non enim minus „ est novas rebus dare, quam mutare naturas. Sed quid argumentis uti„ mur? suis utamur exemplis; Incarnationisque mysterio astruamus my„ sterii veritatem ..... Liquet ..... quod præter naturæ ordinem virgo „ generavit; & hoc quod conficimus corpus ex virgine est. Quid hic „ quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cum præter naturam sit „ ipse Dominus Jesus partus ex virgine? vera utique caro Christi, quæ „ crucifixa est, quæ sepulta est: vere ergo carnis illius est sacramentum. „ Ipse clamat Dominus Jesus: *Hoc est corpus meum*. Ante benedictio„ nem verborum cœlestium alia species nominatur; post consecratio„ nem corpus significatur: .... & tu dicis *Amen*; hoc est, verum est. „ Quod os loquitur mens interna fateatur:

Ambrosio adjungendus est auctor incertus sex librorum *de sacramentis*, qui vulgo ei adscribuntur: de quo disputantes vide, qui ejus opera nuper ediderunt. Is ergo quisquis fuit, antiquus sane & ejusdem circiter ætatis scriptor, sic habet *lib.* 4. *cap.* 4. „ Tu forte dicis, Meus panis „ est usitatus: sed panis, est panis ante verba sacramentorum; ubi ac„ cesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur astruamus. „ Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? consecratione. „ Consecratio autem quibus verbis est, & cujus sermonibus? Domini „ Jesu .... Quis est sermo Christi? nempe is, quo facta sunt omnia. „ Jussit Dominus, & factum est cœlum: jussit Dominus & facta est „ terra &c. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut incipe„ rent esse quæ non erant, quanto magis operatorius est, ut sint quæ „ erant, & in aliud commutentur? .... Sed forte dicis: Speciem san„ guinis non video. Sed habet similitudinem; sicut enim mortis simi„ litudinem sumsisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis, „ ut nullus horror cruoris sit...... Didicisti ergo, quia quod accipis, „ corpus est Christi .... Ipse Dominus testificatur nobis, quod corpus „ suum accipiamus & sanguinem. Numquid debemus de ejus fide & „ testificatione dubitare? ..... Quid est amplius, manna de cœlo, an „ corpus Christi? corpus utique Christi, qui auctor est cœli .... „ Ergo non otiose dicis tu: *Amen*. Jam in spiritu confitens quod „ accipias Christi corpus. Dicit tibi sacerdos: *Corpus Christi*: & „ tu dicis, *Amen*: hoc est; verum. Quod confitetur lingua, teneat „ affectus.

Libro autem *6. cap.* 1. „ Sicut verus est Dei filius, Dominus noster „ Jesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam: sed quasi „ filius ex substantia Patris, ita vera ejus caro, sicut ipse dixit, quam „ accipimus, & verus ejus sanguis est potus ... Sed forte dicas; Quo„ modo vera? qui similitudinem video, non video sanguinis veritatem.

„ Pri-

„ Primo enim tibi dixi de sermone Christi, qui operatur, ut possit
„ mutare & convertere genera instituta naturæ .... Ne igitur .... ve-
„ luti quidem esset horror cruoris, sed maneret gratia redemptionis,
„ ideo in similitudinem quidem accipis .... sacramentum: sed veræ na-
„ turæ gratiam virtutemque consequeris.

Eadem fere ad hunc locum notari possunt, quæ ad superiorem, adeo paria sunt omnia.

1. Enim auctor ille erudiens recens baptizatos, verba Christi de Eucharistia urget, quasi ad fidem plenissima & clarissima.

2. Non dissimulat magnam esse in re ipsa difficultatem, quam ut elevet, totum in exemplis suis orbem susdeque vertit.

3. Observat *amen* in conficienda & accipienda Eucharistia dici esse solitum, in testimonium veritatis corporis Christi, quod consecratur & sumitur.

4. Dubium proponit fundatum in eo quod videri deberet caro & sanguis Christi in Eucharistia. Illud autem ea ratione dissolvit, quod Deus sanguinem apparere noluerit, ne horror esset cruoris. Atqui ea dubii tum propositio tum solutio in solo catholicorum de præsentia reali corporis & sanguinis Christi dogmate locum habere potest: qui autem solam figuram aut efficaciam sanguinis in mente haberent, non autem veram Christi carnem, nec ita dubitarent, nec ita dubium solverent.

5. Transmutationem naturæ panis admittit, cujusmodi nulla necessaria est in sententia hæreticorum.

6. Tam vere caro Christi in Eucharistia esse dicitur, quam vere Christus sit Filius Dei.

7. Negari non potest quin ibi agatur de corporali manducatione, quæ sola dubitationem excitare potest ejusmodi. At non minus constat, ibi agi de vera carne Christi: nec id Albertinus diffitetur. Ergo.

8. Ambrosius opponit Eucharistiam mannæ, ut lucem umbræ, veritatem figuræ, ut corpus ipsum Christi ejus imagini: quod est palmarium argumentum. Nam si Patres, quibus illud est pervulgatum, Eucharistiam pro signo & figura tantum habuissent, nunquam eis in mentem venisset ut antiqua sacramenta & veteres Christi & ejus corporis figuras ad Eucharistiam transferrent. Patrum opinionem sua metiantur Calviniani. Hi porro vetera ista sacramenta ad Christum referunt, non ad Eucharistiam. Unde & Albertinus, & post eum Claudius nihil in ejusmodi dictis Patrum solidi inesse affirmant. Ergo.

Et vero si manna v. g. est imago Christi & ejus corporis, Eucharistia autem est illius veritas, necesse prorsus est Eucharistia vere sit corpus Christi; figura enim non impletur, aliam ejusdem rei figuram substituendo, sed rei ipsius adumbratæ veritatem exhibendo.

Deinde eo modo asserebant illi Patres Eucharistiam esse corpus Christi, quo negabant manna esse corpus Christi. Atqui cum negabant man-

manna esse corpus Christi, accipiendi sunt non de figura, sed de realitate. Negari enim non potest, quod manna fuerit corpus Christi in figura, seu quod fuerit figura corporis Christi. Ergo cum ajunt Eucharistiam esse corpus Christi, similiter intelligendi sunt de realitate, non de figura.

Denique si ab Eucharistia tollas ipsum Christi corpus, major Eucharistiæ præ antiquis illius imaginibus excellentia vel in eo reponenda est, quod sit figura clarior propter verba Christi illam figuram diserte explicantis; vel in eo quod sit efficacior; vel tandem in eo quod Eucharistia consideretur ut conjuncta Christo quem repræsentat. Quo sensu præstat veteribus figuris a Christo sejunctis.

At 1. non sufficit ad magnificas Patrum sententias de Eucharistia. Non enim ajunt, quod sit figura clarior; sed quod non sit figura: quod sit imago expressior; sed quod sit ipsum corpus Christi. Profecto inde sequitur manna ejusdem fuisse olim dignitatis & esse nunc, apud eos, qui eam figuram fuisse intellexerint.

Non 2. iisdem de causis: & quia insuper, si consulas Calvinianos, eadem omnino vis fuit veterum sacramentorum ad gratiam, quæ recentiorum est; ex fide videlicet pendens, quæ eadem semper extitit.

Non 3. quia eodem omnino jure Christus conjungi potest antiquis imaginibus, quo cum Eucharistia a Calvinianis conjungitur. Arbitrii enim res est, Christum a suis figuris sejungere, vel considerare ut iis conjunctum. Proinde omnium eadem omnino ratio est.

Objicit Albertinus. Auctor libri *de sacramentis*, ait panem & vinum ea esse, quæ ante erant, etsi in aliud commutentur. Ergo substantia panis & vini non destruitur.

Respondeo 1. non sine veri specie dici posse corruptum esse hunc locum, & ita legendum, " ut quæ erant, in aliud commutentur: " 1. quia Ambrosius, cujus verba hic auctor eo loci passim repetit, sic habet *de initiandis cap. 9.* 2. quia Lanfrancus ex quorumdam manuscriptorum fide jam olim legendum ita esse contendit: 3. quia sunt aliqui codices, qui id omnino non habent, ut testantur Patres Benedictini.

Respondeo 2. id intelligi oportere de specie externa, non de substantia ipsa, quam multis & apertissime declarat mutari in corpus & sanguinem Christi. De eo quod est generatim agit, ut nihilo opponitur. Vult enim, si Christus e nihilo fecit omnia, multo magis efficere posse, ut quæ aliquid adhuc sunt, quod erant ante, in aliud convertantur. Id autem observandum est panem, quoad sensus, eumdem permanere, etiam post consecrationem, etsi fides doceat eum intrinsecus esse mutatum: unde potest dici quod idem sit, & quod mutatus fuerit: prima enim locutio ad sensuum testimonium, altera ad fidei dogma pertinet: utramque hic conjunxit ille auctor.

EX

EX SECULO V.

Chrysostomus.

INNUMERIS in locis nostram de Eucharistia fidem ita diserte explicat & eloquenter, ut nihil sit supra: duo tantum seligemus loca.

Primus ducitur *ex homilia* 83. *in Matthæum*, ubi explanans ex professo verba institutionis Eucharistiæ; " Quomodo turbati non fuerunt, " inquit, cum hoc audissent (apostoli?) quia multa jam & magna de " hoc antea disseruerat .... Ipse quoque bibit ex eo (sanguine,) ne " auditis verbis illis dicerent: Quid igitur sanguinem bibimus, & car- " nem comedimus? ac ideo perturbarentur: nam & quando prius de " his verba fecit, multi solummodo propter verba scandalum passi sunt " ... Credamus itaque ubique Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sen- " sui & cogitationi nostræ absurdum esse videatur, quod dicit, superet " & sensum & rationem nostram sermo ipsius .... Nam verba ejus " fallere non possunt; sensus vero noster deceptu facillimus est ... Quo- " niam ergo ille dixit, *Hoc est corpus meum*, nulla teneamur ambigui- " tate, sed credamus ... O quot modo dicunt, Vellem formam & spe- " ciem ejus, vellem vestimenta ipsa, vellem calceamenta videre. Ecce " ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis. Vestimenta ejus videre " desideras, ipse vero seipsum tibi tradit, non ut videas solum, verum " etiam ut tangas, & in te habeas. Nemo igitur nauseans accedat: " ... non enim parvum supplicium indigne communicantes expectat. " Cogita quanta indignatione adversus proditorem, adversus eos qui " crucifixere ipsum, movearis; & cave ne tu quoque corporis & san- " guinis Christi reus efficiaris. Illi acerbissime sacrosanctum corpus tru- " cidarunt: tu sordida suscipis anima; non enim sufficit ipsi hominem " fieri, flagellis cædi, & crucifigi; sed nos in unam, ut ita dicam, " massam reducit, neque id fide solum, sed reipsa corpus suum nos ef- " ficit. Qua igitur re mundiorem esse non oportet, qui hoc sacrificium " participaturus est? An non radiis solaribus puriorem esse manum " oporteret, quæ hanc carnem dividit, ... & linguam quæ cruentatur " hoc admirabili sanguine ... Ea ... & nos alimur, quam angeli vi- " dentes tremunt, nec sine pavore, propter fulgorem qui inde resilit, " aspicere possunt ... *Quis loquetur potentias Domini?* ... Quis pastor " unquam membris suis oves suas nutrivit: multæ matres post partum " aliis nutricibus infantes dederunt, quod ipse facere noluit; sed pro- " prio corpore nos alit & sibi conjungit atque conglutinat, ... ut " unus sit nobis dolor, si hoc alimento spirituali privamur. Non sunt " humanæ virtutis hæc opera. Qui tunc ea confecit, nunc quoque ope- " ratur ... Ministrorum nos ordinem tenemus: qui vero hæc sancti- " ficat & transmutat, ipse est.

Secun-

Secundus *ex homilia* 24. *in* 1. *Corinth. cap.* 10. in qua explicans similiter ex professo verba apostoli de Eucharistia, *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio corporis Christi est?* " Valde, inquit, fideliter dixit, & terribiliter: hoc est autem quod dicit: Id quod est in calice, est id quod fluxit e latere, & illius sumus participes... quid est hoc horribilius? sed quid amabilius? Hoc etiam faciunt qui amant... sua dantes... Sed qui amant quidem in possessionibus .... ostendunt liberalitatem: in sanguine autem nullus unquam. Christus autem in eo etiam suam nostri ostendit caritatem: ... pro cæde brutorum se ipsum jussit offerri... Quid enim est panis? corpus Christi: ... neque solummodo corpus suum dedit, sed quoniam prior carnis natura e terra facta, peccato fuerat affecta, aliam, ut ita dicam, massam & fermentum induxit suam carnem .... & dedit eam omnibus participandam, ut ea nutriti, priori quæ erat mortua deposita, per hanc mensam in vitam immortalem contemperaremur .... Si quis regem non temere nec inconsiderate exceperit, quid dicam regem? si ne vestem quidem regiam temere & inconsiderate immundis manibus contrectaverit, ... quomodo Dei corpus, qui est super omnia, ... divinæ illi naturæ conjunctum, ... accipiemus cum tanto probro & contumelia? .... Hoc corpus clavis confixum .... non tulit mors: hoc corpus in crucem actum sol cum vidisset, suos avertit radios... Hoc est illud corpus, quod fuit cruentatum, quod lancea percussum .... Job servorum suorum amorem in ipsum indicans, dicebat quod sæpe .... dicerent: *Quis dederit nobis impleri ejus carnibus?* Sic etiam Christus dedit ut ejus impleremur carnibus .... Hoc corpus etiam jacens in præsepi reveriti sunt magi; ... tu autem non in præsepi vides, sed in altari .... Hic .... terram tibi cœlum facit hoc mysterium. Aperi ergo cœli portas .... & tunc videbis quod dictum est: nam quod illic est omnium pretiosissimum & maxime honorandum, hoc ostendam tibi situm in terra. Sicut enim in regia id quod est omnium magnificentissimum, non parietes, non tectum aureum, sed corpus est regis, sedens in solio; sic & in cœlis corpus est regis: ast illud tibi videre nunc licet in terra. Non enim angelos, .. sed ipsorum ostendo Dominum: .... neque solum vides, sed etiam tangis, sed etiam comedis, & eo accepto domum reverteris... Nunc autem non hominis regis filium accipiens, sed ipsum unigenitum Dei filium, dic, rogo, non extimescis?

Tantus est splendor horum verborum tantaque vis, nihil ut iis adjiciendum esse videatur. Qui autem hac in luce cæcutit, is in locum *corporis Christi*, quod tam luculenter in Eucharistia prædicat Chrysostomus, sufficiat ubique *panem merum*, ac *figuram* Calvinianorum, & statim deprehendet, quam hiulca, exanguis, frigida aut putida potius futura sit tanti viri oratio.

Objicit unum imprimis Albertinus ex Chrysostomi *ad Cæsarium mona-*

monachum epistola ductum, ubi eximius ille doctor ex æquo configens eos, qui docebant aut unam tantum esse naturam, aut duplicem personam Christi: sic habet; " Et Deus & homo Christus: Deus propter
" impassibilitatem, homo propter passionem: unus filius, unus Dominus, idem ipse procul dubio unitarum naturarum unam dominationem, unam potestatem possidens, etiamsi non consubstantiales existant: & unaquæque incommixtam proprietatis conservet agnitionem, propter hoc quod inconfusa sunt duo. Sicut autem antequam sanctificetur panis, *panem* nominamus: divina autem illum sanctificante gratia, mediante sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione *panis*, dignus autem habitus est *dominici corporis* appellatione, etiamsi natura panis in illo permansit, & non duo corpora, sed unum corpus filii prædicatur; sic etiam hic divina natura in ipso insidente unum filium, unam personam utrumque constituit. Agnoscitur tamen extra divisionem & confusionem, non in una tantum natura, sed in duabus perfectis. " Quo ex loco sic arguit Albertinus: Nihil honoratur nomine ejus, quod est. Atqui panis eucharisticus ex Chrysostomo honoratur nomine corporis Dominici. Ergo non est corpus Dominicum.

Distinguo majorem: nomine ejus, quod ex naturæ suæ conditione est; esto: ex gratuita tantum dignatione; nego. Qui homo est, *hominis* nomine non honoratur, quia natura sua homo est. At non eadem ratio est panis eucharistici. Panis enim eucharisticus ideo vocatur *corpus Dominicum*, quia est: est autem, quia tale fit singulari Dei gratia: proinde honoratur ejusmodi appellatione. De hoc & aliis ad locum hunc pertinentibus, vide Theodoretum, qui in simili argumento versatus, eamdem omnino cum magistro suo Chrysostomo nobis difficultatem creat.

Instat. Juxta Chrysostomum natura panis in Eucharistia remanet. Ergo non convertitur in corpus Christi.

Distinguo antecedens: natura sumpta pro congerie accidentium & proprietatum naturalium, quæ sensus afficiunt; concedo: sumpta pro intima materia & substantia panis; nego. *Naturæ* vox suspensa & ambigua est: frequenter autem usurpatur, non pro abstrusa & recondita rerum materia, ut apud philosophos, sed more vulgi pro earum qualitatibus, quæ notitiam earum ac nomen sensibus ingerere solent: ita ut quisquis e plebe eas perceperit, has & illas res esse & exhiberi illico dicat, v. g. vinum, panem, hominem: etiamsi forte non subsit interior substantia. Hoc posteriori sensu duntaxat hoc vocabulum accipit hic Chrysostomus. 1. Quia alibi clare definit panem esse corpus Christi, imo & vi Spiritus sancti & omnipotentia Christi transmutari in illud corpus: quod non figuram & efficaciam, sed solam substantiæ conversionem sonat. 2. Quia hic impugnat hæreticos Apollinaristas, qui volebant proprietates naturæ humanæ in Christo non perseverasse,

sed

sed in divinas omnino esse conversas, quia alioqui duo esse in Christo filii viderentur : contra contendit Chrysostomus has humanæ naturæ proprietates non magis obfuturas unitati Filii, quam superstites in pane post consecrationem panis proprietates officiant corporis in Eucharistia unitati : atque adeo juxta propositum suum de solis proprietatibus exterioribus agebat, non de ipsis substantiæ visceribus. 3. Quia hoc ipso in loco manifeste indicat panem mutari consecratione : ait enim post consecrationem corpus Christi in Eucharistia esse : etsi autem panis natura permaneat, non duplex tamen, sed unum corpus Christi ibi existere : non ergo panis corpus ibi est amplius : ergo conversa dicenda est ejus intima materia in Christi corpus. Et profecto non magis duo corpora in Eucharistiæ sacramento statuit, quam duos filios in incarnationis mysterio. At dubio procul duos submovet filios a Christo. Ergo & duo corpora ab Eucharistiæ sacramento. Jam vero corpus Christi ibi prædicandum esse luculenter decernit. Ergo corpus panis ibi non agnoscit. 4. Tam admittit Eucharistia verum Christi corpus cum panis specie, quam veram in Christo divinitatem cum homine. 5. Quia tunc eadem omnium gentium fides circa Eucharistiam fuit. At Apollinaristæ, qui hic impetuntur, diserte profitebantur in Eucharistia esse corpus Christi : sic enim paulo post in eadem epistola exclamant : " Ergone „ non putamus corpus Dei & sanguinem, quod accipimus, fideliter ac „ pie suscipiendum? Non quia corpus & sanguinem possidet, id quod „ divinum est natura, sed quia ea, quæ carnis sunt, propria facit. " Tum sic regerit Chrysostomus : " O inconsideratio ! O impia cogita„ tio ! periclitatur enim apud ipsos dispensationis mysterium. " Et ite„ rum : " Dominicum corpus, sicut verum corpus, confiteri non pa„ tiuntur. " Eos arguit, quod dicendo corpus, non Christi, sed Dei, in Eucharistia, veritatem corporis tollere viderentur. Ex quo consequens est verum in ea corpus admitti necessario oportuisse.

Instat 2. Comparat Chrysostomus Eucharistiam cum incarnatione. Atqui in incarnatione humana natura non tantum habet omnes suas proprietates, sed & quidquid ad eam constituendam requiritur. Ergo pariter omnino nihil deesse debet pani, etiam post consecrationem, quo minus verus sit panis.

Distinguo majorem : comparat penes aliqua; concedo : penes omnia; nego. Eucharistia signum est incarnationis; non tantum quia revocat in memoriam divini Verbi incarnationem; sed etiam quia certam quamdam cum ea habet similitudinem. Plurima porro sunt in quibus conveniant. Primum est, quod duo sint utrobique, unum intrinsecus latens; alterum apparens extrinsecus : secundum est, quod in Eucharistia panis species remaneat, sicut in Christo semper fuit hominis forma in oculos incurrens : tertium, quod sicut panis species superstes non impedit quominus unum in Eucharistia corpus sit, nempe Christi, ita in incarnatione unus sit filius & una persona, nempe Verbi; &

quod

quod sicut homo in Christo sit filius Dei propriam substantiam amittendo; ita panis sit corpus Domini propriam substantiam amittendo. Unum autem est, in quo discrepant, nempe quod in Christo substantiæ duæ sint omni ex parte perfectæ & completæ; in Eucharistia vero non ita.

Atque hæc dicta sint ad illam epistolam a Petro Martyre Calviniano primum allegata & a multis catholicis initio insimulata suppositionis, quæ post multas de ea ejusque auctore doctorum virorum hinc & inde concertationes, non heterodoxorum modo, sed etiam catholicorum studio in lucem nuper edita, vulgo jam Chrysostomo attribuitur. Neque repugnandi sane est animus, quamvis, ut dicam quod res est, nonnulla sint adhuc, quæ me incertum sententiæ teneant.

Hieronymus.

In epistolam ad Titum cap. 1. de Eucharistia disserens, & conjugii expertes esse debere sacerdotes qui eam conficerent, probans exemplo panum propositionis qui haud mediocrem sanctimoniam postulabant; " Tantum interest inter panes propositionis, inquit, & corpus Christi, quantum inter umbram & corpus, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea, quæ per ipsa exemplaria præfigurabantur. " Ergo Eucharistia ipsa verum est corpus Christi. *In epistola ad Heliodorum*. " Absit, inquit, ut de iis quidquam sinistrum loquar, qui apostolico gradui succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt. " *In cap.* 1. *epistolæ ad Ephesios*: " Dupliciter, inquit, sanguis Christi & caro intelligitur: vel spiritualis illa atque divina, de qua ipse dixit, *Caro mea vere est cibus* &c. . . . vel caro & sanguis quæ crucifixa est, & qui militis effusus est lancea. Juxta hanc divisionem & in sanctis ejus diversitas carnis & sanguinis accipitur, ut alia sit caro, quæ visura est salutare Dei, alia caro & sanguis, quæ regnum Dei non queant possidere.

Carnem Christi quæ crucifixa est, ab ea quæ jam in Eucharistia est, secernit hic Hieronymus, tantum penes statum quod illa pati potuerit, non vero hæc: quomodo distinguitur caro nostra mortalis, ab ea quæ immortalis futura est post corporum resurrectionem. At utrobique eadem carnis est substantia.

OBJICIT Albertinus 1. id quod habet Hieronymus *in cap.* 26. *Matthæi*; " Postquam typicum pascha fuerat impletum, inquit, & agni carnes cum apostolis comederat, assumit panem qui confortat cor hominis, & ad verum paschæ transgreditur sacramentum, ut quomodo in præfiguratione ejus Melchisedech summi Dei sacerdos panem & vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem corporis sui & sanguinis repræsentaret. " Ergo, inquit, Eucharistia est figura aut repræsentatio corporis Christi, & quidem ejusdem generis cum ea quam Mel-

Melchisedech obtulit. Christum enim fecisse dicitur quod Melchisedech fecerat.

RESPONDEO verbum *repræsentare*, idem omnino hic esse quod *præsens sistere*. Nam præterquam quod in nostram potius partem flectendum sit, eo ipso quod esset ambiguum, multa sunt quæ id exigant. 1. Scopus Hieronymi. Nam illic opponit, id quod fecit Christus, agno paschali, & sacrificio Mechisedeci, tanquam veritatem figuris & umbris: proinde eo loci *repræsentare* idem sonat quod antiquarum figurarum veritatem exhibere. 2. Id etiam voces ipsæ indicant. Nam opponit ibi in duplici orationis membro præfigurare, & repræsentare veritatem: quomodo typicum pascha vero, & sacrificium Melchisedech sacrificio nostro. Ergo *repræsentare* non idem est quod *præfigurare*, ut pascha verum non idem est quod typicum. 3. Qui signum arbitrarium instituit, is non nisi inepte dicatur veritatem rei, cujus signum illud est, repræsentare: neque ullum est talis locutionis exemplum. Quod autem dicatur Christus idem fecisse quod fecerat Melchisedech, id ea tenus est accipiendum, ut uterque panem sumpserit, & usurpaverit in sacrificium, sed cum hoc discrimine quod Christus e pane corpus suum fecerit.

OBJICIT 2. *Epistolam ad Hedibiam*, in qua respondens ad quæstionem sibi propositam, quid sibi vellent hæc Domini verba: *Dico vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, quo bibam illud novum vobiscum in regno Patris mei*, sic ait: " Ex hoc „ loco quidam mille annorum fabulam struunt, in quibus Christum „ regnaturum corporaliter esse contendunt, & bibiturum vinum, „ quod ex illo tempore usque ad consummationem mundi non bibe„ rit. " Sic autem ratiocinatur Albertinus: Eadem fuit de Eucharistia fides Hieronymi & illorum Millenariorum. Atqui isti tale in Eucharistia vinum admittebant, quale in regno mille annorum bibituros se esse arbitrabantur, hoc est verum vinum. Ergo.

NEGO minorem: nam etsi ex hoc loco inferrent se verum bibituros esse vinum in eo regno Christi; non tamen inde sequitur juxta eos verum in Eucharistia vinum extitisse post consecrationem; nam argumentum illi petebant ex nomine *vini* non ex re, quam biberat Christus. Jam vero vox *vini* verum ubique vinum significat: nisi forte occurrat aliquid, quod nativam nominis notionem mutare compellat. Porro cum Christus calicem eucharisticum delibavit, intercesserat aliquid, quod vini notionem mutaret: de vino enim sanguinem suum fecerat: nihil autem erat, quod vini solitam ac vulgarem notionem mutandam esse innueret per illud mille annorum intervallum: inde ratio est discriminis. Cæterum quod Hieronymus censeret Eucharistiam vere esse corpus Christi, constat ex sequentibus verbis: " Nos autem, inquit, audiamus panem, quem fregit Dominus de„ ditque discipulis suis, esse corpus Domini salvatoris, ipso dicente

„ ad

„ ad eos : *Accipite & comedite , hoc est corpus meum* , & calicem il-
„ lum esse de quo iterum locutus est . . . . *hic est sanguis meus novi*
„ *testamenti , qui pro multis effundetur* . . . . Si ergo panis qui de cœ-
„ lo descendit corpus est Domini , & vinum quod discipulis dedit ,
„ sanguis illius est , ... Judaicas fabulas repellamus: . . . nec Moy-
„ ses dedit nobis panem verum , sed Dominus Jesus, ipse conviva, &
„ convivium , ipse comedens , & qui comeditur . " 1. Enim verba aperta sunt . 2. Pugnat cum Millenariis, qui vinum verum credebant se esse bibituros: vult autem non vinum, sed sanguinem Christi esse intelligendum. 3. Ait eodem modo Christum dedisse nobis corpus, quo Moyses non dederat : at Moyses illud dederat in imagine multiplici . Ergo . 4. Ad Eucharistiam applicat caput 6. Joannis . 5. Diserte asserit in Eucharistia instituenda Christum fuisse convivam, & convivium, eum qui comederet , & qui comederetur : quo nihil fingi potest evidentius.

Augustinus.

Post Hieronymum exponendus venit Augustinus ; & eo quidem diligentius, quod ejus imprimis patrocinio glorientur adversarii : sed ut pateat quam immerito, omnem ejus de Eucharistia doctrinam pespicuitatis causa in varia capita distribuemus, ostendemusque eum sensisse, 1. quod in Eucharistia sit vere corpus Christi: 2. quod ibi manducetur corporaliter : 3. quod sumatur etiam a malis.

Itaque docet in Eucharistia verum esse Christi corpus pluribus in locis.

1. *Libro 9. confess. cap.* 13. *num.* 36. ubi mandatum referens matris suæ jamjam moriturae , " Non ista , ait , mandavit nobis sed tantum-
„ modo memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, . . . unde sciret
„ dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum, quod erat
„ contrarium nobis. " Victima sancta qua deletum est chirographum contrarium nobis , est caro ipsa Christi in cruce immolata. Atqui victima illa sancta in altari dispensatur. Ergo in altaris sacramento est.

2. *Concione* 1. *in psal.* 33. *num.* 10. ubi explanans illud de Davide Scripturæ dictum, juxta LXX. interpretationem, *Et ferebatur in manibus suis*: nec inveniens qua ratione id in Davidem conveniret, convertit se ad Christum, qui tulit in manibus suis corpus suum, cum Eucharistiam instituit; & sic habet : " Hoc vero, fratres, quomodo fieri posset in homi-
„ ne quis intelligat? quis enim portatur in manibus suis? Manibus alio-
„ rum potest portari homo; manibus suis nemo portatur. Quomodo in-
„ telligatur in ipso David secundum litteram, non invenimus; in
„ Christo autem invenimus: ferebatur enim Christus in manibus suis,
„ quando commendans ipsum corpus suum, ait : *Hoc est corpus meum*;
„ ferebat enim illud in manibus suis. " Ergo in Eucharistia instituen-

da, 1. Christus corpus suum portabat in manibus suis : 2. non corpus symbolicum & extraneum, sed ipsum corpus suum : 3. non metaphorice, sed ad litteram : 4. id præstans quod nullus hominum præstare possit : quis autem se in imagine ferre non queat?

3. *In psal.* 125. " Videte, in toto terrarum orbe pretium nostrum „ accipitur : *Amen* respondetur. " Itaque juxta S. Augustinum, verus sanguis Christi, qui solus pretium nostrum est, in Eucharistia accipitur, & ejus veritas voce *amen* confirmatur.

Nihil ergo clarius quam quod in doctrina S. Augustini vere sit corpus Christi in Eucharistiæ sacramento.

Quod autem corpus in ea oraliter manducetur, constat, 1. ex ejus *enarrationibus in psalmos*.

In psalmum 33. *conc.* 2. de Judæis loquens, " Illi de crucifixo „ tenebrati sunt; nos manducando crucifixum & bibendo illumina- „ mur. "

In psalm. 65. *num.* 5. de iisdem, " Ipsum sanguinem, quem per in- „ saniam fuderunt, per gratiam biberunt.

In psalm. 98. *num.* 9. enucleans has voces : *Adorate scabellum pedum ejus* : " Quomodo, inquit, adorabimus terram, cum dicat aperte Scri- „ ptura ; *Dominum Deum tuum adorabis* : & hic dicit : *Adorate scabel-* „ *lum pedum ejus?* Exponens autem mihi, quid sit scabellum pedum ejus, „ dicit, *Terra autem scabellum pedum meorum*. Anceps factus sum : timeo „ adorare terram; ne damnet me, qui fecit cœlum & terram : rursus ti- „ meo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia psalmus mihi „ dicit : *Adorate scabellum pedum ejus*... Fluctuans converto me ad Chri- „ stum; ... & invenio, quomodo sine impietate adoretur terra, adoretur „ scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram, quia caro de ter- „ ra est, & de carne Mariæ carnem accepit, & quia in ipsa carne hic „ ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit. Ne- „ mo autem carnem illam manducat, nisi prius adoraverit. Inventum est „ quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum „ non peccemus adorando, sed etiam peccemus non adorando. Numquid „ autem caro vivificat? Ipse Dominus dixit, cum de ipsa commendatio- „ ne ejus terræ loqueretur. *Spiritus est qui vivificat ; caro autem nihil pro-* „ *dest* : ideo & ad terram quamlibet, cum te inclinas atque prosternis, „ non quasi terram intuearis, sed illum sanctum, cujus pedum scabellum „ est, quod adoras : propter ipsum enim adoras. " Duo omnino sunt ex quibus dogma nostrum essiorescit, & quæ ibi evidenter astruuntur : vera nempe Christi caro, & oralis veraque carnis hujus manducatio : nam de vera Christi carne hic agi tum omnes confitentur, tum ex eo liquet, quod ista caro adoranda ibi prædicetur.

Quod autem de vera & orali manducatione corporis Christi in Eucharistia existentis, non vero de spirituali manducatione corporis Christi in cœlo sermo sit, constat 1. ex eo quod ipsa loquendi ratio id

per

per se significet : 2. quia eo loco Augustinus æmulatus est Ambrosium *lib. 3. de Spiritu sancto, cap.* 12. ubi *mysteria* conceptis verbis nominat. 3. Quia loquitur de ea manducatione, quam adoratio exterior semper præcedat, ac præcedere debeat : talis autem sola est manducatio corporalis : nam manducatio spiritualis potest esse absque ulla adoratione, absque adoratione certe externa & totius corporis prostratione ; multo minus postulat ejusmodi præviam adorationem, quæ potius ex ea sequitur. 4. Quia de eo disputat, quod intuearis & coram quo te inclines ac prosternas. 5. Quia id, de quo differit, multis in locis simul existit : ait enim : " eum ad terram quamlibet te inclinas & prosternis : " quod corpori Christi in cœlis existenti non congruit. 6. *In psalm. 39. num.* 12. de antiquatione veterum sacrificiorum differens, " Sacrificia illa, inquit, tanquam verba promissiva ablata sunt ; data sunt completiva. Quid est, quod datum est completivum? corpus, quod nostis, quod non omnes nostis, quod utinam qui nostis omnes, non ad judicium noveritis . . . . Christus . . . . *Sacrificium*, inquit, *& oblationem noluisti*. Quid ergo? . . . . sine sacrificio dimissi sumus? Absit. *Corpus autem perfecisti mihi*. Ideo illa noluisti, ut hoc perficeres : illa voluisti, antequam hoc perficeres. Perfectio promissorum abstulit verba promittentia . . . . Ablata sunt signa promittentia ; quia exhibita est veritas promissa . . . . Hujus corporis participes sumus, quod accipimus, novimus ; & qui non nostis, noveritis ; & cum didiceritis, utinam non ad judicium accipiatis.

Dubium esse non potest quin ibi agatur de manducatione corporali, malis perinde ac bonis communi. At non minus indubitatum est verba hic fieri de vera Christi carne, non de illius signo. Quid enim? an signum corporis Christi potest dici completivum veteris legis? an potest dici veritas promissa veteribus sacrificiis? an corpus illud quod Filio Pater aptaverit? Ergo in Eucharistia vera Christi caro ore manducatur.

In psal. 100. num. 9. " Nos de cruce Domini pascimur, qui corpus ipsius manducamus.

2. *Ex sermone 67. de verbis evangelii, num.* 4. *tomo* 5. ubi de Judæis verba faciens a Petro conversis ad fidem nostram. " Conversi sunt, baptizati sunt, ad mensam Domini accesserunt, & sanguinem quem sævientes fuderunt, credentes biberunt : quod iisdem verbis repetit *serm.* 80. 87. *num.* 14. 89. *num.* 1. *serm.* 352. *de pœnitentia num.* 2. *&* *serm.* 382. *de S. Stephano*.

3. Ex libro 2. *contra adversarium legis & prophetarum num.* 33. ubi docens in verbis Scripturæ simpliciter esse acquiescendum, & si quid in iis duri esse videatur, exemplum Eucharistiæ affert *num.* 33. " Sicut, inquit, mediatorem Dei & hominum hominem Christum Jesum, carnem suam nobis manducandam sanguinemque suum bibendum dantem fideli corpore atque ore suscipimus, quamvis horribi-

„ lius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, & hu-
„ manum sanguinem potare, quam fundere.

Omnia huc concurrunt, quæ errorem Calvinianorum perimant. Hic enim locus referri non potest ad manducationem mere spiritualem: ore enim suscipimus: non etiam ad manducationem corporis in signo tantum. Sermo enim est de manducatione, quæ per se possit incutere horrorem, qui nullus est, ubi carnis duntaxat signum est.

Deinde Augustinus ibi disputat de ea manducatione, quæ credenda sit, etiamsi sensus ac ratio ei contradicere videantur. At talis non est manducatio Calvinianorum. Denique bibere & fundere sanguinem Christi, hic commemorantur & opponuntur, ut duæ res, quarum una in Eucharistia est, non altera. At negari non potest quin Eucharistia sit figura & repræsentatio Christi occisi, & sanguinis ejus fusi. Ergo non agitur ibi de repræsentatione ac figura. Ergo vere & proprie manducatur caro Christi.

4. *Ex libro* 12. *contra Faustum cap.* 10. ubi ait; " Habet magnam
„ vocem Christi sanguis in terra, cum eo accepto ab omnibus genti-
„ bus respondetur, *Amen*. Hæc est clara vox sanguinis, quam san-
„ guis ipse exprimit ex ore fidelium eodem sanguine redempto-
„ rum.

Capite autem 20. Eucharistiam vocat, " Sacramentum spei, quo in
„ hoc tempore consociatur Ecclesia, quandiu bibitur, quod de Christi
„ latere manavit. " Illic ab Augustino ex æquo stabilitur proprietas corporalis susceptionis, & veritas sanguinis ore suscepti: proprietas quidem susceptionis corporalis, quia sanguis iste dicitur esse in terra, accipi ore fidelium in hoc tempore, & ex eodem ore quo sumitur, *amen* exprimere; veritas autem sanguinis, quia dicitur esse ille idem sanguis, qui fluxit a latere Christi, & quo redempti sumus.

Primum inficiari non potuit Albertinus: sed sanguinem, quo redempti sumus, affirmat apud Augustinum non esse eumdem sanguinem, quo redempti sumus, sed illius signum. At si ita est, quid de humano sermone fiet? Qua tandem ratione mentem nostram verbis nostris aperiemus? Qua arte sententiam scriptorum ex eorum verbis exculpemus? An sancti Patres auditoribus illudere voluerunt? an ita stupidi extitere, ut quam notionem in fidelium animis imprimerent verba sua, non prospicerent? an intelligentiam divinam habuerunt tunc omnes populi, ut aliud dici, aliud intelligi oportere statim omnes cernerent?

Hactenus Augustinus de manducatione orali corporis Christi in universum, quod erat secundum disputationis caput. Jam quod pertinet ad tertium caput inde consequens, Augustinus tradit idem Christi corpus a malis juxta & bonis comedi.

1. Enim *lib. ad Donatistas* post collationem *num.* 27. de servo in tenebras exteriores conjecto differens: " In illo uno, inquit, grande corpus
„ figu-

„ figurabatur omnium malorum ante Domini judicium convivio dominico permixtorum : a quibus se boni corde interim & moribus separant, „ simul manducantes & bibentes corpus & sanguinem Domini.

2. *De baptismo lib.* 5. *num.* 9. " Sicut Judas cui buccellam, inquit, tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed male accipiendo, locum „ in se Diabolo præbuit : sic indigne quisque sumens Dominicum sacramentum non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit, aut quia ad „ salutem non accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & sanguis „ Domini nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat apostolus, *Qui* „ *manducat indigne, judicium sibi manducat & bibit.*

3. *Libro* 1. *contra Cresconium Donatistam cap.* 5. probans usum bonarum etiam rerum obesse male utentibus : " Quid de ipso corpore, inquit, & sanguine Domini, unico sacrificio, pro salute nostra? Quamvis ipse Deus dicat, *Nisi quis manducaverit carnem meam & biberit sanguinem meum, non habebit in se vitam* : Nonne idem apostolus docet etiam perniciosum male utentibus fieri? Ait enim : *Quicumque manducaverit panem & biberit calicem indigne, reus erit corporis & sanguinis* „ *Domini.*

4. *Sermone* 11. *de verbis Domini*, exponens locum evangelii de blasphemia in Spiritum sanctum, quæ nunquam remittetur, & demonstrans Scripturæ verba non semper generatim esse accipienda, in necessariæ restrictionis exemplum adducit has Christi voces : *Qui manducat carnem meam & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo.* Sic autem ait, " „ Nunquid etiam illos hic poterimus accipere, de quibus dicit Apostolus, quod judicium sibi manducent & bibant, cum ipsam carnem manducent & ipsum sanguinem bibant? .... Sed profecto est quidam modus manducandi illam carnem & bibendi illum sanguinem, quo modo „ qui manducaverit & biberit, in Christo manet & Christus in eo .... „ Sic igitur & in eo, quod ait, *Qui blasphemaverit &c.* " Ista decretoria „ plane sunt, ac rem conficiunt.

1. Enim Christus *cap. 6. Joannis* agit de vera carne sua : non de signo illius. Atqui sextum hoc caput refert Augustinus etiam ad impios, ut qui carnem Christi manducent. Ergo.

2. Hæ locutiones *ipsam carnem manducant*, & *ipsum sanguinem bibunt*, designant in eo agnitum ab Augustino aliquid per se incredibile. At nihil incredibile est, si impii panem tantum comedant, qui sit signum corporis Christi absentis.

3. Mali a bonis non secernuntur penes rem ipsam, quam manducant, sed tantum penes modum ac fructum : asserit Augustinus corpus Christi improbis illud suscipientibus esse nihilominus corpus Christi.

Objicit 1. Albertinus *sermonem* Augustini *ad infantes*, laudato a Fulgentio *de baptismo Æthiopis*, Beda *in* 1. *Cor. cap.* 10. & Bertramo *de corpore, & sanguine Domini*, cujus hæc verba sunt : " Hoc quod videtis in „ altari, etiam transacta nocte vidistis, sed quid esset, quam magnæ rei

„ sacramentum contineret, nondum audistis. Quod ergo videtis, panis „ est, & calix, quod vobis etiam oculi vestri renunciant : quod au- „ tem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix „ sanguis Christi. Breviter quidem hoc dictum est, quod fidei forte „ sufficiat : sed fides instructionem desiderat : dicit enim propheta, *Nisi* „ *credideritis, non intelligetis*. Potestis ergo dicere mihi : Præcepisti ut „ credamus : expone ut intelligamus. Potest enim in animo cujus- „ piam talis cogitatio oboriri. Dominus noster Jesus Christus novimus „ unde acceperit carnem, de virgine Maria : infans lactatus est, cre- „ vit, ad juvenilem ætatem perductus est, ... passus est .... tertia „ die resurrexit, quo die voluit, in cœlum ascendit, ... unde est „ venturus, ut judicet vivos & mortuos. Ibi est modo sedens ad dex- „ teram Patris. Quomodo est panis corpus ejus; & calix, vel quod ha- „ bet calix, quomodo est sanguis ejus? Ista, fratres, ideo dicuntur sa- „ cramenta, quia in iis aliud videtur, aliud intelligitur : quod vide- „ tur speciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet spiri- „ talem. Corpus ergo Christi, si vis intelligere, apostolum audi dicen- „ tem fidelibus, *Vos estis corpus Christi & membra*. Si ergo vos estis „ corpus Christi & membra, mysterium vestrum in mensa dominica po- „ situm est, mysterium vestrum accipitis. Ad id, quod estis, *amen* res- „ pondetis, & respondendo subscribitis. Audis ergo *Corpus Christi*, & „ respondes *Amen*. Esto membrum corporis Christi, ut verum sit „ *Amen*. Quare ergo in pane? nihil hic de nostro afferamus : ipsum „ Apostolum item audiamus : cum ergo de isto sacramento loqueretur, „ ait, *Unus panis, unum corpus multi sumus*. Intelligite & gaudete ... „ recolite enim quia panis non fit de uno grano, sed de multis. Quan- „ do exorcizabimini, quasi molebamini : quando baptizati estis, quasi „ conspersi estis : quando Spiritus sancti ignem accepistis, quasi cocti „ estis. Estote quod videtis, & accipite quod estis. Hoc apostolus de „ pane dixit. Jam de calice quid intelligeremus, etiam hoc dictum sa- „ tis ostendit. Sicut enim ut sit species visibilis panis, multa grana in „ unum consperguntur; .... sic & de vino : fratres, recolite unde sit „ vinum : grana multa pendent ad botrum, sed liquor granorum in „ unitate confunditur : ita Dominus Jesus Christus nos significavit ... „ mysterium pacis & unitatis nostræ in mensa sua consecravit. Qui ac- „ cipit mysterium unitatis, & non servat vinculum pacis, non myste- „ rium accipit pro se, sed testimonium contra se. " Ex hoc vero ita ar- guunt Albertinus & Claudius, Qui ex professo docens recens baptizatos, quid de Eucharistia sit sentiendum, totus convertitur ad figuras & alle- goricas interpretationes, is censendus non est admittere verum Christi corpus in hoc sacramento. Atqui Augustinus hic ex professo exponebat communem Ecclesiæ de Eucharistia doctrinam, & tamen more Sacramen- tariorum totus hæret in figuris & allegoricis interpretationibus. Ergo aut ineptus catechista aut Calvinianus fuit.

DISTIN-

DISTINGUO majorem : si doceat recens baptizatos, quid Eucharistia sit in se ; concedo : si illos tantum docere velit rationes mysticas ac morales , cur in pane Eucharistia instituta sit ; nego . Porro contendimus Augustinum in eo versari, non ut Ecclesiæ de Eucharistia dogma ac decretum, mysteriique, ut ita dicam, substantiam neophytis illis traderet; sed ut ad id quod jam credebant, aliquid adjiceret quod ad mores pertineret : illud autem multis momentis non suadetur modo, sed etiam convincitur.

1. Enim necesse prorsus non erat, ut iis aperiret, quid de Eucharistia esset sentiendum : nocte enim proxime præterita ad Eucharistiam accesserant, ut constat *ex sermone* 87. *de diversis*, *num.* 227. similis omnino argumenti, habito die paschæ : sic enim ibi loquitur, " Memor „ sum promissionis meæ : promiseram enim vobis qui baptizati estis , „ sermonem quo exponerem mensæ Dominicæ sacramentum, quod modo etiam videtis , & cujus nocte præterita jam participes facti estis „ &c. " At Ecclesia numquam ad Eucharistiam admisisset illos , qui ignorassent quid illa esset, & qui corpus Christi dijudicare non possent.

Et vero mos ille viguit olim ut antequam neophyti Eucharistiam sumerent, illud iis sacramentum explicaretur. Id in Oriente fiebat sabbato in pervigilio paschatis, ut colligitur ex Cyrillo Hierosolymitano *catech.* 18. alibi autem nocte ipsa paschatis, statim a baptismo regressis a fonte neophytis, ut habet tractatus 2. Sancti Gaudentii *tom.* 2. *biblioth. Patrum* : in Africa vero cum breviter, aut privatim accepissent in quo Eucharistia consisteret, antequam eam participarent, postmodum die ipsa Paschæ aut Pentecostes episcopus ad altare intra ipsa missæ solemnia, tum primum ad eos verba publice faciebat, de fructu quem ex ea percipi oporteret , cum elapsis ante diebus de oratione dominica & de symbolo apud eos disseruisset : de quo vide præter laudatos jam sermones eum qui est 228. inter Augustinianos. 2. Ne ipsi quidem Calviniani in hoc loco quo triumphant , demonstrare possunt sua de Eucharistiæ sacramento placita ; in eo enim sacramenti hujus essentiam constituunt, quod figura sit, non corporis mystici Christi, sed naturalis, non fidelium societatis, sed mortis Christi, & quod sit imago efficax Christi, divina virtute prædita . At hic de istis mentionem non facit Augustinus, sed de uno corpore mystico. Ergo fucum facere volunt adversarii, & suo se ipsi gladio jugulant, dum contendunt Augustinum hic catechistam agere. Si enim Calvinianus fuit & catechistam agere voluit, omnium hominum ineptissimus fuit, qui dogmata Calvinianorum universa silentio involvit & divertit omnino ad alia.

NEQUE est , quod reponant dogma suum his verbis contineri , „ Quomodo panis est corpus ejus, & calix .... sanguis ejus? .....Ista „ fratres, ideo dicuntur sacramenta , quia in his aliud videtur , aliud „ intelligitur : quod videtur speciem habet corporalem , quod intelligi„tur fructum habet spiritalem . " Ista enim de corpore Christi natu-

rali accipienda esse, quod pane ac vino significatur: postmodum autem Augustinum inde digredi ad corpus mysticum, his insequentibus verbis, " Corpus ergo Christi, si vis intelligere &c.

Nam hæ voces, " Ista, fratres „ &c. præterquam quod sunt obscuriores, nec ad catechesim Calvinianam sufficiunt, nihil aliud sunt quam propositio quædam generalis, omnibus sacramentis conveniens; hic autem spectans non ad corpus naturale, cujus nullum exinde vestigium est, sed unice ad corpus Christi mysticum, ad quod solum hic respiciebat Augustinus: illico enim subdit, " Corpus ergo Christi, si vis in„ telligere, audi Apostolum dicentem, *Vos estis corpus Christi & mem„ bra*. " Nam particula ista, *ergo*, non tantum fibula est orationis posterius sermonis membrum cum priori connectens, sed etiam unum ex alterius sinu educens. Ergo corpus Christi mysticum in præcedente membro latebat & includebatur. Verum ut pateat insulsitas, inseramus Augustini orationi vocabula, quæ supplenda Calviniani existimant, & sic loqui fingamus sanctum hunc doctorem, " Qumodo panis est „ corpus Christi naturale & calix sanguis ejus naturalis? Ista, fratres, „ ideo dicuntur sacramenta, quia in his aliud videtur, (nempe panis „ & vinum,) aliud intelligitur (nempe corpus naturale & sanguis): „ quod videtur (nempe panis), speciem habet corporalem, quod „ autem intelligitur, (nempe corpus naturale) fructum habet spirita„ lem. Corpus ergo Christi (mysticum) si vis intelligere, audi apo„ stolum dicentem, *Vos estis corpus Christi*. " Quid, obsecro, hac disserendi ratione absurdius? quid dissipatius ista oratione? quid Augustino indignius? Absit itaque ut eam Augustino tribuamus.

3. Ipse Augustinus manifeste indicat se nolle tradere quid de Eucharistia necessario credendum sit: supponit enim eos jam credere; sed iis exponere vult amplius hoc mysterium, ut etiam intelligant: intelligentiam autem a fide sejungit, & posteriorem facit, omnemque sermonem suum ad mores informandos refert. Sibi hoc unum proponit ut explicet quid Eucharistia sibi velit, quam magnæ rei sacramentum contineat, quomodo panis est corpus Christi, seu potius, ut clarius deinceps loquitur, quare in pane ponitur: vox enim *ergo* indicium est repetitæ ejusdem quæstionis.

4. Nedum catechistam Calvinianum agat, initio contra sermonis obiter docens, quid in se Eucharistia sit, definit eam esse corpus Christi, & hoc ad fidem sufficere posse affirmat. At juxta Calvinianos Eucharistia non est corpus Christi, aut si corpus Christi aliquatenus est credenda, adjici oportet eam esse corpus Christi, in signo, figura & virtute, non autem reipsa. Ergo.

5. Denique si de moribus Augustinus verba facere dicatur, omnis ejus oratio cohæret & connexa fluit: non cohæret autem, si de dogmate ritu Calviniano disputare putetur. Ergo.

At, inquies, dubium hic proponit adversus Eucharistiam fundatum in

in Christi ascensione ad cœlum. At illud dubium non potest spectare nisi ad realitatem. Ergo.

DISTINGUO: fundatum in Christi ascensione, sicut & in ejus nativitate, vita, morte, resurrectione, aliisque mysteriis; concedo; in sola Christi ascensione: nego. Si dubium fundaretur in sola ascensione Christi ad cœlum & cœli a terra distantia, impeteret præsentiam realem. At fundatur in formæ, quam habuit Christus ab initio vitæ ad suam usque ascensionem, dissimilitudine cum ea quæ panis eucharistici est. Ergo.

INSTABIS. Hæc ipsa formæ Christi dissimilitudo cum ea quæ in Eucharistia est, impugnat etiam præsentiam realem: potest enim cuipiam talis cogitatio oboriri: non ibi est species corporis humani, sed panis usitati. Ergo ibi non est corpus Christi; proinde de præsentia reali agebatur.

DISTINGUO antecedens: formæ utriusque dissimilitudo impugnat præsentiam realem & assumptionem panis in sacramentum; concedo; solam præsentiam realem; nego. Ut enim potest quis dicere: Non ibi videtur corpus Christi, sed aliud: ergo ibi non est: sic & potest quis ita ratiocinari: Sacramenta quamdam habere debent similitudinem cum iis rebus, quarum signa sunt, alias sacramenta non essent, ut ait ipse Augustinus. At nulla est similitudo panis cum corpore Christi in quocunque demum vitæ statu & articulo consideretur. Quare ergo assumptus est in sacramentum corporis? Cujus autem generis sit dubitatio, an prioris, an posterioris, ex responsione intelligitur: responsio autem Augustini tota est de ratione mystica sacramenti.

OBJICIT 2. *epistolam ad Bonifacium episcopum*, quæ nunc est 98. in qua Augustinus respondens isti præsuli, quærenti, cur in baptismo nomine parvuli fidejussores dicerent *credo*, etsi infans per ætatem credere non possit; ait infantem dici posse habere fidem, quia sacramentum fidei habet, nempe baptismum; sacramentum autem fidei fides potest apellari: „ Nempe, inquit *num.* 9. sæpe ita loquimur: .... die dominico dicimus: Hodie Christus resurrexit ..... ut dicatur ipse dies qui non est ipse, sed revolutione temporis similis ejus .... Nonne semel immolatus est Christus in semetipso; & tamen in sacramento ...... omni die populis immolatur, nec utique mentitur, qui interrogatus eum responderit immolari. Si enim sacramenta quamdam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quemdam modum sacramentum corporis Christi, corpus Christi est, sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est; ita sacramentum fidei fides est .... sicut de ipso baptismo, Apostolus; *Consepulti*, inquit, *sumus Christo per baptismum in mortem*; non ait, *sepulturam significamus*; sed prorsus ait, *consepulti sumus*. Sacramentum ergo

„ tan-

„ tantæ rei non nisi ejusdem rei vocabulo nuncupavit. " Ex quibus „ ita disputat Albertinus: Illud non est proprie corpus Christi, quod „ est tantum corpus Christi secundum quemdam modum. Atqui sacramentum corporis Christi, est tantum corpus Christi ex Augustino „ secundum quemdam modum. Ergo.

Distinguo minorem: sacramentum corporis Christi, id est species panis, & vini extrinsecus apparens est tantum corpus Christi secundum quemdam tantum modum; concedo: id est Eucharistia secundum se totam sumpta; nego. Tria distinguunt vulgo in Eucharistia theologi, id quod est sacramentum tantum, nempe speciem externam panis & vini, id quod est sacramentum simul, & res sacramenti, nempe corpus Christi symbolis involutum, & id quod est tantum res sacramenti, v. gr. corpus Christi. De sacramento porro hic loquitur Augustinus, hoc est de eo quod est tantum sacramentum. Nempe primo ibi non ex professo, sed obiter tantum de Eucharistia mentionem fecit: atque adeo non quid illa omnino esset explicare debuit. 2. Ad Eucharistiam recurrit, ut ostenderet sacramentum fidei posse dici fidem, quia signa donantur sæpe nominibus rerum significatarum: proinde ex Eucharistia illud in exemplum adduci ab eo oportuit, quod in ea signum est duntaxat, & quod non corpus dicitur Christi, nisi quia est signum illius. Talis porro est species externa panis: nam illa est signum corporis Christi, quod continet: sæpe autem illa species insignitur nomine *corporis Christi*, ut cum dicitur corpus Christi dividi in plures partes, & pars una corporis Christi ab unoquoque accipi: id enim in solam speciem externam congruit. Dicitur porro illa *corpus Christi* duntaxat improprie & juxta quemdam modum, quia nempe signo tribuitur frequenter nomen rei significatæ: ut animadvertit Anselmus seu potius Guilelmus de sancto Theodorico, " Species visibilis „ panis, inquit in opere *de sacramento altaris*, *cap.* 11. non est caro „ vel corpus Christi per se considerata, nisi quod hoc nuncupatur ex „ consuetudine Scripturarum, qua plerumque sacramenta sortiuntur „ nomina earum rerum, quarum similitudinem aliquam gerunt. Ideo „ & earum rerum sacramenta sunt: si enim sacramenta quamdam si„ militudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, om„ nino sacramenta non essent.... Sicut *petra* dictus est Christus, ... sic *cor*„ *pus Domini* potest nuncupari.

Instat Albertinus. Comparat Sanctus Augustinus sacramentum corporis Christi cum sacramento fidei actualis parvulis dato, cum signo sepulturæ dominicæ, cum die Dominico, qui propter similitudinem vocatur *dies resurrectionis*. Atqui ista nulla ex parte sunt id quod dicuntur. Ergo nec sacramentum altaris ulla ex parte est corpus Christi.

Distinguo majorem: comparat in eo in quo conveniunt; concedo: in omnibus; nego. In eo ista omnia conveniunt, quod donentur nomi-

nominibus rerum, quarum habent similitudinem: in hoc discrepant, quod sacramentum corporis Christi conjunctum sit cum eo quod significat: non item alia.

Objicit 3. *librum contra Adimantum Manichæum*, qui cum probare vellet Christum fuisse contrarium auctori veteris legis, opponebat istud *Deuteronomii*, *cap.* 12. *vers.* 23. non esse manducandum sanguinem, quia sanguis anima est: ex quo inferebat homines juxta auctorem antiqui testamenti posse nocere animæ, sanguinem nempe effundentes, aut cœno lutoque miscentes: contra quam statuit Christus *Matthæi* 10. non esse timendos eos qui occidunt corpus, animæ autem nocere non possunt. Cui respondens Augustinus *cap.* 12. *num.* 3. ait 1. Id veteris legis dictum de pecorum anima intelligi. 2. Addit sanguinem potuisse appellari animam in signo: non quod proprie sit anima; sed quod ejus sit signum: quod ut simili exemplo confirmaret, Eucharistiam profert, in cujus institutione "Non dubitavit Dominus, inquit, dicere, *Hoc est corpus meum*, cum signum daret corporis sui: " cui exemplo aliud subjungit *num.* 5. de petra, quæ ab apostolo dicta est Christus, eo quod ejus esset imago & figura. Unde deducit Albertinus, quod Eucharistia sit figura corporis Christi, & quod non nisi improprie *corpus Christi* nuncupetur.

Distinguo: Eucharistia penes speciem externam, est figura corporis Christi, & improprie tantum corpus Christi vocatur; concedo: penes se totam; nego: Eadem est responsio, quæ ad superiorem locum: per transennam enim solummodo de Eucharistia sermonem habebat Sanctus Augustinus: & cum exemplo opus haberet, illud ex specie extrinsecus apparente repetiit. Cæterum ut sanguis est signum animæ ei conjunctæ, ita species panis signum est corporis Christi præsentis.

Instabis. Christus non dubitavit dicere, *Hoc est corpus meum*, cum signum daret corporis sui. Ergo in ipso signo difficultas est. Ergo immerito ex Patribus difficultatem in Eucharistia agnoscentibus argumentum eruitur adversus figuram quam admittunt Calviniani.

Distinguo primam sequelam: ergo in ipso signo difficultas est, pertinens ad loquendi rationem; concedo: ad rem ipsam; nego. Duplex est difficultatum genus, aliud in locutionibus, aliud in rebus ipsis positum. Quod de signo affirmetur res significata, tropus est non ita usitatus: atque adeo locutio audacior: proinde in eo difficultas est, sed ad locutionem pertinens: non est autem in re ipsa difficultas. Porro Patres locutionem Christi ut apertissimam proferunt, & urgent ad fidem: in re autem ipsa summam agnoscunt difficultatem. Ergo.

Instabis 2. Ergo verbis Christi sensus figuræ affingi potest.

Distinguo propositionem: verbis Christi, quatenus cadunt in par-

partem exrernam ; concedo : quatenus cadunt in totam Euchariftiam; nego . Euchariftia duas complectitur partes , internam & externam ; Juxta S. Auguftinum Chriftus de utraque pronunciavit , quod effet corpus fuum : fed non uno modo : de interna fcilicet proprie ; de externa improprie.

Instabis 3. Ergo in prima figni inftitutione ei poteft nomen rei fignificatæ attribui.

Distinguo : quando res fignificata fimul adeft cui primario nomen illud attribuitur ; concedo : fecus ; nego . Ideo figno dari non poteft nomen rei fignificatæ in prima figni inftitutione , quia illud omne in fermone exprimendum eft , quod per fe non fupplet animus auditoris . At cum adeft res ipfa , cujus nomen eft , fed latens fub fpecie extranea , tunc duo fimul mens concipit , rem videlicet quæ enunciatur, & fpeciem alienam, quæ hoc ipfo evadit in fignum. Quocirca tunc utrique fimul nomen attribui poteft, rei quidem proprie, improprie eutem figno.

Objicit 4. *enarrationem in pfalm.* 3. in qua S. Auguftinus commendat Chrifti patientiam, quod " Judam, cum ejus cogitationes non ignoraret,....
„ adhibuit ad convivium, in quo corporis & fanguinis fui figuram difcipulis
„ commendavit & tradidit.

Distinguo : figuram plenam ; concedo : figuram inanem, & vacuam ; nego. Si Auguftinus diceret in Euchariftia nihil effe præter figuram, argumentum effet efficax ; quando autem folummodo affirmat in ea figuram effe, nedum fidem noftram evertat, partem ejus aftruit . Sic Sociniani ad abrogandam Chrifti divinitatem , Scripturæ loca objiciunt , in quibus *homo* appellatur . An iftam difputandi rationem probabunt ipfi Calviniani ?

Objicit 5. *fermonem* 53. *de verbis Domini* , nunc 354. ubi Auguftinus de Euchariftia ait : " Pene quidem facramentum omnes *corpus ejus* dicunt.

Respondeo, hoc ineptiffime afferri in præfidium Calvinianæ impietatis : non enim is locus pertinet ad præfentem controverfiam. Obfervat tantum ibi fanctus doctor nomen *corporis Chrifti* omnium effe vulgatiffimum, quæ Euchariftiæ tribuuntur : eaque occafione hortatur auditores ut velint membrum effe corporis Chrifti quod accipiunt.

Objicit 6. *librum* 3. *de doctrina Chriftiana*, ubi tradens regulas Auguftinus ad dignofcendas locutiones Scripturæ proprias a figuratis, poft multa in eam rem difputata a capite 10. tandem fic ftatuit *cap.* 16. "
„ Si præceptiva locutio eft, aut flagitium aut facinus vetans, aut uti-
„ litatem aut beneficentiam jubens , non eft figurata ; fi autem flagi-
„ tium aut facinus videtur jubere, aut utilitatem aut beneficentiam ve-
„ tare, figurata eft : *Nifi manducaveritis*, inquit, *carnem filii hominis &*
„ *fanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis:* facinus vel flagitium
„ videtur jubere : figura eft ergo præcipiens paffionis dominicæ com-

„ muni-

„ municandum, & ſuaviter atque utiliter recondendum in memoria, „ quod pro nobis caro ejus crucifixa, & vulnerata ſit. “ Ex quo Albertinus infert carnem Chriſti a nobis non proprie, ſed metaphorice tantum manducari.

Distinguo: *Niſi manducaveritis*, &c. figurata locutio eſt ſenſu Capharnaitico accepta; concedo: ſecus; nego. Sane hanc locutionem eo ſenſu figuratam eſſe aſſerit, quo ad litteram intellecta flagitium juberet aut facinus. At manducatio Capharnaitica ſola talis eſt, qua nempe caro Chriſti in fruſta conciſa immaniter comederetur. Nam juxta Auguſtinum *ibidem cap.* 10. *num.* 16. “ Quod agit indomita cu„ piditas ad corrumpendum animum, & corpus ſuum, flagitium vo„ catur: quod autem agit ut alteri noceat, facinus dicitur. “ Utrumque autem occurreret in manducatione Capharnaitica; neutrum vero eſt in manducatione ſacramentali, quam propugnamus.

Instabis. Agit ibi Sanctus Auguſtinus de ea manducatione carnis Chriſti, quam Scripturæ littera præ ſe fert: non illa tamen ſequenda, ſed transferenda ad figuram. Ergo verba Chriſti *Joannis*, *capite 6.* ad litteram de manducatione Capharnaitica deberent intelligi.

Respondeo utramque manducationem, Capharnaiticam nempe & ſacramentalem, cum littera congruere, imo & priorem videri ad verba, & ſolitum hactenus manducandæ carnis modum magis accedere: ſolam autem poſteriorem conſentaneam eſſe menti Chriſti in inſtituenda Euchariſtia poſtmodum manifeſtatæ. Potuit ergo Auguſtinus hanc Capharnaiticam manducationem, inſtar unius horum Chriſti verborum ſenſus litteralis in exemplum adducere.

Instabis. Manducationi Capharnaiticæ, quam excludit; ſacramentalem non ſubſtituit Auguſtinus, ſed ſpiritualem. Ergo ſolam hanc poſtremam a Chriſto præceptam eſſe exiſtimabat.

Distinguo antecedens: quia ad propoſitum non faciebat; concedo: quia eam alias non agnoſcebat; nego. Indigebat S. Auguſtinus quodam Scripturæ loco, cujus littera flagitium aut facinus juberet, & ſimul aliquid aliud deſignaret: & ad mentem & ad calamum venit illud Joannis de manducatione carnis Chriſti, quod juxta vim verborum & vulgarem manducandæ carnis rationem, utrumque præſtaret: littera enim præ ſe fert eo ſenſu flagitium aut facinus; ducta autem in allegorias mirifice ſignificat & exprimit manducationem ſpiritualem carnis Chriſti. Ut enim in manducatione Capharnaitica caro Chriſti in partes divideretur, guſtaretur in ſe, in ſtomachum tranſmitteretur, & in omne exinde corpus diffunderetur, dirigenda; ſic in manducatione ſpirituali Chriſtum per partes contemplamur, eum, quam ſuavis ſit, guſtamus, ejus beneficia in memoria recondimus, & inde anima ſaginatur: proinde Auguſtinus, mentionem hic tantum facere debuit maducationis Capharnaiticæ, utpote quæ ſola facinus involveret,

ret,

ret, & in locum illius solam sufficere manducationem spiritualem, ut pote quæ sola isti apprime responderet. Nam quod attinet ad manducationem sacramentalem, ea commemoranda ibi non fuit, quia nec flagitio implicatur, nec facinorosa manducatione adumbratur. In sacramento enim caro Christi tota simul citra ullam sui læsionem sumitur: nec in se illa gustatur.

Quamvis autem illic eam non memoret Augustinus, non idcirco eam non admisit. Quid enim? an ab hoc loco excludere voluit omnem interpretationem præter hanc de qua disputamus? an saltem innuere quamlibet aliam non esse litteralem? nequaquam profecto: ipse enim contra frequenter, imo & vulgo verba Joannis explicat de manducatione sacramentali, v. g. *quæst.* 57. *in Leviticum; libro* 1. *de peccatorum meritis*; *tract.* 11. *&* 26. *in Joann. sermone* 11. *&* 46. *de verbis Domini; in psalm.* 33. *&* 98. *de verbis evangelii*, apud Bedam, *in* 1. *Corinth. cap.* 10. *contra adversarium legis & prophetarum*: hanc vero de manducatione sacramentali interpretationem affert quasi genuinam ac germanam Christi verborum sententiam, eamque adversus Pelagianos allegat, & urget, ut ostendat eos non esse donandos vita æterna, qui sine baptismo morientes, Eucharistiam non perceperint.

Quapropter ob illud *lib.* 3. *de doctrina Christiana* dictum, non magis censeri debet omnem manducationem carnis Christi respuisse præter Capharnaiticam aut spiritualem, quam Bernardus, quem sibi adversari non negant Calviniani. Ipse enim exponens hunc eumdem locum Joannis *serm.* 30. *in psalm. Qui habitat*, *nu.*3. sic scribit, hortans ad pœnitentiam: " Loquebatur de pœnitentia ipsa Dominus, sed in „ figura: . . . cumque audirent eum dicentem, *Nisi manducaveritis*, „ &c. . . . dixerunt, *Durus est hic sermo & abierunt retrorsum.* Quid est „ autem manducare ejus carnem, & bibere sanguinem, nisi com„ municare passionibus ejus, & eam conversationem imitari, quam „ gessit in carne "? An ideo Sacramentariis accensendus est Sanctus Bernardus.

Instabis. Ipsa etiam sacramentalis manducatio carnis Christi horrorem ciet. Ergo & illa juxta Sancti Augustini regulam explodenda est.

Distinguo antecedens: horrorem ciet imaginationi; concedo: rectæ rationi; nego. Id porro tantum vult Augustinus figurate accipi, quod recta ratio demonstrat flagitium aut facinus jubere: non autem id quod re minus expensa & prima fronte abhorrens quiddam habet & sonat. Nam ipse & ante eum Chrysostomus, Ambrosius, & Hilarius monent contra in eo mysterio animum fide adversus omnes infirmioris imaginationis ictus esse obfirmandum, & ei horrori a Christo esse provisum, dum prior ipse bibit sanguinem suum, & carni suæ speciem communis alimenti obduxit.

Objicit 7. *enarrationem in psalm.* 98. ubi Augustinus post illa, quæ in

in gratiam præsentiæ realis jamjam referebamus, sane luculenta, sic habet: " Quando hoc Dominus commendavit, de carne sua locutus „ erat, & dixerat, *Nisi quis manducaverit* &c. . . . scandalizati sunt: „ . . . . acceperunt illud stulte, carnaliter illud cogitaverunt, & pu- „ taverunt, quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam de cor- „ pore suo & daturus eis. Et dixerunt, *Durus est hic sermo* . . . . Ille „ autem instruxit eos, & ait illis, *Spiritus est qui vivificat*, &c. spi- „ ritualiter intelligite quod locutus sum. Non hoc corpus, quod vi- „ detis, manducaturi estis, nec bibituri ejus sanguinem quem fusuri „ sunt, qui me crucifigent . . . . sacramentum aliquod vobis commen- „ davi: spiritualiter intellectum vivificabit vos; & si necesse est il- „ lud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi. " Unde Albertinus arguit: carnem Christi spirituali tantum modo à nobis manducari:

Distinguo: spirituali modo, qui opponatur visibili, cruento, carnali, Capharnaitarum; concedo: qui opponatur veræ & reali omni oris manducationi; nego. Namque in isto loco *spiritualiter & invisibiliter* promiscue usurpantur.

Instat. Sanctus Augustinus negat discipulos manducaturos fuisse hoc corpus quod videbant, bibituros ejus sanguinem quem Judæi fusuri erant.

Distinguo antecedens: modo visibili; concedo: invisibili; nego. Hoc vero patet 1. quia quem modum rejiceret, ipse conceptis verbis docet: " Acceperunt, inquit, illud stulte, carnaliter illud cogitave- „ runt, putaverunt quod præcisurus esset Dominus particulas quasdam „ de corpore suo, & daturus illis. " Est quod ibi submovet sanctus doctor. 2. Quia paulo ante diserte tradiderat in Eucharistia manducari " ipsam carnem Christi, in qua ille ambulavit, & quam de matre sumpsit.

Instabis. Non loquitur tantum S. Augustinus de modo, sed de re ipsa.

Respondeo solemne esse omnibus scriptoribus, ut dum certum duntaxat modum aut statum, aut qualitatem rei negare volunt, ita orationem construant, quasi rem ipsam negarent. Sic apostolus de resurrectione disserens 1. Cor. cap. 15. v. 35. *Quod seminas*, inquit, *non corpus quod futurum est, seminas:* & versu 5. *Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt.*

Objicit 8. ut ostendat impios revera non manducare corpus Christi, sed signo tenus, *sermonem 2. de verbis Apostoli*, nunc 131. in quo ista habet: explanans ex professo caput sextum Joannis: „ Audivimus, „ inquit, veracem magistrum...... commendantem nobis pretium no- „ strum, sanguinem suum. Locutus est enim nobis de corpore & san- „ guine suo: corpus suum dixit escam, sanguinem potum. Sacramen- „ tum fidelium agnoscunt fideles; audientes autem quid aliud, quam

„ au-

„ audiunt .... Cum ergo eo commendans talem escam & talem potum, „ diceret, *Nisi manducaveritis* &c. ...... scandalizati sunt discipuli ..... „ Respondit .... *Hoc vos scandalizat?* putatis quod de hoc corpore meo „ quod videtis, partes facturus sum, & membra mea concisurus, & „ vobis daturus? *Quod si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi* „ *erat prius* &c. certe, qui integer ascendere potuit, consumi non po- „ tuit. Ergo & de corpore & de sanguine suo dedit nobis salubrem „ refectionem, & tam magnam breviter solvit de sua integritate quæ- „ stionem. Manducent ergo qui manducant, & bibant qui bibunt. „ Esuriant & sitiant: vitam manducent, vitam bibant: illud mandu- „ care, refici est: .... Tunc autem hoc erit id est vita unicuique „ erit corpus & sanguis Christi, si quod in sacramento visibiliter sumi- „ tur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur. Audivimus enim ipsum „ Dominum dicentem: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quid-* „ *quam*. Sic *de civitate Dei lib.* 21. *cap.* 25. Ostendit (Christus), „ inquit, quid sit non sacramento tenus sed revera corpus Christi „ manducare & sanguinem ejus bibere. “ *Tractatu* 26. *in Joannem*, „ „ Hoc est, inquit, manducare illam escam, & illum bibere potum, „ in Christo manere, & illum manentem in se habere. Ac per hoc „ qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, procul „ dubio nec manducat (spiritualiter, carnem ejus, nec bibit ejus) san- „ guinem (licet carnaliter & visibiliter premat dentibus sacramentum „ corporis & sanguinis Christi.) Sed magis tantæ rei sacramentum „ ad judicium sibi manducat & bibit. “ Voces ansulis inclusas habent editi libri: non habent manuscripti: reperiuntur tamen apud Bedam & Alcuinum. *Tract.* 27. „ Carnem Christi ...... non edamus „ tantum in sacramento, quod & multi mali, sed usque ad spiritus „ participationem manducemus ..... ut in Domini corpore tanquam „ membra maneamus. “ Ex quibus Albertinus sic arguit; Opponit Augustinus, inquit, manducationem in sacramento manducationi in veritate. Ergo manducare Christi carnem in sacramento, non est eam vere & realiter manducare, sed in signo tantum.

Distinguo antecedens: & illa veritas non est ipsum Christi corpus; concedo: & illa veritas est ipsum Christi corpus; nego. Tota quæstio in eo vertitur, an nomine *veritatis* intelligatur verum Christi corpus, quod sumant soli boni, cum mali signum tantum sumant (quæ est opinio Calvinianorum); an intelligatur refectio spiritualis, & salutaris quædam incorporatio cum Christo, quæ fiat participatione illius Spiritus, justis propria ac peculiari, cum ejus caro communis sit omnibus: quod nos contendimus:

1. Quia frequenter alibi, ut demonstravimus, confitetur Augustinus impios ipsam Christi carnem manducare, & corpus Christi non minus esse quod accipiunt mali, quam quod accipiunt probi; & utrosque non penes rem ipsam, sed penes modum duntaxat secernit.

2. Quia

2. Quia hic profitetur in Eucharistia, quam mali perinde ac boni suscipiunt, esse pretium nostrum, hoc est ipsum sanguinem Christi, quo redempti sumus; corpus Christi esse nostram escam, & sanguinem ejus potum nostrum, Christum in ea manducari; sed non consumi: quæ de signo accipi non possunt.

3. Quia agnoscit in his etiam verbis, quæ objiciuntur, quod impii manducent corpus Christi, licet eo non reficiantur: " Manducent, inquit, qui manducant: illud manducare, refici est. " Rem ergo iis tribuit, licet fructum neget.

4. Quia clare exprimit quod improbis negat, nempe vitam, refectionem spiritualem, & incorporationem.

5. Quia nedum carnem Christi iis subtrahat, in eo contra bonorum, & malorum discrimen constituit, quod mali ipsam Christi carnem sumant, quæ sola nihil prodest, boni autem etiam spiritum accipiant qui vivificat: utrisque enim *serm.2. de verbis apostoli* applicat illud: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam*, primum justis, secundum improbis: ut & *tract.27. in Joannem*: " Caro, inquit, non prodest quidquam, ,, . . . sed sola caro: accedat spiritus ad carnem. . . . & prodest plu- ,, rimum. " In eo *ibidem* differre asserit bonos a malis, quod carnem, & sanguinem Christi sumant, non tantum in sacramento, sed etiam usque ad participationem spiritus: quod argumento est, omnia utrisque esse communia, præter illam spiritus Christi participationem: atque adeo carnem Christi revera sumi etiam ab impiis. Non potest itaque vocabulo *veritatis*, quam non percipiunt mali, significari carnem Christi, quam ab iis accipi tot ac tam claris verbis docet Augustinus.

Quid igitur illa veritas est? refectio spiritualis, & salutaris cum Christo incorporatio. In Eucharistia nempe multiplex est signum ac figura: species externa panis, signum est corporis Christi sub ea latentis: sacramenti celebratio imago est Christi passionis: Eucharistia autem integra, quia ex multis fit in unum quid redactis, & quia sub forma cibi datur, figura est tum refectionis spiritualis tum fidelium secum invicem, & cum Christo conjunctionis, seu corporis Christi mystici. Unicuique porro figuræ sua veritas peculiaris respondet. Jam vero Augustinus præsertim cum de moribus disputat Eucharistiam totam spectare solet, ut signum istius refectionis & incorporationis: proinde illo sensu illa incorporatio & refectio nomine *veritatis* possunt insigniri: adeo ut ex illa parte recte dicantur ii tantum sacramentum sumere, non autem veritatem, qui ex Eucharistia duplicem hunc fructum non capiunt: veritas autem ista est extra sacramentum: & semper inquirendum restat, quid illud sacramentum in se contineat: eo vero corpus Christi naturale contineri, multis *supra* evicimus.

OBJICIT 9. Petrus Alix, non ignobilis earumdem partium scriptor, *epistolam* 205. *ad Consentium*, qui Augustino proposuerat hanc quæstionem, " Utrum nunc corpus Domini ossa & sanguinem habeat, aut reliqua ,, car-

„ carnis lineamenta . “ Istiusmodi autem quæstionem excutere recusat sanctus doctor , & postquam reposuit, ex Scripturis intelligi Christum ossibus & carne post resurrectionem fuisse præditum ; quia dixit : *Videte manus meas & pedes : palpate &c.* sic pergit : Fides adsit , & nulla „ quæstio remanebit , nisi forte de sanguine requirendum est , quia cum „ dixit , *Palpate & videte , quia spiritus carnem & ossa non habet , sicut me* „ *videtis habere* , non addit sanguinem . Nos ergo non addamus inquirere , „ quod ille non addidit dicere : & de compendio , si placet , finita est quæ„ stio : fortassis enim arrepta occasione sanguinis , urgebit nos molestus „ perscrutator & dicet : Si sanguis , cur non & pituita ? cur non & fel fla„ vum vel nigrum , quibus quatuor humoribus naturam carnis temperari „ etiam medicinæ disciplina testatur ? Sed quodlibet quisquis addat , cor„ ruptionem addere caveat , ne suæ fidei sanitatem castitatemque cor„ rumpat . “ At , inquit Petrus Alix, quomodo in mentem venit episcopo Consentio , ut dubitaret de sanguine Christi , si credidit quotidie se hunc e sacro calice haurire sanguinem ? Cur istud excutere refugit Sanctus Augustinus , ex quo omne de Eucharistia dogma religatum est , si tunc omnium fides fuit Christi corpus , & sanguinem in ea existere ?

Respondeo argumenti hujus momenta , & capita fere omnia adeo incerta esse , ut ex eo nihil solidi exprimi queat.

1. Enim quis qualisque fuerit iste Consentius non liquet : episcopus sane, quantum quidem apparet , non fuit , nec sacrarum rerum admodum peritus , adeo ut hæc dubitatio in ejus mentem venire potuerit .

2. Potuit quæstionem Augustino proponere , non de qua ambigeret, sed, ut fere fit, quo novam ab eo lucem acciperet.

3. Nihil obstat quominus sanguinem Christi in Eucharistia existere censuerit, ex communi Ecclesiæ dogmate, & tamen dubitaverit an Christus sanguinem jam in cœlo haberet: potuit enim ad horumce dogmatum necessariam connexionem animum non advertere , potuit & eam connexionem non admittere . Et vero ex historia ecclesiastica compertum est nonnullos sensisse olim, quod Christi sanguis talis jam in Eucharistia esset, qualis fuit ante passionem , non qualis fuisse creditur post resurrectionem .

Quod pertinet ad Augustinum , is ab ea quæstione abstinere voluit , metu tantum molestioris inquisitionis , ut ejus verba indicant . Nam quod existimaret Christi corpus in cœlo non esse exangue , constat ex eadem hac epistola , in qua decernit sanguinis & carnis substantiam habituros esse homines post resurrectionem suam . Quod autem dicitur ab apostolo , *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt* , id accipiendum esse , non de carnis & sanguinis substantia , sed de operibus carnis , & sanguinis ; quod idem statuit , *libro 1. retract. cap. 17. lib. 2. cap. 3. lib. 22. de civitate Dei* , *cap. 24. Enchiridii cap. 91. & serm.* 18. inter eos quos

Sirmun-

Sirmundus publici juris fecit. At si nemo hominum est, qui in vita immortali non eamdem semper habeat carnis & sanguinis substantiam, quam habuit in terris, quis dubitet an ea Christo deneganda sit?

Cyrillus Alexandrinus.

Multis iisque insignibus testimoniis doctrinam nostram confirmat Cyrillus Alexandrinus.

Primum ducitur ex epistola tum ipsius, tum synodi Alexandrinæ ad Nestorium, in qua, " Ad mysticas eulogias, inquit, accedimus & „ sanctificamur, participes effecti sanctæ carnis, pretiosique sanguinis „ omnium nostrum Salvatoris Christi: neque enim illam, ut communem „ carnem sumimus; .... sed ut vere vivificam ipsiusque Verbi propriam.

Secundum *ex defensione & expositione anathematismi* 11. ubi sic loquitur: „ Incruentum .... in Ecclesia sacrificium peragimus, corpus quod „ proponitur, credentes esse non corpus cujuspiam hominis .... sangui- „ nemque similiter; sed potius accipientes tanquam effectum proprium „ corpus & sanguinem Verbi omnia vivificantis.

Tertium *ex Apologetico adversus Orientales*, in quo cum attulisset Nestorii argumentum ex eo inferentis duas in Christo personas ac naturas separatas, quod dixisset Christus, *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem*: non autem, *Qui manducat meam divinitatem &c.* sic respondet: „ An vero qui visibilem illum, tanquam alium quem- „ dam esse filium & Christum præter illud ex Deo Verbum...... non „ is nostrum mysterium anthropophagiam efficit? .... Neque enim quia „ minime editur divinitatis natura, propterea commune dixerit quis- „ piam sanctum Christi corpus. Scire autem operæ pretium est, quod „ proprium est corpus ejus Verbi quod omnia vivificat .... Propterea „ namque mortalibus nostris corporibus largitur vitam, & mortis im- „ perium evacuat.

Quartum *ex libro* 4. *in Joannem cap.* 6. *v.* 52. ubi Judæi ajunt, *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* „ Judaicum est, in- „ quit, illud vocabulum... Quod si perstas, Judæe usurpare, illud, *Quo-* „ *modo*, ego vicissim.... tibi exponam: Quomodo egressus es ex Ægypto? „ quomodo in serpentem versa est virga Mosaica? Quomodo in sanguinis „ naturam versa est aqua? &c. Multis enim deprehenderis jam antea at- „ tonitus esse miraculis, de quibus si tuum illud *quomodo* subinde inferas, „ omni plane Scripturæ divinæ derogabis.... Decebat itaque potius Chri- „ sto credentes.... ad discendum potius Eulogiæ modum eniti, quam te- „ mere & inconsiderate, temulentorum more dicere, *Quomodo* &c." Tum adducta Christi responsione. *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis* &c. sic prosequitur: „ Patiens certe & multum misericors Christus est.... nihil „ enim curans,... rursus iis vivificam mysterii cognitionem apponit,...& „ modum quidem, quo carnem suam ad manducandum traditurus esset,

 „ non-

„ nondum explicat...credentibus enim, jam cum fregiſſet panem, dedit
„ dicens: *Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum*....Vides quo pacto in-
„ ſipientibus....myſterii modum non explicet: ſed jam credentibus clariſ-
„ ſime illud expromere comperiatur...& quia vivifica facta eſt caro Salva-
„ toris, ut pote vita ſecundum naturam Verbo nimirum unita, cum illam
„ deguſtabimus, tunc vitam habebimus in nobis, ei quoque ſimul uniti,
„ quemadmodum ipſa Verbo inhabitanti...Cogita aquam natura ſua frigi-
„ dam eſſe; ſed in lebetem infuſam, cum igni admota fuerit, tunc ſuæ
„ propemodum naturæ immemorem in potioris virtutem migrare: eodem
„ quoque modo nos, licet per naturam carnis corruptibiles ſimus, tamen
„ mixtione veræ vitæ infirmitatem noſtram relinquentes, ad id quod illius
„ proprium eſt, ad vitam ſcilicet reformari. Oportebat quippe non ſolum
„ per Spiritum ſanctum animam in vitæ novitatem rurſus creari, ſed &
„ craſſum hoc & terrenum corpus, per craſſam & cognatam participatio-
„ nem ſanctificari, & ad incorruptionem vocari...Idcirco ait: *Ego reſuſci-
„ tabo eum in noviſſimo die*:... ego in eo exiſtens, per meam ſcilicet car-
„ nem, manducantem ſuſcitabo in extremo die. Fieri enim non poteſt, ut
„ qui ſecundum naturam vita eſt, corruptionem non ſuperet...Proinde..
„ quia Chriſtus in nobis eſt per ſuam carnem, omnino reſurgemus...Que-
„ madmodum enim ſi quis ſcintillam accipiens in multa palea ſepeliret; ut
„ ſemen ignis ſervaretur: ſic & Dominus noſter Jeſus Chriſtus per carnem
„ ſuam vitam in nobis abſcondit, & velut quoddam ſemen immortali-
„ tatis influit....Quocirca nos corpus & membra Chriſti appellamur, ut
„ qui per eulogiam ipſum in nobis ſuſcipiamus Filium...Quemadmodum
„ ſi quis ceram ceræ conjunxerit, utique alteram in altera videbit: ad
„ eumdem quoque modum, qui recipit carnem Salvatoris...& bibit pre-
„ tioſum ejus ſanguinem, ſicut ipſe ait, unum cum ipſo reperietur, com-
„ mixtus quodam modo & immixtus ei per participationem...Quomo-
„ do enim & Paulus ait, *Modicum fermentum totam maſſam fermentare*;
„ ſic minima eulogia totum corpus noſtrum in ſe miſcet; atque ita
„ Chriſtus in nobis exiſtit, & nos viciſſim in ipſo.

Quintum *ex libro* 10. *in Joannem*, "Nos ſpiritualiter Deo conjungi nul-
„ lo modo inficiabitur dogmatum noſtrorum ratio. Quod autem dicere
„ auſi ſunt, nullam nobis eſſe cum eo rationem conjunctionis ſecundum
„ carnem, a ſacris litteris diſſentire oſtendemus.... Dicat enim nobis ali-
„ quis... vim eulogiæ myſticæ... Nonne & corporaliter Chriſtum nobis
„ inhabitare facit participatione & communione ſanctæ ejus carnis ......
„ Quam ob cauſam...Servator ipſe, *Qui manducat carnem meam*, inquit,..
„ *in me, manet, & ego in eo*: Hic enim animadverſione dignum eſt Chri-
„ ſtum dicere ſe in nobis fore, non per ſolam quamdam relationem in ap-
„ prehenſione intellectam; ſed & per participationem naturalem; que-
„ madmodum...ſi quis ceram ceræ implicet, & igne ſimul liquefaciat.

Sextum *ex libro* 11. „ Filius in nobis eſt corporaliter ut homo, no-
„ biſcum commixtus & unitus per eulogiam myſticam, ſpiritualiter autem

rurſus

„ rursus ut Deus, spiritus ..... sui efficacia & gratia .... Consummati „ ergo sumus in unitatem ad Deum, suscipientes in nobis corporaliter & spiritualiter ..... eum qui natura & vere filius est.

Plura alia sunt quæ ex Cyrillo in eam rem laudari possint loca, quæ non minoris essent quam ista perspicuitatis, sed ea brevitatis causa omittemus.

Objicit Albertinus locum quemdam Cyrilli, qui in iis, quæ jam supersunt illius, operibus non comparet; sed a multis inter veteres, tacito vel appellato ejus nomine, varie laudatus est. Sic concipitur *in Catena Græcorum Patrum in Matthæum, ad cap.* 26. expresso ejus nomine: „ Demonstrative dixit Christus, *Hoc est corpus meum*, & *Hoc est sanguis meus*. Ne putes typum esse quæ videntur, sed per quamdam „ ineffabilem Dei omnia potentis (virtutem) oblata in corpus & sanguinem Christi vere mutari, quorum participes facti, vivificam & „ sanctificantem Christi virtutem suscipimus. Oportebat enim ipsum, „ ut Deo convenit, per Spiritum sanctum in nobis esse; commisceri „ autem quodammodo nostris corporibus per sanctam carnem & pretiosum sanguinem, quæ habuimus; .... ut in pane & vino ne horreremus, carnem & sanguinem proponi videntes in sacris ecclesiarum „ mensis. Condescendens enim Deus fragilitatibus nostris, influit propositis vim vitæ, & convertit ipsa in efficaciam vitæ suæ. Et ne „ dubites hoc verum esse, ipso dicente aperte, *Hoc est corpus meum*, „ *Hoc est sanguis meus*: recipe potius fide Servatoris verbum. Veritas „ enim cum sit, non mentitur.

Posterior pars hujus loci refertur a Victore Antiocheno *ad cap.* 14. *Marci*, eodem quo *supra* modo: sed Cyrilli nomen silet, & huic aliud omnino caput & initium præponit: sic enim habet: „ Alius ait: Docet nos (Dominus) non respicere ad naturam eorum quæ proposita „ sunt, sed per gratiarum actionem super illis factam, ea ipsa esse credere: vivificum enim Verbum carni suæ se uniens, juxta quem novit modum, vivificam eam reddidit: ipse siquidem ait: *Amen dico „ vobis: Qui credit, habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ: si quis „ manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis quem ego dabo, „ caro mea est pro mundi vita. Amen dico vobis, nisi manducaveritis „ carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam.* „ Hoc igitur facientes, vitam in nobis ipsis habemus, tanquam unum „ cum ipso effecti & in ipso manentes, habentes quoque eum in nobis: Oportebat enim ipsum " &c. ut *supra*, atque id ex regio codice, quem laudat Albertinus; nam totum illud abest a duobus codicibus aliis, quibus usi sunt Peltanus & Possinus, ambo e societate Jesu, quorum primus Victorem Antiochenum latine vertit, alter edidit græce.

Est catena alia Græcorum Patrum in *Lucam*, quæ *ad caput* 22. Cyrillum nominatim citat, & ejus loci initium iisdem verbis re-

præsentat, quibus catena *in Matthæum*. At illius finem non habet.

Catena contra aurea S. Thomæ *in Lucam*, *ad idem caput*, finem illius loci exhibet ut *supra*; initium autem aliter omnino: ad caput enim collocat, quod alii ad calcem ponunt; & præterea uno ductu & quasi continuata serie immiscet & inserit quædam ex epistola Cyrilli ad Calosyrium *tomo 6.* deprompta, cum reliqua aliunde desumpta sint: Cyrillum autem diserte allegat.

Elias vero Cretensis *ad orat. 1. Nazianz. tomo 2. pag.* 201. nulla facta mentione Cyrilli aut alterius cujuspiam, quasi ex se profert maximam partem hujus loci.

Ex his porro Albertinus sic pugnat. Virtus corporis & ipsum corpus differunt. Atqui juxta Cyrillum panis convertitur in virtutem & efficaciam corporis Christi. Ergo non in corpus.

DISTINGUO minorem: convertitur in virtutem & efficaciam conjunctam corpori, quod sit præsens, aut potius in corpus ipsum divina virtute abundans; concedo: in virtutem & efficaciam e corpore Christi profluentem & ab eo separatam; nego. Calviniani ad eludendas omnes Scripturæ & Patrum luculentissimas quasque sententias, duplicem interpretationem usurpant; aliam figuræ, aliam efficaciæ; quam volunt e corpore Christi in cœlo posito derivari in eos qui digne ad Eucharistiam accedunt. Hanc autem *efficaciæ* clavem, ut vocant, sumpsisse se profitentur maxime ex hoc Cyrilli loco. Quantæ igitur ille esse deberet perspicuitatis, quam certæ fidei, quam firmi roboris, ut non solum omnibus aliis etiam apertissimis opponi posset, tanquam murus aheneus, sed etiam in omnibus solvendis adhiberi? At quam longe abest ab ea vi, luce & auctoritate, quas ei inesse oporteret?

1. Enim neque de auctore, neque de lectione constat. Scilicet non extat in Cyrilli operibus quæ ad nos pervenerunt: Cyrilli autem nomine profertur tantum *in catenis*, quæ omnes levis fidei sunt, & ab ipsis Calvinianis rejiciuntur, tum ob eam causam, tum quia multa continent sibi haud commoda: deinde vero, posito quod Cyrilli sit, quis judicet an omnia, quæ *supra* adduximus e variis, sint reipsa hujus sancti doctoris, ex cujus pluribus locis in unum conflatis, centones quidam diversi contexti sint: an partim recipienda sint, partimque respuenda. Si autem partim probanda, partim reprobanda, quis decidat, quænam ut genuina admitti par sit, quænam abjici? Quis statuat an Victor Antiochenus, quisquis ille sit, Catenis præponderet, & e tot variantibus codicibus uter alteri sit præferendus, cum incerta sint omnia.

2. Nedum nobis adversari certo & aperte videantur, fidem nostram contra fulciunt, & roborant mirum in modum.

Nam juxta *Catenas*, 1. Eucharistia non est typus & figura corporis Christi, sed ipsum proprie ejus corpus: 2. Panis & vinum omnipotenti Dei virtute vere in carnem & sanguinem Christi mutantur. 3. Fides

des Christo habenda est, ut pote qui sine ulla ambiguitate verborum mentem suam exposuerit de Eucharistia, cum dixit eam esse corpus suum.

Juxta Victorem autem istum Antiochenum, etsi eo uno stare cogeremur, 1. Panis & vinum credenda sunt ea existere, quæ facta esse dicuntur. At dicuntur facta corpus & sanguis Christi. 2. De Eucharistia intelligendum est sextum *Joannis* caput. At si ita est, Eucharistia est ipsa vera Christi caro, de qua sine dubio ibi loquitur Christus. 3. Christus nobis non tantum inhabitat ut Deus per Spiritum sanctum; sed etiam ut homo per carnem suam nobiscum commixtus. 4. Corpus Christi & sanguis nobis non dantur in pane & vino, sed sub specie panis & vini: „ Ut in pane, inquit, & vino. 5. " Dantur nobis sub tali specie, ne si in propria specie proponerentur, horrorem quemdam excitarent. 6. Fides Christo habenda est, ut pote qui in Eucharitia instituenda sine ulla verborum ambiguitate mentem suam de ea plenissime exposuerit, cum dixit eam esse corpus suum. Hæc autem singula & doctrinam nostram dilucide firmant, & funditus evertunt errorem Calvinianorum.

3. Ea ipsa verba quæ objecta sunt, multos ac varios sensus pati possunt. Nam vocabulum *virtutis & efficaciæ* ambiguum est & sæpe pro re ipsa sumitur, ut e Calviniano grege Casaubonus *ad Athenæum*, & e nostris Perronius jam pridem demonstrarunt.

Sic enim Gregorius Nyssenus *oratione Catechetica cap.* 37. cum significare vellet Christum pro humano more manducasse, & cibum in suum divinum corpus convertisse, " Cibus, inquit, in divinam transibat virtutem.

Sic Theophylactus, qui ea ætate apud Græcos floruit, qua vix dubium est quin ejusdem fuerint nobiscum sententiæ, commentans *cap.* 14. *Marci*, postquam affirmasset Eucharistiam esse verum corpus Christi, non autem illius figuram, quia Christus nempe dixit: *Hoc est corpus meum*; non autem, *Hoc est figura corporis mei*; & sub specie panis ac vini vulgaris positum esse corpus & sanguinem Christi: quia horruissemus carnem humanam edere, & haurire humanum sanguinem (quæ quidem sunt in causam nostram sole clariora) postquam isthæc singula pronunciavit, inquam, ea in unam veluti clausulam ejusdem omnino significationis concludens, statim addit: " Eam autem in virtutem corporis & sanguinis sui transelementat.

Neque vero Cyrilli verba tantum patiuntur nostram illam expositionem; sed eam omnino ac necessario exigunt: nam istam panis in virtutem corporis Christi conversionem fundat in his Christi verbis: *Hoc est corpus meum*. Atqui istæ voces duplici tantum modo explicari queunt, etiam ex Calvinianis, nempe vel de figura, vel de realitate: nullatenus autem de virtute separata a corpore, quod ibi prædicatur. Ergo cum Cyrillus eas ibi de figura nec interpretetur, nec interpretari,

 nisi.

nisi absurde, dici possit, cum aliud sit figuram esse, aliud efficacia ac vi divina prædirum, superest ut de ipso corpore Christi & divina ab eo indivulsa virtute accipiatur.

Theodoretus.

QUAMVIS multas graves inimicitias ac simultates exercuerit cum Cyrillo Theodoretus, unius tamen & ejusdem cum eo fidei vinculo conjunctus semper fuit.

1. Enim *ad cap. 11. primæ ad Corinth.* " In memoriam, inquit, " illis revocat (Paulus) sanctissimam illam noctem, in qua Dominus typico paschati finem imposuit, & typi archetypum ostendit, ac salutaris " sacramenti portas aperuit, & non solum undecim apostolis, sed & proditori pretiosum corpus & sanguinem dedit.

At si Eucharistia archetypus fuit agni paschalis, qui sine dubio typus fuit corporis Christi pro nobis immolandi, ipsa typus non est ejusdem corporis, sed ipsum Christi corpus pro nobis morti datum. Deinde si non tantum undecim apostoli, sed & Judas pretiosum illud corpus accepit; ergo non sola fide, sed etiam ore manducatur.

2. *Ibid.* " Quemadmodum Judas ipsum tradidit, & insultarunt illi Judæi; sic, inquit, ipsum ignominia afficiunt, qui sanctissimum ejus " corpus impuris manibus recipiunt. " Atquæ ista comparatio est, si Eucharistia sit corporis Christi signum dumtaxat?

OBJICIT Albertinus dialogos Theodoreti, in quibus ille sub *Orthodoxi* nomine disputat adversus quemdam Eutychianum; quem *Eranisten* appellat, id est *mendicum*, quia Eutyches ex variis hæreticis errores suos emendicaverat.

In 1. dialogo, qui vocatur *immutabilis*, probat Theodoretus in incarnatione mutatum non esse Verbum in carnem; sed a Verbo semper distinctam permansisse naturam humanam, eique instar veli & pallii, quo tegeretur, extitisse: instar veli ei fuisse ostendit *ex capite* 10. *ad Hebræos*, *v.* 20. loco autem pallii, *ex capite* 49. *Geneseos*, *v.* 11. ubi Jacob de Christo sub persona Judæ, ait: *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum:* cum autem respondisset Eranistes id non de corpore Christi, sed de ejus vestibus intelligi oportere: sic pergit disputatio:

Orthodoxus, " Ostende igitur, inquit, ubi in sanguine uvæ laverit pallium:

Eranistes, " Tu vero ostende quod corpus his tinxerit.

Orth. " Oro te ut mystice respondeas: adsunt enim fortasse aliqui mysteriis non initiati.

Eran. " Sic audiam, & sic respondebo.

Orth. " Scis quod *vitem* Dominus seipsum appellavit?

Eran.

Eran. "Scio, quod dixit: *Ego sum vitis vera.*

Orth. " Fructus vitis pressus quomodo appellatur?

Eran. " *Vinum* nuncupatur.

Orth. " Quando autem Salvatoris latus milites lancea sauciarunt, quid
„ inde manasse dicunt evangeliorum conscriptores?

Eran. " Sanguinem & aquam.

Orth. "*Sanguinem* igitur *uvæ* Salvatoris appellavit sanguinem: si enim
„ Dominus *vitis* appellatus est; & fructus vitis *vinum* appellatur,
„ sanguinis vero, & aquæ rivi ex Domini latere profusi per reliquum
„ corpus deorsum manarunt, jure omnino, & apposite vaticinatus est
„ patriarcha: *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium*
„ *suum*. Sicut enim nos mysticum vitis fructum post sanctificationem *san-*
„ *guinem Domini* nominamus; sic veræ vitis sanguinem, *uvæ sanguinem* no-
„ minavit.

Eran. " Mystice simul & dilucide, quod propositum fuerat, demonstratum est.

Orth. " Etsi hæc tibi ad fidem faciendam sufficiunt, tamen ad veritatis
„ confirmationem aliam quoque probationem adjiciam.

Eran. " Hæc faciens, gratum mihi feceris: utilitatem enim auxeris.

Orth. " Scis quod panem Deus proprium *corpus* appellavit?

Eran. " Scio.

Orth. " Alibi vero carnem *frumentum* nominavit.

Eran. " Hoc etiam scio; audivi quippe dicentem.... *Nisi granum frumenti*
„ *cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fue-*
„ *rit, multum fructum affert.*

Orth. " In mysteriorum vero traditione panem appellavit *corpus*, & quod
„ mixtum erat *sanguinem*.

Eran. " Sic nominavit.

Orth. " Sed & corpus illud, quod juxta naturam est, *corpus* vocabatur, & sanguis *sanguis*.

Eran. " In confesso est.

Orth. " Salvator autem noster nomina permutavit, & corpori quidem
„ *symboli* nomen imposuit, & symbolo nomen *corporis*. Sic cum se *vitem*
„ nominasset, symbolum *sanguinem* appellavit.

Eran. " Hæc quidem vere dixisti: vellem autem permutationis nominum
„ causam discere.

Orth. " Manifestus est scopus iis, qui divinis sunt initiati: voluit
„ enim eos, qui divina mysteria participant, non attendere ad natu-
„ ram eorum, quæ cernuntur, sed per nominum mutationem, muta-
„ tioni quæ ex gratia facta est, credere: qui enim, quod natura corpus est,
„ *frumentum & panem* appellavit, is visibilia symbola, *corporis & sangui-*
„ *nis* sui appellatione honoravit, non naturam mutans, sed gratiam natu-
„ ræ adjiciens.

Eran.

Eran. " Et mystice mystica dicta sunt, & perspicue declarata, quæ non
" omnibus nota sunt.

Orth. " Quoniam igitur in confesso utrimque est, corpus dominicum
" a patriarcha *stolam & pallium* appellari, atque in sermonem de divinis
" mysteriis ingressi sumus: dic per veritatem, cujus putas symbolum, &
" typum esse sanctissimum cibum? divinitatisne Christi Domini, an cor-
" poris & sanguinis?

Eran. " Non dubium quin illorum quorum nomina acceperunt.

Orth. " Corporis & sanguinis dicis?

Eran. " Ita dico.

Orth. " Ut veritatis amicum decet, locutus es: nam & Dominus accepto
" symbolo non dixit: *Hoc est divinitas mea*; sed, *Hoc est corpus meum*: &
" rursum: *Hoc est sanguis meus*: & alibi, *Panis quem ego dabo, caro mea est,*
" *quam ego dabo pro mundi vita.*

Eran. " Vera hæc sunt: divina enim sunt oracula.

Orth. " Si ergo vera, corpus utique habuit Dominus.

In 2. autem *dialogo* demonstrans naturam humanam non esse conversam
" in divinitatem, sic habet:

Orth. " Dic mihi, mystica symbola a sacerdotibus Deo oblata, quarum
" rerum sunt symbola?

Eran. " Dominici corporis & sanguinis.

Orth. " Verine corporis, annon veri?

Eran. " Veri.

Orth. " Optime. Oportet enim imaginis esse archetypum: nam &
" pictores naturam imitantur, & eorum, quæ videntur pingunt ima-
" gines.

Eran. " Verum est.

Orth. " Si igitur divina mysteria antitypa sunt corporis veri, corpus ergo
" Domini nunc quoque corpus est, non in divinitatis naturam mutatum,
" sed divina gloria repletum.

Eran. " Opportune de divinis mysteriis iniisti sermonem: nam inde tibi
" ostendam corpus Domini in aliam mutari naturam. Responde igitur ad
" mea interrogata.

Orth. " Respondebo.

Eran. " Qui appellas donum quod offertur ante sacerdotalem invoca-
tionem?

Orth. " Aperte dicendum non est: verisimile enim est adesse nonnullos
" haud initiatos.

Eran. " Respondeatur ænigmatice.

Orth. " Cibum ex talibus seminibus.

Eran. " Alterum vero symbolum, quomodo nominamus?

Orth. " Commune & hoc nomen est, potus speciem designans.

Eran. " Post sanctificationem vero quomodo illa appellas?

Orth. " Corpus & sanguinem Christi.

Eran.

Eran. " Et credis te percipere corpus & sanguinem Christi?

Orth. " Ita credo.

Eran. " Sicut ergo symbola dominici corporis & sanguinis alia sunt „ ante sacerdotalem invocationem, post invocationem vero mutantur & „ alia fiunt; sic & dominicum corpus post assumptionem in divinam sub- „ stantiam mutatum est.

Orth. " Retibus, quæ ipse texuisti captus es: neque enim mystica „ symbola post sanctificationem a natura sua discedunt: manent enim in „ priore substantia, & figura & forma, & visibilia & palpabilia sunt, „ qualia prius erant: intelliguntur autem ea esse quæ facta sunt, & „ creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint, quæ creduntur. Confer „ igitur imaginem cum archetypo, & videbis similitudinem: oportet „ enim typum similem esse veritati: illud enim corpus priorem habet „ formam, & figuram, & circumscriptionem, &, ut semel di- „ cam, corporis substantiam: immortale autem per resurrectionem „ factum est, & immune a corruptione, sedemque a dextris ade- „ ptum, & ab omni creatura adoratur: quia *corpus* appellatur *Domini* „ *naturæ*.

Eran. " Atqui symbolum priorem mutat appellationem: non enim amplius „ nominatur ut prius, sed *corpus* appellatur. Oportet ergo in veritate *Deum* „ & non *corpus* vocari.

Orth. " Ignorare mihi videris: non enim *corpus* solum, sed etiam *pa-* „ *nis vitæ* nominatur. Dominus ipse sic vocavit: & corpus quoque ipsum, „ divinum corpus appellamus, & vivificum, & dominicum, docentes „ non corpus hominis cujuspiam esse, sed Domini nostri Jesu Christi, qui „ Deus est & homo.

In 3. vero *Dialogo*, cujus titulus est IMPATIBILIS, quia in eo evincit divinitatem non esse passam, cum Eranistes dubitaret salutis nostræ meritum corpori Christi in cruce patienti tribuere, eo quod corpus non satis illi pretiosum videretur, ut principium vitæ nostræ ac redemptionis dici posset, ita loquitur:

Orth. " Si corpus Christi exiguum tibi ac vile videtur, quomodo „ typum ejus venerabilem & salutarem existimas? Quomodo enim ar- „ chetypum, cujus typus adorabilis & honorandus est, contemptibile „ & abjectum esse potest?

In appendice denique *trium istorum Dialogorum*, cui titulus est, DEMONSTRATIO PER SYLLOGISMOS, sic ait: " Si caro Domini in di- „ vinitatis naturam mutata est, quamobrem percipiunt antitypa corpo- „ ris? Superfluus est enim typus abolita veritate.

Ex his plurima colligit Albertinus.

OBJICIT itaque. Juxta Theodoretum sic in Eucharistiæ mysterio symbola, seu panis & vinum, donata sunt nomine *corporis & sanguinis Christi*, quomodo in Jacobi vaticinio sanguis Christi donatus est nomine *vini*. Atqui propositio Iacobi, qui sanguinem Christi *vinum* appellavit,

lavit, figurata est. Ergo pariter propositio Christi, qui vino *sanguinis* sui nomen dedit, metaphorica quoque est : adeo ut mera sit nominum permutatio.

DISTINGUO antecedens : comparat has propositiones, quoad aliquid, hoc est quoad appellationem; concedo : quoad omnia, id est, quoad appellationis etiam rationem; nego. Non diffitemur quidem nomina utrimque esse commutata, ita ut quomodo in Jacobi prædictione nomine *vini* designatus est futurus Christi sanguis, & in evangelio nomine *frumenti* adumbratum est corpus Christi morti ac sepulturæ dandum; sic in Eucharistiæ institutione pani nomen *corporis* sui, & vino nomen *sanguinis* indiderit : sed quamvis appellatio communis sit, ratio illius omnino diversa est, etiam juxta Theodoretum hoc loco. Priores enim propositiones considerabat ut metaphoricas, alteram vero ut propriam : neque enim sentiebat corpus Christi appellatum esse olim nomine *frumenti*, ac sanguinem ejus nomine *vini*, eo quod corpus & sanguis Christi facta essent frumentum & vinum, aut in frumentum & vinum essent conversa : panem autem & vinum contra ideo credebat appellata esse nomine *corporis* & *sanguinis Domini*, quia reipsa facta erant corpus & sanguis Christi, & in ea mutata fuerant : quod patet ex serie orationis : ait enim non tantum symbola appellari *corpus*, sed & fieri corpus & sanguinem Christi, Dei omnipotentis, qui ad id invocatur, virtute; ea alia esse ante hujusmodi invocationem, post invocationem mutari & alia fieri, ex pane scilicet & vino corpus & sanguinem Christi; intelligi ea esse, quæ facta sunt, nempe corpus & sanguinem Christi; & credi, & adorari, ut quæ illa sint, quæ creduntur : uno verbo causam permutationis nominum edisserens, affirmat eam illo fine factam esse, ut, qui divina mysteria participarent, non attenderent ad naturam eorum, quæ cernuntur, sed mutationi, quæ ex gratia facta est, crederent. At non eadem ratio est ex alia parte. Quis enim dicat Christum v. g. cum se *vitem* nominavit, vitem factum esse, divino quodam miraculo, Christum alium fuisse ante istud nomen, postea vitem eum esse intelligi oportere & credi, & ut talem adorari? Non eadem ergo causa est utriusque appellationis : nam propositio eucharistica, ut pote propria, a Theodoreto statuitur ut fundamentum cæterarum, quæ metaphoricæ sunt : vult enim Jacobum ideo nomine *vini* expressisse futurum sanguinem Christi, & Christum in evangelio nomine *frumenti* corpus suum, quia reipsa postmodum panem erat facturus corpus suum, & vinum sanguinem, ad eumdem fere modum quo Tertullianus *supra* contendebat vocabulo *panis* apud Jeremiam designatum esse corpus Christi, quia Christus in suprema cœna sua panem mutaturus erat in corpus suum. Comparantur ergo istiusmodi propositiones inter se, non quod sint in eodem genere, sed quod unius veritas ad aliam referatur & ab ea pendeat.

INSTAT. Nihil honoratur nomine ejus quod est. Atqui Theodoretus

tus ait symbola esse honorata nomine *corporis* & *sanguinis Domini*. Ergo.

Distinguo : nomine ejus quod est ex nativa sua conditione ; concedo : ex gratuita dignatione ; nego. Duo requiruntur ut aliquid dicatur honorari nomine aliquo : primum est, quod nomen istud sit honorificum : alterum, quod rei adveniat præter naturalem suam conditionem. Utrumque hic occurrit.

Instant. Quod honoratur nomine aliquo, censetur manere idem, quod erat ante, & novam solum dignitatem adipisci. Ergo si honorantur symbola nomine *corporis* Christi, non transeunt in corpus Christi.

Distinguo antecedens : quod honoratur, manet idem quod ante, vel quoad externam speciem ; vel quoad intimam etiam substantiam ; concedo : quoad intimam substantiam necessario ; nego. Dum panis fit corpus Christi, manet eadem semper extrinsecus species, quæ ante : proinde idem semper esse videtur panis judicio sensuum : nec tam existimatur panis transire in corpus Christi, quam corpus Christi ad panem accedere. Quocirca eo sensu potest dici panis honorari nomine *corporis Christi* : illud enim concipitur quasi nova quædam dignitas, quæ pani divinitus accrescat. Et vero ita loqui non formidarunt nostrarum procul dubio partium theologi ; Fulbertus Carnotensis, *epistola* 1. " Terrena materies, inquit, naturæ & generis sui meritum tran„ scendens in Christi substantiam commutatur. " Hildebertus *de officio missæ*, *carmine* in hæc verba, *Hoc est corpus meum :*

Nescit homo, latet & superos, quo provehat escas,
Gratia verborum mysteriumque crucis.

Auctor denique sermonis *de dignitate sacerdotum* inter opera S. Bernardi : " Creator vini est, ait, qui vinum provehit in sanguinem. "

Instant. Juxta Theodoretum, panis omnino manet ut erat prius ; nam conceptis verbis definit non mutari naturam symbolorum, sed ea remanere in propria substantia.

Distinguo propositionem : definit non mutari naturam nec substantiam symbolorum, sumendo hæc vocabula pro conglobatione omnium proprietatum & qualitatum naturalium ; concedo : pro intima rerum materia ; nego. *Naturæ* vox & *substantiæ* apud Græcos juxta & Latinos scriptores latissimæ est significationis, ut ipsimet Calviniani confitentur. Nam, ut verbis utamur logicorum, vel accipitur in concreto, vel in abstracto : si in concreto, rem ipsam significat, quæ variis proprietatibus ac qualitatibus vestiatur ; si in abstracto, significat, vel essentiam, quæ in re qualibet est quid primum, vel complexionem omnium proprietatum & qualitatum, quæ judicio vulgi rem certam ac talem constituunt, certoque ac tali donant nomine : vel denique quaslibet qualitates ab ipsa sine illius interitu aut insolenti prodigio separabiles.

Naturæ nomen itaque accipitur.

1. Pro

1. Pro re ipsa quæ certis qualitatibus vestitur. Hilarius *libro* 8. *de Trinit.* " Non est idem, inquit, natura quod naturæ res. Augustinus *lib.* 2. *de moribus Manichæorum cap.* 2. " Ipsa natura nihil aliud est, „ quam id quod intelligitur in suo genere aliquid esse : sic dicimus an„ gelum esse naturam spiritalem ; hominem esse naturam ex spiritali „ & corporali mixtam.

2. Pro essentia cujusvis rei : adeo ut Cicero dicere non dubitaverit, *naturam justitiæ*, & *naturam criminum*.

3. Pro complexione omnium proprietatum ac qualitatum naturalium, quæ res distinguunt ab aliis populari sensu ; ita ut quandiu superstes est illa complexio, & idem nomen ei maneat, & res eadem esse censeatur ; simul autem atque illa complexio perit, res alia esse, & nomen illud substituendum esse videatur. Sap. 7. v. 20. *Ut sciam*, inquit sacer scriptor, *naturas animalium*, *& iras bestiarum*, *vim ventorum*. Lucretius suos libros *de natura rerum* inscripsit. Tullius de Theophrasto ait, quod stirpium naturas prosecutus sit, id est quod proprietates earum descripserit. Virgilius *lib.* 4. *Georg.*

Nunc age, naturas apibus, quas Jupiter ipse
Addidit &c.

4. Pro qualitatibus etiam solitariis, imo & sæpe pro qualitatibus a re sine miraculo separabilibus : Sap. 19. v. 19. *Aqua extinguentis naturæ obliviscebatur*. 2. Petri cap. 1. v. 4. *Ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ*. Tertullianus *lib. de anima cap.* 32. " Aliud est substantia, „ aliud natura substantiæ : .... substantia propria est rei cujusque ; „ natura vero potest esse communis : substantia est lapis, ferrum : du„ ritia lapidis & ferri natura substantiæ, ... mollitia lanæ, mollitia „ plumæ. " Hilarius *can.* 10. *in Matthæum* " Corpus ipsum per fidem „ mortificatum in naturam animæ evadit. Ambrosius *lib.* 3. *in exae„ meron, cap.* 2. " Discant naturam posse converti, quando petra aquas „ fluxit & ferrum aquæ supernatavit. " Chrysostomus *in psal.* 10. de igne fornacis Babylonicæ, & de leonibus quibus objectus est Daniel : " Elementa propriam ignorantia naturam, in id, quod illis utile, mu„ tabantur. " Anastasius presbyter Græcus *in philosophico compendio manuscripto*, " Natura ...., est qualitas existens rerum existentium. " Sic Tullius mores *naturam* appellavit : Sic Horatius.

Naturam expellas furca, tamen usque recurret.

Sic Virgilius de terræ fœcunditate,

Quippe solo natura subest.

& alii sine numero.

Substantiæ nomen pariter sumitur

1. Pro

1. Pro re ipsa, quæ subsistit, imo & pro re quæ non in se susistit. Tertullianus *supra*, " Aliud est substantia, aliud natura : substantia est " lapis, ferrum. " Augustinus *in psal.* 68. " Dicitur homo, dicitur pe- " cus, dicitur terra : . . . omnino ista substantiæ sunt, eo ipso quo " sunt : nam quod nulla substantia est, nihil omnino est : substantia " ergo aliquid esse est. " Vigilius Tapsensis *dialogo* 2. *contra Arium*, *cap.* 4. " Non de illo substantiæ genere disputamus, quo unaquæque " natura, ob id quod est vel subsistit, substantia nuncupatur " Auctor *responsionum ad quæstiones Græcorum* apud Justinum *quæst.* 9. ait, " Mate- " riam non esse per se substantiam; sed substantiam fieri, dum ei ad- " venit quantitas & qualitas.

2. Pro essentia cujusvis rei. Aristoteles enim *in metaphysicis lib.* 5. *&* 7. statuit nomen substantiæ duplici modo usurpari, 1. pro subjecto, 2. pro essentia cujuslibet omnino rei sine discrimine, ita ut figuræ *substantiam* suam habere dicantur.

3. Pro congerie omnium qualitatum & proprietatum, quæ rei ex naturæ suæ conditione competunt, quæ rem illam talem faciunt extrinsecus, eamque secernunt a quavis alia : quæ certum nomen ei vindicant, tandiu perseveraturum, quandiu illa stabit complexio, & simul cum ea abolendum. Hanc substantiam Ephremius vocat *substantiam sensibilem*, ut modo videbimus : non aliter vulgo substantia rei cujuspiam accipitur.

4. Pro quavis qualitate & virtute, imo & pro certo rei statu & qualitate ab ea separabili. Tertullianus *contra Marcionem*, ait " Homi- " nes post resurrectionem demutandos in substantiam angelicam " Hilarius *canone* 10. *in Matthæum*, de carne ait, " Quod ea sit in substan- " tiam spiritalis animæ refundenda. " Chrysostomus *homilia* 12. *in Genesim*, agens de igne fornacis Babylonicæ, " Dominus, prout vult, in- " quit, unumquodque elementorum in contrariam vertit substantiam. " Augustinus *in psalm.* 68. *conc.* 1. ait " Adamum lapsum esse a sub- " stantia, in qua factus est; " hoc est a gratia originis suæ. Chrysologus *serm.* 82. de effigie Christi post ejus resurrectionem mutata, " " Hoc sit, inquit, mutasse substantiam, non mutasse personam. " Ana- " stasius qui *supra*, " Substantia, inquit, est proprietas seu qualitas re- " rum existentium.

Neque vero apud alios vulgo scriptores, sed & apud ipsum Theodoretum hæc multiplex & varia hujus utriusque vocis significatio occurrit.

Quamquam enim accuratior est Theodoretus cæteris, & in hoc adversus Eutychianos cautior esse debuit, quia cum illi dicerent, naturam & substantiam corporis Christi mutatam esse in divinitatem, & id colligerent ex dignitate ac virtute, quæ ei per conjunctionem cum Verbo accesserat, & ex gloriosis qualitatibus, ad quas jam transit, sedulo ista secernenda erant a natura corporis, quæ eadem semper manet, ne vide-

videlicet naturæ mutatio admittenda per consequens foret : & quamvis revera *in* 2. *dialogo*, *pag.* 81. *&* 82. naturam & substantiam corporis distinguat ab accidentibus naturaliter, ut ajunt, separabilibus, v. g. sanitate, morbo, corruptione, & similibus; attamen tribus prioribus modis nomina ista usurpasse legitur etiam in his dialogis; quarto autem etiam modo alibi.

1. Inquam, & quidem passim, nomen *naturæ* & *substantiæ* accipit pro re ipsa quæ cæterarum omnium proprietatum & qualitatum sedes est : quia nempe id controversia ipsa postulabat. Eo sensu ait, quod natura invisibilis (nimirum divina) per carnem manifestata fuerit : quod humana natura brevi tempore vivat.

2. Pro intima substantia. Ita *dialogo.* 1. *pag.* 28. Christum definiens ait, quod sit Deus humana natura indutus. Ita *dialogo* 2. *pag.* 68. eam distinguit a suis proprietatibus : " Annon, inquit Eutychiano, utriusque naturæ propria confiteris?

3. Pro congerie omnium proprietatum & qualitatum, in quibus more vulgi corporum essentiam constituebat aliquando Theodoretus. *Dialogo* 2. *pag.* 77. describens naturam maris, " Est, inquit, natura quædam humida, fluida, salsa, & maxime diffusa. " *Ibidem* asserit liquorum sibi invicem affinium, mellis v. g. & maris, naturam permisceri posse, & unam ab altera absumi, cum certum sit intimam materiam semper esse superstitem. *Pagina* autem 825. comparans Christi corpus cum corporibus nostris, qualia erunt post resurrectionem, affirmat, si nostra corpora tunc servatura sint proprios naturæ suæ characteres, eodem jure Christum in cœlo habere etiamnum suam substantiam, promiscue sumens scilicet, voces istas *substantiæ* & *characterem naturæ*.

4. *Naturæ* vocabulum alibi, hoc est *in Genes. quæst.* 8. usurpat pro certa quadam & arbitraria rei destinatione : " Aeris natura est, inquit, ut circa inferiora corpora feratur & agitetur.

Quæ cum ita sint, mirum non est quod Theodoretus dixerit naturam ac substantiam symbolorum post consecrationem remanere : præsertim cum eodem modo, aut fere locuti sint olim ante fixam & constitutam a scholis horum nominum significationem addictissimi quique catholico dogmati scriptores.

Paschasius Ratbertus Corbeiensis, quem Calviniani faciunt auctorem doctrinæ nostræ, libro *de corpore & sanguine Domini*, *cap.* 10. ait quod " In panis substantia celebretur Eucharistiæ mysterium.

Lanfrancus Cantuariensis, & Berengarii debellator, ab Ivone laudatus, *decreti parte* 2. & a Gratiano *de consecratione*, *dist.* 2. " Caro ejus (Christi est) ait, quam sub forma panis opertam in sacramento accipimus.

Arnoldus Bonæ vallis, Bernardo æqualis, *in sermone de cœna Domini*, apud Cyprianum juxta exemplaria manuscripta, quæ laudat Salmasius *de transsubstantiatione pag.* 78. sic habet : " Panis iste, quem Dominus " disci-

„ discipulis porrigebat, non effigie, nec natura mutatus, omnipotentia
„ Verbi factus est caro.

Robertus Pullus *parte* 8. *cap.* 5. " Transit substantia, sed remanet for-
„ ma: neutrum miraris, sed omnipotentem contemplaris, . . quod cum
„ dominica in mensa fit solum caro & sanguis, nihilominus tamen vini
„ natura percipiatur & panis.

Innocentius III. qui in concilio Lateranensi definivit panem & vinum transsubstantiari in corpus & sanguinem Christi, *lib.* 4. *de mysteriis missæ, cap.* 9. " Ibi, inquit, forma panis videtur, ubi substantia panis
„ non est . . . Non solum autem accidentaliter; verum etiam naturaliter
„ proprietates remanere . . . videntur; ut paneitas, quæ saturando famem
„ expellit, & vinitas, quæ satiando sitim extinguit.

INSTANT. Theodoretus *in his dialogis* opponit semper naturam & substantiam accidentibus; v. g. *pag.* 81. & 82. Ergo non sola accidentia remanere post consecrationem existimat, sed etiam ipsam symbolorum substantiam.

DISTINGUO antecedens: naturam & substantiam opponit constanter accidentibus & qualitatibus naturaliter separabilibus; concedo: complexioni omnium qualitatum & proprietatum naturalium, quæ a re citra illius interitum separari non potest, nisi divinitus; nego. Duplex est in corporibus natura & substantia: alia interior & sensibus impervia, corporis videlicet ut corpus est, quam naturam & substantiam philosophi considerant: alia est exterior, & ut loquitur Ephremius, sensibilis substantia, quam solam plebs novit; corporis nempe aspectabilis & palpabilis. Porro hic disputatio erat de substantia corporis aspectabilis & palpabilis, ut conceptis verbis affirmat Theodoretus *dialogo* 1. *pag.* 32. hoc est de illa qualitatum & proprietatum conglobatione, quæ trutina populari & sensuum testimonio corpus certum constituit & designat. Eranistes nempe contendebat corpus Christi saltem post ejus ascensionem, sic in divinitatis pelagus migrasse, ut pristina careret forma, figura, & circumscriptione: contra sic colligit Orthodoxus Eucharistiæ exemplo: " Confer igitur imaginem cum archetypo, & videbis simili-
„ tudinem . . . illud ergo corpus priorem habet speciem & figuram,
„ & circumscriptionem, & ut semel dicam, corporis substantiam. " Proinde de specie, figura & circumscriptione agebatur, quæ uno verbo *corporis substantiæ* dicebantur.

INSTANT. Eodem modo *naturæ* & *substantiæ* vox a Theodoreto sumitur, ubi de Eucharistia, quomodo sumebatur tam a catholicis quam ab Eutychianis, ubi de Incarnatione. Atqui Eutychiani dicebant naturam humanam totam, quanta erat, in incarnatione mutatam & conversam fuisse in divinitatem, & id orthodoxi negabant. Ergo.

DISTINGUO minorem: dicebant totam naturam humanam conversam esse, eo loci; nego: alibi; subdistinguo: nomine, specie & proprietatibus tenus; concedo: revera; nego.

Respondeo itaque 1. duo esse in hominis corpore, naturam intimam & naturam aspectabilem. Esto, Eutychiani crederent utramque conversam fuisse in divinitatem, certe de utraque seorsim disputari potuit. Quamobrem inquirendum semper est de utra hic sermo fit. Porro de natura aspectabili verba tantum hic fieri, hoc est de forma, figura & circumscriptione, modo ostendimus.

Respondeo 2. distinguenda sedulo esse quæ Eutychiani prima fronte dicere & opinari videbantur, ab iis quæ revera sentiebant: eorum enim præ cæteris intricatæ & perplexæ fuerunt, tum locutiones, tum sententiæ: nam cum in hoc omnes consentirent, quod una esset in Christo natura, in eo dogmate explicando inter se pugnabant. Fuerunt enim nonnulli inter eos qui censuisse feruntur, Verbum, dum caro factum est, in carnem esse conversum, & divinitatem in cruce esse passam. Hos impetit Theodoretus *dialogo* 1. & 3. At plerique alii in naturam contra humanam mutationem inducebant, asserentes eam in divinitatem migrasse, & ab ea absorptam esse. Quamvis autem idem præ se ferrent, si eorum placita penitus scruteris, animadvertes (quod diligenter est notandum) eos verum nihilominus in Christo corpus, & veram animam agnovisse, adeo ut *naturæ humanæ* nomine, quam tollebant, intelligendæ sint ejus proprietates & qualitates, quas a Deo absumptas esse arbitrabantur. Id autem contigisse ajebant, modo in ipso conceptu, modo post resurrectionem Christi, modo post ejus in cœlum ascensionem.

Quod Eutychiani omnes in eo concordarent, unam videlicet fuisse in Christo ab incarnatione naturam; adeo constans est & notum, ut probatione non egeat.

Eam autem, quam unam remansisse existimabant divinam naturam extitisse; in quam humanitas translata esset, non minus compertum est. " Ego, „ inquit Eranistes *dialogo* 2. *pag.* 70. unam agnosco Verbi naturam „ incarnatam. " *Pag.* 77. " Dico mansisse divinitatem; ab hac vero „ absorptam esse humanitatem, ... ut mare mellis guttam si acci- „ piat. " Vide *pag.* 78. & 79.

Quamquam autem nihil aliud fere habebant in ore, nihilominus profitebantur esse in Christo humanitatem omnibus numeris absolutam. Id constat ex omnibus hujus hæreseos monimentis, ac præsertim ex Gelasio *in suis adversus Eutychianos libris*, Anastasio Sinaita *in Odego*; *a capite* 10. *ad* 20. & ex Theodoro Raitha *tom.* 11. *biblith. Patrum*. Dicebant illi Christum ex humanitate & divinitate constitui, ut homo ex corpore & anima componitur: imo & de corpore ipso grave dissidium ortum est inter ipsos, quod refert historia; aliis illud a primo conceptu corruptioni obnoxium affirmantibus, aliis non item. Eranistes ipse apud Theodoretum *pag.* 56. " Confitemur, inquit, Christum „ assumpsisse corpus (contra Marcionitas,) & animam (contra A- „ rium & Eunomium,) eamque rationalem. " *Ibidem*, " Confitemur in

„ Chri-

Christo divinitatem perfectam, & humanitatem similiter, cui nihil deest. „ *Pag.* 74. " Hominem factum esse filium Dei, nec verbis modo, sed & reipsa, dum viveret in terris, modo divinitatem, modo „ carnem ostendisse, modo etiam carnis & animæ infirmitatem. " *Pag.* „ 75. " Corpus esse adhuc corpus, non inane spectrum: " Quæ quidem mira sunt, nec quomodo cum superiori eorum de una natura decreto conciliari illa possint satis apparet. Quocirca jure sic exclamat Vigilius Tapsensis *lib.* 4. *cap.* 19. eos compellans, " Geminas profe„ cto integras, immutatas, inconfusas Verbi & carnis fatemini esse „ naturas.

Quo igitur, inquies, redibat error? ad duo capita; nempe, 1. ut pertinaciter a confessione duarum naturarum & a nomine *naturæ* humanitati tribuendo abhorrerent: 2. ut humanitatis proprietates factas esse plane divinas contenderent, (quas proprietates cum *naturæ* nomine insignirent, naturam humanitatis per consequens in divinitatem esse conversam vulgo pronunciabant.) " Sic sentiunt, inquit Theodorus „ Raitha *pag.* 326. quasi melior pars, id est divina, simul cum ipsa „ unione vicisset; & ad suam proprietatem in puncto temporis mino„ rem partem a naturali ejus proprietate transtulisset.

Ut autem loquitur Anastasius Sinaita *in Odego*, *pag.* 237. " Quasi „ naturæ humanæ proprietates in attributa immensæ divinitatis conces„ serint. " *Pag.* 235. " Quomodo aceti gutta in mare projecta non re„ tinet amplius aceti proprietates, sed mutatur & induit proprietates „ aquæ; sic & sacrarissimum illud corpus cum divinitate commixtum, „ non habet amplius proprietates carnis.

Jam vero in hoc postremo capite expendendo versabatur Theodoretus, ubi de Eucharistia mentionem fecit *pag.* 84. Nam a *pagina* 68. eo adduxerat Eranisten, ut negaret in Christo esse utriusque naturæ propria, atque imprimis *pag.* 78. circumscriptionem corporis: quo fit ut exinde disputet Theodoretus de circumscriptione illa, & specie, & figura corporis Christi, easque multis Scripturæ locis ac rationibus firmet & fulciat. Cum autem ad id probandum, Eucharistiæ mentionem obiter injecisset, quæ imago est incarnationis, statim ad astruendum principale suum pronunciatum, de natura humana Christi abolenda statuendum, oblatam occasionem Eutychianus arripuit, inde conficiens, quod sicut in Eucharistiæ sacramento natura panis transit in corpus Christi, nec amplius *panis* dicitur, sed Christi corpus; ita in Incarnationis mysterio natura humana Christi in ejus divinitatem concesserit, nec Christus appellandus sit amplius *corpus*: verum cum in mente haberet Theodoretus, de qua natura esset proprie quæstio, nimirum de natura aspectabili, de figura, forma, circumscriptione, subtiliter illico retorsit argumentum; inde arguens contra, quod sicut in Eucharistia panis post consecrationem suam semper servat naturam aspectabilem, nempe formam, figuram & circumscriptionem, & panis vitæ ad-

A a 2 huc

huc nuncupatur ; ita corpus Christi in incarnatione non excidat a sua substantia sensibili , a figura , forma , & cæteris id genus ; & corpus dominicum possit appellari.

Cæterum quod catholici & Eutychiani præsentiam corporis Christi in Eucharistia agnoscerent , manifeste colligitur ex his ipsis dialogis . Nam 1. Eranistes ait symbola esse alia ante consecrationem , nempe panem & vinum , alia post consecrationem ; nempe corpus & sanguinem Christi . 2. Id fieri affirmat symbolorum mutatione in ipsum corpus Christi , ad quam necessaria sit & invocatur virtus Spiritus sancti . 3. Ex communi ecclesiarum fide de transsubstantiatione panis in corpus Christi , infert pariter in incarnatione naturam humanam mutatam esse in divinitatem . Pro fundamento itaque argumenti statuit eam , quæ tunc credebatur ab omnibus , panis in corpus Christi conversionem . Nam si Ecclesia tunc sensisset , quomodo jam sentiunt Calviniani , nullus plane extitisset argumento & comparationi locus . 4. Orthodoxus nedum id neget de parte interna Eucharistiæ , ea omnia concedit : ait symbola revera mutari , se recipere corpus Christi & sanguinem : ista , licet non videantur , mente intelligi oportere , & credi , & adorari , cum sint ea quæ dicuntur , nempe corpus & sanguis Christi . Ergo utrimque idem , quod nos credimus , tunc ab omnibus credebatur . Et vero apud Anastasium Sinaitam Eutychiani fidem suam super hoc capite explicantes , sic ajunt : " Absit, absit , ut
" dicamus sacram communionem non esse nisi figuram corporis Chri-
" sti , aut panem communem : in ea vere accipimus ipsum corpus &
" ipsum sanguinem Jesu Christi .... de Maria semper virgine nati . Hoc
" credimus , hoc confitemur , ut Christus dixit in mystica cœna , *Hoc
" est corpus meum* . " Denique in eadem fide hactenus perseverant , ut
" constat ex luculentis Jacobitarum & Cophticæ ecclesiæ testimoniis , quæ leguntur *tomo 1. perpetuitatis fidei , lib. 5. cap. 11. 13. 14. & tomo 3. lib. 8. cap. 19.*

Adeo autem verum est hoc Theodoreti loco transsubstantiationem astrui , ut id ingenue confessi sint ipsimet centuriatores Magdeburgenses Lutherani , *Centur. 5. cap. 4. pag. 517.*

INSTANT. Atqui nullam intrinsecus tunc admittebant substantiæ mutationem . Nam Theodoretus scribit mutationem illam per gratiam fieri , & gratiæ additamentum esse. Ergo non nisi penes efficaciam symbola mutantur.

RESPONDEO ibi neque de gratia , quæ nominibus conferatur , neque de vi illius conferenda esse sermonem ; sed de modo supernaturali , quo symbola mutantur , & de effectu supernaturali qui producitur ; hoc est de corpore Christi quod pani divinitus illabitur id enim *gratiæ* vocabulo exprimere solent Patres , quod nos *supernaturale* dicimus . Sic Theodoretus *dialogo* 3. mirabilem conjunctionem Verbi cum homine ait non secundum naturam , sed secundum gratiam esse : neque idcirco intel-

intelligit illam in gratia quadam cœlitus infusa consistere. Tertullianus *de resurrectione carnis cap.* 57. disputans adversus eos, qui illam esse non posse sentiebant, " Naturam, inquit, adversus dominum suum „ temere defendis, & legem adversus gratiam impie asseris. " Ambrosius *de mysteriis, cap.* 9. de petra deserti, " Præter naturam, inquit, „ operata est gratia, ut aquam vomeret petra, quam non habebat na„ tura. " Auctor operis *de sacramentis lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 18. " Se un„ da (maris rubri) divisit, non utique secundum naturæ suæ consue„ tudinem; sed secundum gratiam cœlestis imperii. " Eodem prorsus modo de Eucharistia locuti sunt Patres. Epiphanius enim v. g. *in Ancorato, supra*, " Voluit Christus, inquit, ex gratia dicere, *Hoc est cor„ pus meum.* " Chrysostomus similiter *lib.* 3. *de sacerdotio* conferens sacrificium Eliæ cum nostro, " Orat sacerdos, inquit, non ut flamma „ de cœlo descendat, sed ut gratia decidat in sacrificium. " Quid sit autem ea gratia explicans illico ; " O miraculum, inquit, ... qui „ sedet ad dexteram Patris, hac hora omnium manibus contrectatur. " Imo idem quoque *gratiæ* vocabulum apud Paschasium reperias : adeo certum est generali ac suspensa voce designari solere a veteribus quidquid supernaturale est, seu res sit, seu modus. Profecto nomine *gratiæ* a Theodoreto memoratæ Calviniani intelligunt aut gratiæ donum hominibus concessum, aut vim dandæ illius gratiæ pani inditam, aut denique corpus ipsum Christi. Atqui non primum : gratia enim, de qua agitur, non homini datur, sed naturæ panis adjecta significatur : non etiam secundum, quia Calviniani sacramentis denegant vim gratiæ conferendæ : ergo tertium solum superest, nempe corpus Christi, quod sub pane constituitur invocatione Spiritus sancti.

Instant. Probat adversus Eutychianos Theodoretus *dialogo* 3. *pag.* 127. a minori ad majus, ut ajunt, corpus Christi in cruce morientis salutare dici posse, quia est archetypon Eucharistiæ, quæ cum typus sit, salutaris esse putabatur. Ergo existimabat Eucharistiam esse quid inferius ipso corpore Christi in cruce suffixo : atque adeo non esse idem corpus.

Distinguo : esse quid inferius, penes statum ; concedo : penes rem ipsam ; nego. Corpus Christi in Eucharistiæ sacrificio immolatum est commemoratio tantum ac typus corporis Christi in cruce patientis : sacrificiumque illud mysticum a cruento vim omnem suam haurit & derivat : atque ita ex illa parte est quid inferius. Quapropter cum dixisset Orthodoxus debere nos immolationi corporis Christi in cruce salutem nostram ; & Eranistes quasi indignabundus reposuisset : " Cor„ pus ergo nobis salutem procuravit ? jure Orthodoxus subjicit : " Non „ nudi hominis corpus, sed Domini nostri Jesu Christi ; si autem cor„ pus ipsum Christi cruci affixum exiguum tibi ac vile videtur, quo„ modo typum ejus salutarem existimas ? " Nam recta illa consecutio est ; si typus adeo salutaris sit, multo potiori jure vim istam ipsi cor-

pori, quod est antitypon, esse ascribendam: ut enim ajunt philosophi, propter quod unumquodque est tale, & illud magis. At inde non sequitur quod in Eucharistia non sit idem corpus, quod in cruce fuit. Imo contra: nam Eutychiani tribuebant Eucharistiæ, quod nolebant corpori Christi in cruce pendenti attribuere, & quod cruci attribuebant catholici, nempe quod esset principium vitæ ac salutis: ex hoc enim argumentum sumit Theodoretus. Atqui nullum aliud est corpus quod principium vitæ ac fons salutis nostræ dici queat, præter ipsum verum ac proprium corpus Christi. Ergo tunc universi credebant verum ac proprium Christi corpus in Eucharistia existere.

Adde quod Calviniani id omnino negare non possint, si vulgata sectæ suæ placita sequantur. Nam juxta Thodoretum, tum hic, tum alibi, Eucharistia adoratione, aut ne verbo disputem, veneratione ac cultu saltem digna est: non veneratione ac cultu civili, ut liquet: ergo veneratione sacra ac religiosa. Atqui ubi de imaginibus agunt, nihil aliud clamant, quam cultum religiosum uni Deo competere: nullumque esse medium cultum inter civilem & summum, qui Deo dependitur. Ergo in Eucharistia est verum Christi corpus.

Instant. Theodoretus demonstrat *in appendice dialogorum pag.* 180. naturam humanam a divinitate esse absorptam, quia Eucharistia Christi est typus corporis; typus autem nullus est absque veritate. Ergo ex Theodoreto Eucharistia est typus ac figura corporis Christi.

Distinguo consequens: est figura corporis Christi penes partem suam externam; concedo: penes intimam; nego. Argumentum eruit Theodoretus ex parte externa Eucharistiæ, quæ cum typus sit, non divinitatis, sed corporis Christi, & corporis quidem non fictitii, sed veri, ut confitentem habebat Eranisten, ex eo jure infert Christum adhuc vero corpore præditum esse.

Instant. At Theodoretus momenta depromere non debuit ex parte Eucharistiæ externa, sed potius ex interna. Si enim fides Ecclesiæ ea tunc fuit, quæ nunc est; corpus Christi nempe vere in Eucharistia esse, longe potius sine dubio ita disputasset: In Eucharistia est adhuc verum Christi corpus. Ergo Christus habuit & habet etiamnum verum corpus.

Respondeo ex Eucharistia tria depromi potuisse argumenta adversus Eutychianos. Primum ex parte interna in hunc modum: Corpus Christi juxta vos absorptum est a divinitate. Ergo juxta doctrinam vestram in Eucharistia non est corpus Christi. Secundum ex eadem parte sic: Quidquid est in Christo secundum vos, divinitas est. Ergo Eucharistia jam non Christi corpus, sed divinitas dicenda est. Tertium ex parte externa his fere verbis: Eucharistia est typus. Non est autem typus divinitatis Christi; sed corporis, & corporis quidem non fictitii, sed veri. Ergo verum corpus Christus habuit. Aut aliter: Eucharistia est figura incarnationis. Ergo quemadmodum panis eucharisti-

cus post consecrationem semper suam servat pristinam speciem, formam, figuram, & circumscriptionem; sic & natura humana post unionem. Isthæc autem singula reipsa Patres torserunt in Eutychianos.

Primum S. Leo *sermone* 89. qui est sextus *de jejunio septimi mensis* : " Dicente Domino, inquit, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, sic sacræ mensæ „ communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi „ & sanguinis ambigatis : hoc enim ore sumitur, quod fide creditur, „ & frustra ab illis *amen* respondetur, a quibus, contra id quod acci- „ pitur, disputatur. " *Epistola* 46. *ad clerum & populum Constantinop.* idem habet.

Anastasius Sinaita *in Odego cap.* 13. *pag.* 233. eadem ratione utitur, " Si Christus est sola divinitas, divinitas vero sub visum tactumque „ non cadit, nec sacrificari potest, ... liquido conficitur Timotheum „ (Eutychianorum principem) Judæorum instar inficiari sacrificium & „ communionem sacratissimorum mysteriorum corporis & sanguinis „ Christi : neque credere vereque confiteri corpus & sanguinem Christi. Secundum usurpat idem Anastasius *ibid.* " Offerens tradit his verbis „ populo (Eucharistiam) *Corpus & sanguis Domini & Dei & Salvatoris Jesu Christi* ... debebat ... potius sumentem ita alloqui : Di- „ vinitas Domini nostri, Jesu Christi. " Quem secutus est Isaac Catholicus Armeniæ contra Armenos Eutychianos. " Mutant, inquit, „ traditiones Ecclesiæ catholicæ & mysteriorum Christi sua unius in „ Christo naturæ blasphema affirmatione. Neque sanctam communio- „ nem mysteriorum aut sacrificium panis, qui est caro Christi, vocant „ *Corpus Christi Dei*, ut Christus ipse Jesus dixit, sed *divinitatem*. " Eadem ferme leges apud Euthymium *in panoplia*, *titulo* 20. de Armenis.

Tertium Theodoretus non secus ac Chrysostomus ante eum, adversus Apollinaristas, & post eum adversus eosdem Eutychianos Gelasius & Ephremius, & quidem acute : perspiciebant enim illi corpus revera agnosci in Christo ab Eutychianis, quamvis illud prima fronte tollere viderentur, eoque recidere omnem eorum impietatem, quod vellent absorptas esse omnes corporis istius proprietates. At ut ostenderent eas esse superstites, nihil aptius esse poterat exemplo Eucharistiæ penes partem suam externam, qua parte est figura & imago incarnationis. Nam Eucharistia ea parte post consecrationem suis non excidit proprietatibus, habetque eamdem, quam ante, speciem, figuram, formam, & circumscriptionem.

Gelasius papa.

In suis adversus Eutychianos libris omnem fidei nostræ summam exprimit. " Certe sacramenta, quæ sumimus, corporis & sanguinis Do-

„ mini, divina res est: propter quod & per eadem divinæ efficimur „ consortes naturæ; & tamen esse non desinit substantia vel natura pa„ nis & vini. Et certe imago & similitudo corporis & sanguinis Chri„ sti in actione mysteriorum celebrantur. Satis ergo nobis evidenter „ ostenditur, hoc nobis in ipso Christo Domino sentiendum, quod in „ ejus imagine profitemur, celebramus & sumimus: ut sicut in hanc, „ scilicet in divinam, transeunt Spiritu sancto perficiente substantiam, „ permanente tamen in sua proprietate natura; sic illud ipsum myste„ rium principale, cujus nobis efficientiam, virtutemque repræsentant, „ ex quibus constat proprie permanentibus, unum Christum quia inte„ grum verumque permanere.

Nempe ibi Gelasius indicat panem & vinum non manere in Eucharistiæ sacramento post consecrationem. Ait enim symbola in divinam Christi transire substantiam, idque virtute Spiritus sancti: quod utrumque arguit mutationem vere substantialem, quippe quæ in substantiam desinat, tanquam in terminum suum, & divinæ potentiæ miraculum sit: ad figuram enim nulla mutatio requiritur, multo minus mutatio substantiæ, & ad id superflua omnino est Spiritus sancti opera. Ergo.

Objicit Albertinus: Juxta Gelasium manet natura vel substantia panis. Ergo in Eucharistia non est vere corpus Christi.

Distinguo antecedens: manet panis natura seu substantia aspectabilis; concedo: intima; nego. Duo simul conjungit Gelasius quæ conciliari oportet: primum, quod symbola mutentur in divinam Christi substantiam; alterum, quod panis tamen substantia & natura remaneat. Ex una ergo parte mutantur, non ex alia. At mutatio non fit in parte extrinsecus apparente; eadem enim est semper species. Ergo in parte intima. Ergo quæ natura remanet, ea est natura aspectabilis, & sensibilis symbolorum. Idem est argumentum, quod Chrysostomi & Theodoreti *supra*. Hi enim omnes statuunt Eucharistiam esse imaginem incarnationis, quæ hic vocatur mysterium principale, sicut apud Theodoretum Christi passio appellatur archetypon: atque adeo volunt, quod, sicut Christus in Eucharistia ita cum pane conjungitur ut hæc unio non aboleat panis naturam aspectabilem; sic in incarnatione Verbum cum natura humana ita uniatur, ut ista copula non absumat illius proprietates: comparationem autem utriusque mysterii ultra non extendunt.

EX SECULO VI.

Cæsarius Arelatensis.

Cæsarius Arelatensis qui hac ineunte ætate floruit, *homilia 7. de paschate*, sic sententiam suam promit de Eucharistia *tom. 2. biblioth. Patrum.* „ Vere unica & perfecta hostia est fide æstimanda, non spe-

„ cie;

„ cie; nec exteriori censenda visu, sed interiori affectu. Unde merito
„ cœlestis confirmat auctoritas, quia *Caro mea vere est cibus*, *& sanguis meus vere est potus*. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum,
„ quandoquidem qui auctor est muneris, ipse etiam est testis veritatis.
„ Nam invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis &
„ sanguinis sui secreta potestate convertit, ita dicens, ... *Hoc est corpus meum* .... *Hic est sanguis meus*. Ergo sicut ad nutum præcipientis Domini repente ex nihilo substiterunt excelsa cœlorum; ....
„ pari potentia in spiritualibus sacramentis, Verbi præcipit virtus, &
„ rei servit effectus ..... sacrum Dei tui corpus sacerdote dispensante
„ tantum est in exiguo, quantum esse constat in toto. Quod cum Ecclesia fidelium sumit, sicut plenum in universis, ita integrum esse
„ probatur in singulis ...... Nec dubitet quisquam ..... creaturas nutu
„ potentiæ in Dominici corporis transire posse naturam, quando benedicendæ verbis cœlestibus creaturæ sacris altaribus imponuntur, substantia illis est panis & vini: post verba autem Christi corpus &
„ sanguis est Christi. Quid autem mirum est, si ea quæ verbo creare
„ potuit, possit creata convertere?

Ephremius

Ex comite Orientis factus Antiochenus præsul, 1. *de sacris Antiochiæ legibus libro contra Eutychianos* obiter de Eucharistia sic habet, apud Photium *in biblioth. cod.* 129. „ Patres nostri dicentes Dominum nostrum Jesum Christum ex duabus naturis constare, intelligunt ex
„ duabus substantiis .... Et id ipsum docet Filius tonitrui,
„ quando dicit; *Quod erat ab initio*, *quod vidimus*, *& palpaverunt manus nostræ de Verbo vitæ* ... Docet enim his verbis, ut
„ diximus, unum & eumdem substantiam habere palpabilem & impalpabilem. Nam Verbum dicens, impalpabile palpatum fuisse testatus est, & se vidisse inquiens, invisibile visum fuisse nunciavit.
„ Sic unum Christum in palpabili & impalpabili, in visibili & invisibili agnoscit, & aliis ad hoc sciendum præceptor sit. Si quidem
„ utrumque unius personæ est, nemoque mentem habens dicere potest
„ eamdem esse naturam palpabilis & impalpabilis, visibilis & invisibilis; sic quod & a fidelibus percipitur Christi corpus, & a sensibili
„ substantia non discedit, & indivisum a gratia intelligibili manet; &
„ Baptismus spiritualis totus factus & unus existens proprium sensibilis substantiæ, aquæ nimirum, servat, & quod factum est non
„ amittit.

Gratiæ nomine illic Christus ejusque corpus designatur, ut & apud Theodoretum & Chrysostomum *supra*: quod & pluribus testimoniis veterum probat Perronius *ad eumdem Theodoretum*. Dicitur autem corpus illud intelligibile; non quod verum non sit corpus Christi: sed quod in Eu-

in Euchariſtia nonniſi oculis mentis cerni queat. Ea enim vis eſt hujus vocabuli, quo rei veritas non excluditur: Paſchaſius enim, v. g. *de corpore & ſanguine Domini cap.* 2. „ Senſibilis res, inquit, intelligibiliter virtute Dei per verbum Chriſti in carnem ipſius & ſangui„ nem divinitus transfertur.

Objicit Albertinus. Symbola non recedunt a ſua ſubſtantia juxta Ephremium. Ergo.

Distinguo: non recedunt a ſua ſubſtantia ſenſibili, ut conceptis verbis loquitur; concedo: a ſua ſubſtantia intima: nego. Nedum nobis hic officiat Ephremius, luculenter contra exprimit, quænam ſubſtantia ſit quam Patres Eutychianorum impugnatores dicunt in Euchariſtia remanere, nempe natura ſenſibilis. De viſibili & inviſibili, palpabili & impalpabili natura hic diſputabat Ephremius adverſus hæreticos, qui tollebant a Chriſto corpus humanum aſpectabile & palpabile: ait contra incarnatione non deſtructas eſſe in corpore Chriſti has proprietates, quemadmodum in Euchariſtiæ conſecratione non pereunt panis & vini qualitates. Eadem eſt prorſus cum Chryſoſtomo, Theodoreto & Gelaſio papa ratio diſputandi.

Dum autem Euchariſtiam cum baptiſmo & incarnatione componit, ea omnia confert penes unam hanc naturam ſenſibilem, quæ in illis ex æquo remanet, non autem penes alia, in quibus omnino a ſe diſcrepant.

Facundus Hermianenſis.

Eodem ſeculo tempore concilii VI. œcumenici pro defenſione trium capitulorum, hoc eſt Theodori Mopſueſteni, Theodoreti & Ibæ, haud mediocre opus conſcripſit Facundus. *Libro* autem 9. excuſans Theodorum qui dixiſſe ferebatur Chriſtum adoptionem filiorum ſuſcepiſſe, ſic ait: „ Adoptionem quoque filiorum ſuſcepiſſe Chriſtum, ſi antiqui do„ ctores Eccleſiæ dixiſſe monſtrarentur, nec ipſi nec omnis Eccleſia quæ „ tales doctores habuit, judicari deberent hæretici. Nam ſacramentum „ adoptionis ſuſcipere dignatus eſt Chriſtus, & quando circumciſus eſt, „ & quando baptizatus eſt: & poteſt ſacramentum adoptionis adoptio „ nuncupari, ſicut ſacramentum corporis & ſanguinis ejus, quod eſt in „ pane & poculo conſecrato, corpus ejus & ſanguinem dicimus: non „ quod proprie corpus ejus ſit panis, & poculum ſanguis; ſed quod in „ ſe myſterium corporis ſanguiniſque contineant. Hinc & ipſe Domi„ nus benedictum panem & calicem, quem diſcipulis tradidit, corpus „ & ſanguinem ſuum vocavit. Quocirca ſicut Chriſti fideles ſacramen„ tum corporis & ſanguinis ejus accipientes, corpus & ſanguinem Chri„ ſti recte dicuntur accipere: ſic & ipſe Chriſtus ſacramentum adoptio„ nis filiorum cum ſuſcepiſſet, potuit ipſe dici adoptionem filiorum „ recepiſſe.

Myſte-

Mysteriorum vocabulo hic ipsum Domini corpus intelligitur sub specie panis latens: ut enim ait Hieronymus *in epistola ad Evagrium*, „ Mysterium Christianum in Salvatoris corpore & sanguine est. “ Atqui Eucharistia a Facundo dicitur continere in se mysteria corporis & sanguinis Domini. Ergo.

Objicit Albertinus. Juxta Facundum sacramentum corporis Christi non est proprie corpus Christi. Ergo.

Distinguo antecedens: sacramentum corporis stricte acceptum pro specie externa Eucharistiæ; concedo: pro tota Eucharistia sumptum; nego. Duo sunt in Eucharistia, corpus Christi, quod ea continetur, & species panis, quæ illud continet. Porro Facundus loquitur de ea parte quæ in se continet mysteria corporis & sanguinis Domini, idque exemplo Augustini, cujus libros maxime triverat.

Instat. Si Christi corpus saltem sub specie illa panis lateret, qui Eucharistiam participaret, is proprie accipere diceretur corpus Christi, non improprie. At Facundus non tantum definit sacramentum illud non esse proprie corpus Christi, sed etiam corpus Christi non proprie accipi.

Distinguo minorem: non proprie accipi, quatenus suscipitur sacramentum; concedo: quatenus suscipitur id quod sub eo sacramento continetur; nego. Susceptio corporalis primario sacramentum respicit; secundario autem corpus Christi eo tectum ac revelatum. Penes sacramentum improprie suscipimus corpus Christi; penes rem intimam proprie: sicut dum sacramentum adoptionis suscipimus, penes sacramentum adoptionem suscipimus, licet alia ex parte adoptionem vere simul recipiamus.

Instat. Juxta Facundum, ipsa Christi propositio in sensum figuræ accipienda est. Ergo.

Distinguo antecedens: in sensum figuræ accipienda est Christi propositio, quatenus pronunciat de parte externa, quod sit corpus Christi; concedo: propositio Christi integra; nego. Vide quæ diximus *ad Sanctum Augustinum*, ubi *librum contra Adimantum* expendimus.

Cæterum, ut verbis utar Sirmundi, qui Facundum in lucem edidit, si durius fortasse aut obscurius quidpiam elocutus videatur Facundus, dignus est venia, & qui a benigno interprete vicem officii recipiat, quod ipse aliis studiose, quorum dicta notabantur, non semel exhibuit: per transennam enim duntaxat, & exempli adducendi necessitate de Eucharistia mentionem fecit.

Auctor operis de vitis Patrum.

Qui liber est quintus apud Rosweidum, ad hanc circiter ætatem referendus est, nec recentior esse potest, cum illum latinitate donaverit

verit Pelagius Romanæ Ecclesiæ diaconus, & deinde medio hoc seculo pontifex maximus. In eo autem opere est historia quædam spectans ad Eucharistiam, memorata quoque *in apophthegmatibus Patrum*, apud Cotelerium *tomo primo monimentorum Ecclesiæ Græcæ*, *pag.* 421. cujus etiam mentio fit *tomo primo Analectorum*, *pag.* 20. " Ea autem talis est: dixit . . . Abbas Arsenius de quodam Scetiota, quod magnus esset in agendo, in fide vero simplex; unde quia erat idiota, fallebatur & dicebat: Non est revera corpus Christi panis quem sumimus, sed antitypum seu figura . . . Illi vero monuerunt eum hisce verbis. Abba noli sic tenere, sed quemadmodum tradit Ecclesia catholica: nos enim credimus, quod ipse panis corpus sit Christi, & calix ipse sit sanguis Christi, secundum veritatem, non secundum figuram . . . . . Completa ergo hebdomada venerunt dominico die ad Ecclesiam, steteruntque una tres . . . Tunc aperti sunt oculi eorum. Nam cum panis ad sacram mensam positus fuisset, tribus solis apparebat velut puerulus. . . . Ut porro accesserunt ad sumendum de sanctis, soli seni data est caro cruenta: quod intuitus timuit & clamavit dicens, Credo, Domine, quod panis corpus tuum sit, nec non calix sanguis tuus. Atque illico caro quam præ manibus gerebat, evasit in panem juxta mysterium.

Vera sit an falsa hæc historia, nihil interest. Ex ea quænam tunc fuerit Ecclesiæ de Eucharistia fides, clarissime elucet.

EX SECULO VII.

Gregorius Magnus.

ROMANAM Ecclesiam rexit hujus seculi initio, & dogma catholicum tradidit multis in locis Gregorius.

1. Enim *homilia* 14. *in evangelia*, " Bonus pastor, ait, pro ovibus animam suam posuit, ut .... oves .... quas redemerat, carnis suæ alimento satiaret.

2. *Hom.* 22. *in eadem evangelia*, " Quid sit sanguis agni, inquit, non jam audiendo, sed bibendo didicistis. Qui sanguis super utrumque postem sumitur; quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.

Adde quod, ut testantur Joannes Diaconus *in ejus vita*, *libro secundo*, *cap.* 41. & Paulus Diaconus, illustri prodigio conversionem panis in corpus Christi demonstraverit, cum quædam mulier de ea dubitaret, humani scilicet corporis in Eucharistia speciem exhibendo.

He-

Hesychius Hierosolymitanus.

Hesychius ad quem scripsisse dicitur Gregorius Papa. *lib. 9. epist.* 40. sic de Eucharistia scribit *libro 6. in Leviticum* : " Sancta sancto„ rum sunt proprie Christi mysteria, quia ipsius est corpus, de quo „ Gabriel . . . . . *Ideo & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius* „ *Dei* . . . . Per ignorantiam autem percipit, qui virtutem ejus & di„ gnitatem ignorat, qui nescit quia corpus, & sanguis est secundum „ veritatem.

Anastasius Sinaita.

In *Odego cap.* 13. & 14. luculentius adhuc exprimit fidem nostram: sed *cap.* 23. luculentissime: in eo enim Orthodoxum cum quodam Gaianita Eutychiano, qui dicebat corpus Christi nunquam corruptelæ fuisse obnoxium, colloquentem inducit.

Orthodoxus, " Dic mihi obsecro, si, ut divinitas, ita corpus Chri„ sti ab ipso unionis exordio omnino incorruptionem habet, num com„ munio .... verum est corpus & sanguis filii Dei, vel nudus panis .... „ & antitypon corporis?

Gaianita, " Absit ut dicamus sacram communionem antitypon esse cor„ poris Christi, aut simplicem panem; sed ipsum vere corpus & sanguinem „ suscipimus Christi Filii Dei incarnati.

Orthodoxus, " Sic credimus & sic confitemur, juxta vocem Christi ip„ sius .... *Hoc est corpus meum.*

EX SECULO VIII.

Germanus Constantinopolitanus.

Germanus *in sua de mysteriis theoria* ita de Eucharistia loquitur : " Sacerdos, inquit, obsecrat, ut fiat seu mutetur ipse panis & vinum „ in corpus & sanguinem Christi, & Dei, & impleatur hoc, *Ego* „ *hodie genui te* : unde & Spiritus sanctus . . . mutat & perficit pro„ posita sancta dona in corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu „ Christi . . . . Signantur divina dona, ut adventus . . sancti Spi„ ritus mutet & faciat panem quidem ipsum pretiosum corpus Domi„ ni nostri Jesu Christi, id autem, quod est in poculo, sanguinem „ Christi . . . . pro vita & salute mundi effusum. . . . Post elevatio„ nem statim partitio divini fit corporis; verum licet dividatur, in„ dividuus permanet, & insectus, in unaquaque parte sectorum totus „ agnitus & inventus.

Joan-

Joannes Damascenus.

De transubstantiatione multa habet, ut aiunt ipsi Centuriatores Magdeburgenses *centuria* 8. *cap.* 4. sed insignis est imprimis locus *libro* 4. *de Orthodoxa fide cap.* 14. ubi, cum aliquot argumentis ostendisset nihil esse quod Deus facere non possit: & quemadmodum ex nihilo fecit omnia, sic cum dixerit, *Hoc est corpus meum*, nihil obstare, quominus id quotidie fiat: hoc postremum clarius explicans, sic ait: „ Panis vinumque & aqua per invocationem & adventum Spiritus san- „ cti supernaturaliter transmutantur in corpus & sanguinem Christi, „ & non sunt duo, sed unum & idem .... Panis & vinum non „ sunt figura corporis & sanguinis Christi; absit; sed ipsum corpus Do- „ mini deificatum, ipsomet Domino dicente, *Hôc est corpus meum*, non „ autem *Hoc est figura corporis*, sed *Hoc est corpus meum*, & non ty- „ pus sanguinis, sed sanguis .... Si autem nonnulli panem & vinum „ nominaverunt antitypa corporis & sanguinis, ut .... vocavit Basilius, „ non post consecrationem dixerunt, sed antequam sanctificaretur ipsa obla- „ tio, sic appellantes.

Nicæna synodus.

NICÆNA synodus *act.* 6. *pag.* 447. *tomo* 7. *concil.* refellens, quod dixerant Iconomachi Eucharistiam esse imaginem corporis Christi, sic ore Epiphanii diaconi ait: " Nullus .... sanctorum .... apostolorum, „ aut illustrium Patrum nostrorum incruentum sacrificium nostrum quod „ in commemoratione Christi Dei nostri, ac omnis dispensationis ejus „ efficitur, dixit imaginem corporis ejus. Neque enim acceperunt a „ Domino sic dicere vel confiteri: sed audiant evangelice dicentem „ eum, *Nisi manducaveritis &c. & Accipite, Hoc est corpus meum;* „ *Hic est sanguis meus* .... Non dixit, *Accipite, & comedite imaginem* „ *corporis mei* .... Ergo liquido demonstratum est, quod nusquam „ Dominus vel apostoli aut Patres *imaginem* dixerunt sacrificium in- „ cruentum, ... sed ipsum corpus & ipsum sanguinem ... Ante- „ quam sanctificata fuerint, vocata sunt *typi*; post sanctificationem „ autem *corpus*; præcipue autem *sanguis Christi* dicuntur, sunt, & „ creduntur. Ipsi vero.... volentes venerabilium imaginum demoliri „ visionem, aliam imaginem introduxerunt, quæ non est imago, sed „ corpus & sanguis .... Deinde dimisso mendacio tangunt pauxillum „ quid veritatem, divinum corpus dicentes fieri. At si imago corporis est, „ non potest esse hoc divinum corpus. " Huc refer objectionem ex conci- „ liabulo Iconomachorum *infra*.

Ca-

Carolus Magnus.

Libro 4. *Carolinorum cap.* 14. rejiciens pariter nomen *imaginis* Eucharistiæ datum ab Iconomachis, " Non imaginem, inquit, aut aliquam præfigurationem, sed semetipsum Deo . . . . . obtulit: nec nobis, legis transeuntibus umbris, imaginarium quoddam indicium, sed sui corporis, & sanguinis contulit sacramentum. Non enim corporis, & sanguinis dominici mysterium imago jam nunc dicendum est, sed veritas; non umbra, sed corpus; non exemplar futurorum, sed id quod exemplaribus præfigurabatur; nec ait, *Hæc est imago corporis mei*, sed *Hoc est corpus meum*, *quod pro vobis tradetur*, *& Hic est sanguis meus*, *qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*.

Elias Cretensis.

Commentario in orat. 1. *Gregorii Nazianzeni*, *tomo* 2. *pag.*200. "Proposita (symbola) per ineffabilem quamdam omnipotentis Dei virtutem in Christi corpus & sanguinem vere commutantur . . . . per antitypon autem (quo nomine Eucharistiam designarat Nazianzenus,) isotypon intelligas, si quidem de magnis illis mysteriis, hoc est de sanctissimo Christi corpore ac pretioso sanguine istud accipias ... Præpositio enim hæc ἀντὶ nonnunquam æqualitatem etiam significat?

EX SECULO IX.

Nicephorus Constantinopolitanus.

NICEPHORUS Tharasii sub quo habita est synodus VII. in sede Constantinopolitana successor, eisdem quibus Nicæni præsules, & *supra* laudati scriptores, armis pugnat adversus Iconomachos, *Antirrhetico* 2. apud Allatium *de perpetua consensione utriusque Ecclesiæ*, *libro* 3. *cap.* 15. *pag.* 1223. " Non sine stupore, inquit, admirabitur quispiam ipsius imperatoris Iconomachi in his quoque futilitatem atque inconstantiam. Quoniam quod paulo ante proprie vereque corpus Christi contendebat accipere, hoc idem nunc imaginem affirmat. At idem proprie & vere corpus esse, & imaginem illius esse dicere, an excogitari stolidius potest? . . . . Nos enim catholici neque imaginem, neque figuram corporis illius hæc dicimus, licet symbolice conficiantur: sed ipsum Christi corpus deificatum: illius enim dicentis vox est, *Nisi manducaveritis &c.* hoc enim apostolis exhibebat, *Manducate corpus meum*, dicens, non imaginem corporis mei. Quem-

" ad-

„ admodum enim ex sacra virgine carnem per Spiritum Sanctum sibi „ ipsi substituit ; & quemadmodum panis ; vinum & aqua naturaliter „ in corpus & sanguinem edentis ac bibentis transmutantur, neque di- „ dicimus aliud corpus, diversum a primo fieri, ita & hæc superna- „ turaliter ..... in corpus & sanguinem Christi transmutantur.... & non „ duo intelligimus, sed unum & idem fieri credimus. " Vide & *de Cherubim in biblioth. Patrum ; de imaginibus libro 3. tomo IX. biblioth. Patrum*.

OBJICIT Albertinus conciliabulum Iconomachorum, cujus de Eucharistia sermo refertur *actione 6. concilii Nicæni II. pag. 446. tomo 7. conciliorum*, in hunc modum. „ Lætentur & exultent, & fiducialiter „ agant, qui veram Christi imaginem sincerissima anima faciunt & de- „ siderant, & colunt, & in salutem animæ & corporis offerunt, quæ „ ipse .... Deus noster ..... secundum tempus propriæ passionis in ty- „ pum & rememorationem evidentissimam tradidit ministris suis. „ Nam .... acceptum panem benedixit, ... & dans dixit .... *Hoc est* „ *corpus meum*: similiter & calicem tradens dixit: *Hic est sanguis meus:* „ *hoc facite in meam commemorationem*. Veluti nulla alia figura ab eo „ electa sub cœlo, vel imagine repræsentare ejus incarnationem valen- „ te. En ergo imago vivifici corporis ejus pretiose ac venerabiliter „ facta. Quid enim argumentatus est in hoc sapientissimus Deus? non- „ ne ut ostenderet & exprimeret nobis.... mysterium quod operatus est „ per dispensationem suam? quia sicut id quod ex nobis suscepit, ma- „ teria sola est humanæ substantiæ non figurantis proprie subsistentem „ personam, ut non addimentum personæ divinitatis intercidat; ita & „ imaginem, materiam propriam, id est panis substantiam præcepit „ offerri, non figurantem hominis formam, ac idololatria subintro- „ ducatur. Sicut ergo quod secundum naturam Christi corpus est, „ sanctum est, & deificatum ; ita & id manifestum est de illo quod „ est institutione, seu de sancta ejus imagine, ut per quamdam san- „ ctificationem gratia sua deificata. Hoc enim molitus est, ut dixi- „ mus, Dominus Christus, ut sicut carnem, quam suscepit propria „ secundum naturam sanctificatione ex ipsa unione deificavit, similiter „ & Eucharistiæ panem, ut veracem imaginem naturalis carnis, per „ adventum sancti Spiritus sanctificatum, divinum corpus fieri voluit, „ mediante sacerdote oblationem ex communi ad sanctum quid trans- „ ferente. Itaque Christi secundum naturam caro, animata & intel- „ lectualis unita est Spiritui sancto ad divinitatem : similiter & divi- „ nitus tradita imago, divinus scilicet panis, repletus est Spiritu san- „ cto, cum calice vivifici sanguinis lateris ejus. Hæc ergo demonstra- „ ta est vera imago dispensationis Christi Dei nostri in carnem, quem- „ admodum supra dictum est, quam ipse nobis verus naturæ vivifica- „ tor & factor propria voce tradidit.

Ex quo Albertinus & Claudius sic arguunt. Eadem fuit Nicæna syno-

ſynodi II. de Euchariſtia fides, quæ Iconomachorum. Atqui Iconomachi clare definiunt Euchariſtiam eſſe imaginem corporis Chriſti. Ergo Eccleſia univerſa id ſentiebat.

Distinguo minorem: imaginem corporis Chriſti, eo plenam; concedo: imaginem vacuam; nego. Duplex eſſe imaginum genus *ſupra* obſervavimus. Euchariſtiam autem eſſe imaginem corporis Chriſti præſentis, non vero abſentis, cum univerſa Eccleſia ſentiebant Iconomachi.

1. Enim nullus dubitat, quin eadem fuerit tunc omnium doctrina ſuper eo capite. Atqui Patres concilii Nicæni, Joannes Damaſcenus, & alii quos laudavimus, aut etiam laudabimus, non credebant Euchariſtiam eſſe imaginem corporis Chriſti abſentis, cum negent eam Dei imaginem eſſe, & velint eam eſſe ipſum verum ac proprium Chriſti corpus. Ergo &c.

2. Iconoclaſtæ hoc ipſo in loco profitentur ſymbola conſecratione ſacerdotis fieri divinum Chriſti corpus, & calicem fieri ejus ſanguinem vivificum, qui de latere ejus fluxit: addunt apud Nicephorum, quem adduximus ad initium ſeculi IX. adhuc diſertius, Euchariſtiam eſſe proprie ipſum Chriſti corpus. Et vero indeſinenter catholici eis exprobrabant, quod non ſatis ipſi ſibi conſtarent, quia *imaginem* appellabant Euchariſtiam, quam ipſum eſſe corpus Chriſti crederent, ut patet ex concilio Nicæno *ſupra*, Nicephoro *infra* & aliis.

3. Ut ex eadem Nicæna ſynodo conſtat *actione 6. num.* 3. 4. 5. 6. &c. Iconomachi omnes alias Chriſti imagines reſpuebant quia illæ ſibi videbantur exhibere aut humanitatem Chriſti ab ejus divinitate ſeparatam aut divinitatem confuſam cum humanitate, atque adeo aut Neſtorianam, aut Eutychianam impietatem ſapere. Ergo aut euchariſticam imaginem pariter admittere non debuerunt, aut illa exhibet nobis totum Chriſtum ut in ſe eſt. At illum non exhibet totum ut in ſe eſt, niſi quia illum continet. Adde quod imaginem Chriſti, & Chriſtum ipſum affirment *ibidem* unum & eumdem eſſe quoad ſubſtantiam. Ergo &c.

4. Iconomachi nullum agnoſcebant cultum, ut loquuntur ſcholæ, relativum. Atqui venerabantur illi tamen Euchariſtiam, ut ipſimet affirmant hoc in loco, neque quidquam novaſſe leguntur in ritibus liturgicis, idque ſupponit in ſua cum Conſtantino Copronymo diſputatione Stephanus Junior, ſic aiens apud Damaſcenum: „ An tu „ quoque corporis, & ſanguinis antitypa ab Eccleſia proſcribes, . . „ . . . . quæ adoramus & oſculamur, & eorum perceptione ſanctita„ tem conſequimur? “ Ergo Chriſtum in Euchariſtia eſſe exiſtimabant.

Instant. Agnoſcunt Iconomachi in Euchariſtia ſubſtantiam panis. Ergo eam eſſe imaginem vacuam cenſebant.

Distinguo antecedens: ſubſtantiam panis, ut electam materiam,

quam Christus præceperit offerri; concedo: ut rem, quæ post consecrationem remaneat; nego. Verba diserta sunt nec ambigua.

INSTANT. Iconomachi aiunt Eucharistiam esse imaginem non fallacem incarnationis. Ergo sicut in incarnatione post unionem tota manet humanitatis substantia, sic & in Eucharistia post consecrationem tota manet substantia panis.

DISTINGUO antecedens: imaginem non fallacem incarnationis, quia totum Christum exhibet, qualis fuit in incarnatione; concedo: secus; nego.

INSTANT. Opponunt Iconomachi corpus Christi eucharisticum corpori Christi naturali. Ergo non est ipsum corpus Christi naturale.

DISTINGUO antecedens: opponunt penes statum & modum; concedo: penes rem ipsam; nego. Expendatur locus, & patebit solutio. In eo enim opponunt præsertim, quod corpus Christi in incarnatione natura tale fuerit; in Eucharistia autem non sit corpus, nisi ex institutione Christi: quod sane est verissimum.

INSTANT. Dicunt Iconomachi Eucharistiam non fuisse donatam figura humana, ne idololatria subintroduceretur. Ergo juxta eos adoranda non est.

DISTINGUO antecedens: ne idololatria subintroduceretur erga cæteras imagines eadem figura expressas, eas adorando; concedo: erga ipsam Eucharistiam, eam adorando; nego. Ita locuti non sunt Iconoclastæ, quasi putarent adorari non debere Eucharistiam, & eam tamen adorandam fore, si humana specie prædita esset. Nam primo illam sub ea, quam habebat tum, forma adorabant, ut modo ostendimus. Deinde humana species non eam adoratione dignam fecisset, si adorari alias non debuisset: non magis profecto, quam humana species, reliquas imagines faciebat venerabiles, quibuscum ejusdem foret conditionis Eucharistia, si imago inanis esset. Animadvertunt itaque solum Eucharistiam non fuisse insignitam humana figura, ne quæ ei debetur adoratio, occasio esset reliquis ejusdem formæ colendis imaginibus, in quo illi summum idololatriæ crimen constituebant.

INSTANT. Præsules Nicæni asserunt *imaginis* nomine excludi veritatem. Ergo Iconomachi, qui illa non utebantur, non arbitrabantur in Eucharistia esse verum Christi corpus.

DISTINGUO: *imaginis* nomine excludi veritatem, juxta popularem intellectum, & usitatam tum temporis significationem; concedo: juxta Iconomachorum sententiam & reipsa; nego. Ut id funditus intelligatur, notandum est.

1. Imaginem nihil aliud esse, quam signum alicujus rei.

2. Imaginem, symbolum, figuram, & sacramentum esse ejusdem significationis.

3. Ea de causa posse dici aliud esse imaginem, figuram, sacramentum; aliud rem iis significatam, quia sibi invicem opponuntur.

4. *Ima-*

4. *Imaginis* nomine non tantum non excludi veritatem, quando veritas imagini conjuncta est, sed eam illo nomine etiam significari, quando mens assuefacta est utrique nomini conjungendo: sic nos *sacramenti venerabilis* nomine audito totam Eucharistiam concipimus.

5. Duplicem esse notionem vocis *imaginis*, aliam propriam, signi nempe; aliam adjunctam, rei nempe cujus signum est.

6. Ubi animus jam non est utrique notioni conjungendæ assuetus, tunc *figuræ & imaginis* nomen non excitare in animo nisi notionem signi sibi propriam, atque adeo tunc populari sensu videri excludere veritatem: sic hodie a *figuræ* nomine Eucharistiæ dando vulgo abhorremus, non quod pugnet cum veritate, sed quia Calvinianorum ea voce abutentium perversitate factum est ut veritatem excludere passim censeatur, licet eodem tempore *sacramenti & symbolorum* vocabula retineamus: quæ sunt ejusdem per se significationis.

7. *Imaginis* nomen tempore concilii Nicæni fere non fuisse usitatum, ubi de Eucharistia agebatur, ut colligitur ex vitis Patrum, Anastasio Sinaita, Joanne Damasceno, Nicephoro Constantinopolitano, Carolo Magno, Theodoro Grapto, quos allegavimus, aut sumus jam allegaturi: in desuetudinem autem abierat, quia non exprimebat id quod in Eucharistia dignius est. Qamvis autem *imaginis* nomen non usurparent, *symbolorum & mysteriorum* voces admittebant. Mirum ergo videri non debet, quod eam vocem in Iconomachis tunc damnarent catholici, & ex ea colligerent, quod secum ipsi pugnarent, quia *imaginem* vocabant Eucharistiam, quam alias verum esse Christi corpus sentiebant.

Theodorus Graptus.

Ejusdem cum Nicephoro ætatis auctor, ejusdem defensor causæ, eadem quoque verba usurpat, cum apud Combefisium *in manipulo originum Constantinopol.* tum apud Allatium *in Creygthoni confutatione p.* 496. „ Non, inquit, immaculata Christi mysteria, non imaginem, neque „ figuram corporis illius dicimus, etsi symbolice conficiantur, sed ipsum „ corpus Christi deificatum: .... si vero uspiam antitypa dicta sunt, non „ post consecrationem, sed antequam fiat consecratio, ita appellata „ sunt.

Theodorus Studites.

Catholicæ fidei non minus insignis vindex *in antirrhetico* 1. *num.* 10. Iconomachos alloquens, " Quomodo appellas, inquit, quæ a sa„ cerdote ..... tractantur? imaginem, an veritatem? quod si ima„ ginem, o rem absurdam! a blasphemia in blasphemiam ruis: .... „ sin autem veritatem ut revera est, ipsum enim corpus & sangui-

 „ nem

„ nem Christi, fideles confitentur, quorsum nugaris, veritatis my-„ steria ad figuras traducens? " *In antirrhetico* autem 2. " in morem dialogi contexto, *num.* 31. *Orthodoxus*, " Quo in numero habes, in-„ quit, corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi? " *Hæreti-„ cus*, " Sancta sunt procul dubio. " *Orthodoxus*, " Hæc itaque etiam „ adoranda judicas? " *Hæreticus*, " Et quis adeo impie sentiat, qui „ non sancta simul & adoranda confiteatur. " *Orthodoxus*, " Non igi-„ tur tecum pugnantia loqueris?

Paschasius Ratbertus.

Corbejensis primo monachus ac dein abbas, rogatus a quodam Placidio discipulo suo, librum *de corpore & sanguine Domini* in gratiam juniorum novæ apud Germanos Corbejæ monachorum, non ita pridem ad nostram religionem adductorum scripsit anno 818. ut vult Albertinus, quem nonnulli catholici secuti sunt, vel, ut aliis rectius videtur, anno 831. simplici quidem stylo, sed majori quam ullus unquam, copia, & tam accurata ratione, ut magnum plerisque ad intelligendum hoc mysterium, cujus fide jam imbuti erant, lumen accenderit: quem quidem librum ad illud usque tempus omnibus gratum & acceptum anno 844. ad Carolum Calvum transmisit.

Cellotius *in appendice ad Gottescalcum* existimavit a Paschasio duos esse de Eucharistia editos libros; alterum *de corpore & sanguine Domini*, alterum *de sacramentis*, cujus meminit ipse *in caput 26. Matthæi*: sed unum idemque opus esse sub diversis nominibus merito censent eruditi. Quidquid sit, in eo duo docet: primum est, verum Christi corpus ac sanguinem in Eucharistia existere: secundum, panis & vini substantiam in Christi corpus & sanguinem converti. His tria adjicit consectaria: primum, hoc corpus esse illud idem dicendum, quod de Maria virgine natum est, & in cruce suffixum: secundum, Eucharistiam non esse secessui obnoxiam: tertium, eam esse figuram simul & veritatem.

In eo opere dum animum lectoris firmat Scripturarum & traditionis autoritate adversus dubitationes quæ possunt suboriri, & impios, qui in ipso catholicæ Ecclesiæ sinu viventes, id mente rejicere audent; quod non capiunt, licet verbis ac scriptis impietatem suam non disseminent, affirmat *capite* 12. ita constans ac necessarium esse Ecclesiæ de præsentia reali dogma, ut qui illud non credit, impio deterior sit.

Anno autem circiter 852. scribens librum 12. *commentariorum suorum in Matthæum*, & eamdem constanter tradens doctrinam, monet nonnullos esse, quibus, ut ex rumore acceperat, ea non placeret, & qui dicerent Eucharistiam non in re esse veritatem carnis Christi, vel sanguinis; sed tantum in sacramento, virtutem quamdam carnis, & non carnem,

virtu-

virtutem sanguinis, & non sanguinem. Addit tamen *neminem* esse, qui in aperto hoc ita esse contradicat, quod totus orbis confitetur & credit.

Anno autem 860. aut circiter, *epistola ad Frudegardum*, eosdem obtrectatores notat ac refellit. Ibi autem sententiam suam appellat *fidem sanctorum*; qui autem eam impugnant: illos asserit " contra ipsum Do-,, minum, & contra omnem Ecclesiam agere.

Quibus quidem verbis fortiter arguit Joannem Scotum, qui contrarium errorem fovens, & clam primo spargens, deinde scripsit librum *de corpore & sanguine Domini*, de quo postmodum verba faciemus.

Atque hic ille est Paschasius, quem Berengarius olim, *ineptum*, *erraticum*, *& erraticorum ducem* vocabat: ut mirum sit eum inter Calviniani dogmatis patronos ab Hospiniano, Boxhornio aliisque fuisse recensitum. Hallucinationem detexit Albertinus *lib. 3. de Eucharistia*, *pag.* 920. Itaque ex eo tempore in Paschasium invecti sunt Calviniani, ut novatorem, & primum illius, quod hodie amplectimur, dogmatis auctorem: verum quam immerito, nemo non videt.

1. Enim, si legatur illius liber, statim patebit, in eo totum esse Paschasium, ut juniorum monachorum mores informet ad pietatem, iisque communem Ecclesiæ fidem explicet, nedum eam convellere nitatur aut inducere novitatem. Stylus humilis est, ac sedatus, qualis esse solet magistrorum res certas & indubitatas docentium; non concitatus, qualis est disputantium.

2. In eo opere ubique profitetur se tantum tradere, quod unusquisque fidelium, quod omnis Ecclesia, totusque orbis tunc crederet. " Vi-,, deat, inquit, qui contra hoc venire maluerit, quam credere, quid ,, agat contra ipsum Dominum, & contra omnem Ecclesiam. " Ali-,, bi, " Ideo, quamvis quidam de ignorantia errent, nemo tamen est ,, adhuc in aperto, qui hoc ita esse contradicat, quod totus orbis cre-,, dit & confitetur. " Alibi, " Nefandum ergo scelus, orare cum om-,, nibus, & non credere quod ipsa veritas testatur, & ubique omnes ,, universaliter verum esse fatentur. " At istud novatorem non sapit. Quis enim novator eo impudentiæ ac stultitiæ unquam venit, ut diceret se nihil aliud proponere, quam quod omnes & singuli credunt ac confitentur? Nonne horum hominum is contra mos est, ut conquerantur de erroribus, qui in Ecclesia passim obtineant ac sese prædicent, quasi veteris & sanæ majorum doctrinæ instauratores?

3. Si in re tam gravi a communi Ecclesiæ fide dissensisset, quot, quæso, non hostes & adversarios, quot non pugnas & certamina undequaque concitasset? Atqui per triginta annos, quibus supervixit, nullum scriptum adversus se vidit: cum autem rumores a nobis memoratos accepisset, obstupuit: " Miror, ait, quid volunt quidam nunc di-,, cere, non in re esse veritatem carnis Christi vel sanguinis, sed in sa-,, cramento virtutem quamdam carnis, & non carnem. " Imo & Fru-

degardus ad quem scripsit sub vitæ finem, testabatur se in eadem fide educatum esse: " Dicis, inquit, te sic antea credidisse, & in libro
„ quem de sacramentis edidi ita legisse, sed profiteris te *in libro 3. de*
„ *doctrina Christiana* B. Augustini legisse quod tropica sit locutio. "
Uno verbo nullus omni ea ætate circa illud fidei caput motus fuit: in pace & omnium communione vixit ac mortuus est Paschasius. Ergo &c.

4. Non modo odiosus non fuit ob novitatem, sed omnibus contra venerabilis. Præsules Galli eum ejusque monasterium diu post scriptum hoc opus insigni privilegio exornarunt: de quo Mabillonius. Lupus Ferrariensis, *epist.* 56. & 57. eum vocat *dilectissimum & omnibus bonis amplectendum*: Engelmodus episcopus, *in carmine de ejus laudibus*, illum *Ecclesiæ columen* appellat. Quocirca pro certo habendum est Paschasii de Eucharistia dogma idem omnino fuisse, quod omnium tunc temporis Ecclesiarum, nullique displicuisse, nisi forte Joanni Scoto, qui ideo statim vapulavit, ac similibus nonnullis hominibus, obscuris, & ignotis, qui occasione hujus libri expenderunt accuratius mysterii altitudinem, eique annexis difficultatibus fracti de eo dubitare cœperunt: quod ex fama tantum audivit, quandiu vixit.

Quod autem spectat ad consectaria a Paschasio adjecta & quæ ad fidem non pertinent; non negamus ea non arrisisse omnibus. Fatemur contra singulis nonnullos fuisse tum adversatos, & quosdam etiam ex professo ea impugnasse.

Primum, quod in Eucharistia velum aliquod sit distinctum a corpore Christi, non placuit Haymoni Halberstatensi ac forte aliis, qui Paschasio contraria docentes, eum tamen nominatim non impetierunt.

Secundum de secessu, improbasse dicuntur Amalarius, Heribaldus Altissiodorensis, & Rabanus Maurus: de quo anonymus Cellotianus, Guillelmus Malmesburiensis, Thomas Waldensis, &c.

Tertium, (Quod nempe dicendum esset illud idem corpus, quod de Maria Virgine natum,) longe pluribus displicuit, eidem nempe Rabano, duobus anonymis scriptoribus, Floro Lugdunensi, Ratramno, Herigero & aliis, qui putabant corpus sacramentale distinguendum esse a naturali, non quidem penes rem ac substantiam, sed penes speciem ac statum, quia videlicet non tantum utriusque diversa est species, sed etiam de uno quædam dicuntur, quæ non possunt affirmari de altero. Multi quidem sunt Patres, Ignatius nimirum, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, qui Paschasio faveant, & asseruerint corpus, quod in Eucharistia est, illud idem omnino esse, quod de Maria natum est, sed cum ista passim cognita non essent, vulgata autem contra quædam testimonia Hieronymi, & ut ferebatur, Augustini, quibus aliud & aliud corpus esse affirmabatur, illi seculi IX. scriptores de re cum Paschasio convenientes, usurpatam ab eo loquendi rationem istam damna-

damnarunt; quamvis utrumque dici queat, ut animadvertit Fulbertus Carnotensis *epist. ad Einardum:* unde Lanfrancus *in dialogo adversus Berengarium;* vere dici posse ait, "& ipsum corpus, quod de virgine „ sumptum est, & tamen non ipsum: ipsum quidem, quantum ad es- „ sentiam veræque naturæ proprietatem & virtutem; non ipsum au- „ tem, si spectes panis vinique speciem." Algerus pariter *lib. 1. cap.* „ 17. " Hanc duplicitatem non substantiæ, inquit, sed formæ sacra- „ menti notaverunt, quoties de corpore Christi ipsum & non ipsum „ dixerunt, ut ipsum secundum substantiam, non ipsum sit secundum „ formam." Vide & Rupertum *epistola ad Cunonem*. Verum ista ex sequentibus illustrabuntur.

Rabanus Maurus.

Duo ex consectariis Paschasii impugnasse vulgo existimatur.

1. Enim teste anonymo Cellotiano, qui Herigerus esse creditur, „ Scripsit adversus Paschasium dicentem esse in Eucharistia idem cor- „ pus, quod ex Maria virgine natum est: " quod ipse Rabanus quoque testatur *in epist. ad Heribaldum*, aiens " se huic errori, quantum po- „ tuit, occurrisse *in epist. ad Egilonem*.

2. Eucharistiam esse secessui obnoxiam, contra quam credidisse dicitur ab eodem anonymo, Guillelmo Malmesburiensi *in præfat. Amalarii manuscripta*, Thoma Valdensi *tomo 1. in præfatione, & tom. 2. cap. 19. & 52.*

At idem quod Paschasius sensit de ipso Eucharistiæ dogmate. *Libro* enim 7. *de sacris ordinibus ad Theotmarum cap.* 10. " Quis unquam cre- „ deret, inquit, quod panis in carnem potuisset converti, vel vinum „ in sanguinem, nisi ipse Salvator diceret, qui panem & vinum crea- „ vit, & omnia ex nihilo fecit? Facilius est aliquid ex alio facere, quam „ omnia ex nihilo creare.

Anonymus Scriptor.

Is editus a Mabillonio *ad calcem seculi IV. Benedictini* (& qui non alius esse putatur ab ipso Rabano) *in excerpto* (quod ipsa forte est epistola ejusdem Rabani *ad Egilonem*, *supra* memorata) aperta fronte Paschasium aggreditur, in eo quod dixerat idem esse corpus.

Verum ne videretur ab eo in ipso fidei dogmate dissentire.

1. Statim & initio scripti sui sic habet " Quod corpus, & sanguis „ Domini vera sit caro, verusque sanguis, unusquisque debet crede- „ re . . . . Prorsus, quisquis hoc negat, cognoscitur, & convincitur „ esse infidelis . . . . ex pane vera caro, & ex vino verus sanguis „ ejus (Christi,) consecratione Spiritus sancti personaliter creatur, quæ „ cum certissima sint, nec ullus .... Christianus Christo credens ambigere „ possit &c.

2. Ad

2. Ad finem operis, ubi cum Paschasio dimicat, & ostendit aliud esse corpus, "Aliud est corpus, inquit mentem suam explicans, non quidem, „ quod absit, naturaliter, sed specialiter.

Anonymus alter.

Ibidem Paschasio similiter oppositus de eodem Christi corpore, sic sententiam suam exprimit, in eumdem omnino sensum: "Aliud est, „ inquit, specialiter corpus Dei, quod glorificatum sedet ad dexteram „ Dei, & tamen naturaliter unum est: ipso Domino dicente, *Hoc est cor-* „ *pus meum.*

Quod apertissimum est, & agitatæ tum temporis controversiæ statum luculenter indicat.

Haymo Halberstatensis episcopus.

Tractatu *de corpore & sanguine Domini*, *tomo* 12. *spicilegii*. In eo cum Paschasio non concordat, quod asserat in Eucharistia nullam esse figuram, nullam imaginem, nullum velum quo corpus Christi tegatur:

At de re ipsa, quæ ad fidem attinet, sic loquitur: "Credimus „ itaque, & fideliter confitemur, & tenemus, quod substantia illa, „ panis scilicet & vini, per operationem divinæ virtutis substantialiter „ convertitur in aliam substantiam, id est in carnem, & sanguinem (Christi.)

Bertramus.

Bertramus qui cum Ratramno Corbeiensi vulgo jam confunditur, in libro *de corpore & sanguine Domini ad Carolum Calvum*, duorum generum adversarios expugnandos sibi proponit; alios qui dicebant, In Eucharistia nihil secreti contineri, quod oculis fidei solummodo pateat, ita ut sine cujusque velatione mysterii hoc aspectus intueatur corporis exterius, quod mentis visus inspiciat interius, & totum quod agitur, in manifestationis luce clarescat: uno verbo, quod nulla sit figura, nulla obvelatio (in quorum numero fuit Haymo): alios qui affirmabant in Eucharistia esse illud idem corpus quod de Maria virgine natum est. In secunda hac parte Paschasium impugnat, ut observat anonymus Cellotianus: in alia cum illo consentit.

At utrumque salva fide: ait enim in hoc libro "exterius panem & „ vinum in specie prætendi, interius carnem, & sanguinem Christi „ contineri: panem & vinum in Christi corporis carnem, & proprii „ cruoris undam spiritaliter converti, transponi, in Eucharistia Chri- „ sti corpus esse, non quidem visibiliter, sed invisibiliter, figuram esse se-

„ cun-

„ cundum speciem visibilem, at secundum invisibilem substantiam corpus
„ & sanguinem Christi vere existere.

Imo autem contestatur se ejusdem esse doctrinæ quoad fidei dogma cum adversariis suis, ait enim de illis, quod " corpus Christi, & san„ guinem fideliter confiteantur, quod corpus, & sanguinem fideliter „ credant.

Joannes Scotus.

SCOTUS librum scripsit *de corpore & sanguine Domini*, ex quo clarius adhuc patet, quænam fuerit tunc Ecclesiæ de Eucharistia fides. Quanquam enim ob verborum ambiguitatem, sub qua latere voluit, & auctoris sinistram famam a plerisque neglectus, in tenebris fere deinceps jacuit, quia tamen perspicacioribus videbatur, ut verbis utar Ascelini, toto nisu, totaque intentione eo tendere, ut persuaderet hoc quod in altari consecratur, non vere Christi corpus, neque vere Christi sanguinem esse: 1. errorem arguit Hincmarus: 2. Joannem Scotum ipsum confutavit Adrevaldus: 3. Annales Bertiniani *ad annum* 855. ob id & alia, notant eum multa catholicæ fidei contraria concitasse: 4. Nicolaus I. *epist. ad Carolum Calvum* scribens ait se accepisse quod non sane saperet: 5. denique seculo XI. in synodo Vercellensi flammis addictus est liber.

Hincmarus Remensis.

" HINCMARUS recensens qui ætate sua errores spargerentur contra catholicam fidem, *libro de prædestinatione*, *cap.* 31. inter cæteros, & istum collocat; quod sacramento altaris non verum corpus, & verus sanguis sit Domini, sed tantum memoria veri corporis & sanguinis ejus.

Adrevaldus Floriacensis.

ADREVALDUS veterum Patrum sententias collegit de corpore, & sanguine Christi contra ineptias Joannis Scoti, ut conceptis verbis legitur *tomo* 12. *spicilegii*.

EX SECULO X.

Herigerus Laubiensis.

HERIGERUS, qui idem omnino esse existimatur cum anonymo Cellotiano, juxta continuatorem chronici Laubiensis, & Sigebertum, " multa catholicorum Patrum scripta de corpore, & sanguine Domini

„ con-

„ contra (Paschasium) Ratbertum congessit ad suadendum quod non
„ sit idem corpus in Eucharistia quod ex Maria virgine.

Et tamen ipsum Paschasii dogma sequi se profitetur, ejus librum extollit, quasi humana æstimatione majorem, eumque plurium Patrum auctoritate defendit: tandem eos configit qui dicerent in Eucharistia non verum Christi corpus, sed figuram corporis ejus tantum esse.

Ratherius Veronensis.

In *epistola ad Patricium sacerdotem, tomo* 12. *spicilegii*: " Sed forte transitorie accipis, inquit, aut etiam figurate te dicere putas,
„ dum accipienti loqueris, *Corpus Domini nostri Jesu Christi propitietur tibi in vitam æternam*. Quod si ita est, cœcitas tui intellectus
„ magis est dolenda, & instruenda, quam miranda, & irridenda....
„ Sed credo, frater, quia sicut in Cana Galilææ vinum Dei imperio verum, & non figuratum fuit ex aqua factum; ita istud Dei
„ benedictione vinum verus, & non figurativus efficitur sanguis, &
„ caro panis.

EX SECULO XI.

Duo sufficient nobis argumenta, quæ utriusque Ecclesiæ, Græcæ nimirum ac Latinæ, super Eucharistiam, fidem & consensionem iudubitatam facient: primum petitum ex Theophylacto: secundum ex damnatione Berengarii.

Theophylactus.

Instar omnium nobis Græcorum ea ætate erit Theophylactus qui *ad caput* 26. *Matthæi* ex professo loquens de Christo, Eucharistiam instituente, sic habet: " Dicens (Christus,) *Hoc est corpus meum*,
„ ostendit quod ipsum corpus Domini est panis qui sanctificatur in altari & non figura: non enim dixit, *Hoc est figura*, sed *Hoc est*
„ *corpus meum*; ineffabili enim operatione transformatur, etiamsi nobis
„ videatur panis. Quoniam infirmi sumus, & abhorremus carnes crudas comedere, maxime hominis carnem, ideo panis quidem appa-
„ ret, sed revera caro est. " Idem & totidem fere verbis habet *ad Marcum & Joannem*.

Berengarius.

Berengarius natu Turonensis, dignitate autem Andegavensis Archidiaconus, cum errorem ex Joannis Scoti libro haustum per ids

tem-

temporis ſpargere voluiſſet, totam in ſe occidentalem Eccleſiam commovit, quæ ejus impietatem plurimis in conciliis confodit.

Primum eſt Romanum ſub Leone IX. anno 1050.

Secundum Brionenſe in Neuſtria, editum eodem anno.

Tertium Vercellenſe eodem quoque anno *plenarium* ab Aſcelino nuncupatum. In eo damnatus eſt Berengarius, & Joannis Scoti liber combuſtus.

Quartum Pariſienſe hoc ipſo anno coram Henrico rege.

Quintum Florentinum anno 1055. ſub Victore II.

Sextum Turonenſe, de quo vide Mabillonium *tom. 2. Analectorum*.

Septimum Turonenſe alterum, in quo Berengarius ejuravit errorem ſuum.

Octavum Andegavenſe, ſub Falcone comite, pertinens ad eumdem annum 1055.

Nonum Romanum 113. epiſcoporum anno 1059. ſub Nicolao II. In eo dogma ſuum abdicavit, & libros propriæ hæreſeos concremavit Berengarius : ibi quoque formulæ fidei ſubſcripſit ab Humberto cardinali concinnatæ, quæ juri canonico inſerta ſic incipit : *Ego Berengarius* : ſed eam ejuſque auctorem poſtmodum, canis reverſus ad vomitum, indigne proſcidit.

Decimum Rothomagenſe anno 1063. ſub Mauritio archiepiſcopo.

Undecimum Pictavienſe anno 1075. ſub Gregorio VII. præſide Giraudo Romanæ ſedis legato, & Epiſcopo Engoliſmenſi.

Duodecimum Romanum generale anno 1078. ſub eodem pontifice, in quo Berengarius aliam profeſſionem catholicam edidit, in quam juravit.

Decimum tertium Romanum item ac generale anno 1079. ubi Berengarius novam fidei formulam panxit, cui ſe promiſit deinceps adhæſurum.

Decimum quartum Burdigalenſe anno 1080. ſub eodem papa, cui Hugo legatus præfuit, quo proſcriptus Berengarius, poſt cantatam ſæpius pro fide palinodiam, tandem ſincere reſipuit : ſtatim enim conceſſit in inſulam S. Coſmæ ad urbem Turonenſem, ubi cum ad annum uſque 1088. dignos pœnitentiæ fructus feciſſet, in pace Eccleſiæ & omnium communione vita functus, a plurimis poſt obitum illuſtribus viris impenſe celebrari meruit.

Decimum quintum eſt poſt ejus mortem, Placentiæ ſub Urbano II. habitum anno 1095. cui etiam Græcorum imperatoris legati interfuerunt.

Itaque ad illam uſque ætatem utraque Eccleſia cum græca tum latina, in eadem de præſentia reali corporis Chriſti in Euchariſtia fidem conſpirabat, adeo ut mirum non ſit, quod cum Berengarius aliam orbi chriſtiano doctrinam proponere cœpit, adverſus novitatem undequaque reclamatum ſit, & omnium ubique gentium conſenſio non ſolum ei ut

murus

murus aheneus opposita, sed etiam ab ejus asseclis agnita fuerit : quod unum certum esse potest & evidens fidei nostræ argumentum.

ARTICULUS II.

De Transsubstantiatione.

ABSOLUTA &, quantum fieri licuit, accurate expensa gravissima illa quæstione de præsentia Christi in Eucharistia, consequens est, ut breviter inquiramus an una cum corpore Christi panis ac vinum maneant post consecrationem in hoc sacramento, an consecratione vere mutentur in carnem & sanguinem ipsius, quam symbolorum substantiæ conversionem in substantiam corporis & sanguinis Christi Ecclesia aptissime *transsubstantiationem* vocat, idque a pluribus seculis : quod quidem nomen, quasi in tesseram fidei susceptum est ad omnes Berengarii assectarum fraudes & artes occupandas elidendasque ; eodem jure quo olim vocabulum ὁμούσιον in concilio Nicæno contra Arianos, & *Deiparæ* contra Nestorianos in synodo Ephesina sancitum est.

Duplici autem ratione cogitari posset una cum corpore Christi panis manere : 1. ita ut panis & corpus Christi secum invicem in hoc sacramento simpliciter consistant, quod proprie *consubstantiatio* dicitur : 2. ita ut panis hypostatice cum Verbo conjungatur, fiatque eodem modo corpus Christi, quod proprie *impanatio* appellatur.

ASSERTIO.

SYMBOLA consecratione transsubstantiantur in corpus & sanguinem Christi.

PROBATUR 1. ex Scripturis. *Supra* enim demonstravimus verba Christi, dum dicit de pane, *Hoc est corpus meum*, esse proprie intelligenda. At panis esse non potest proprie corpus Christi, nisi in illud mutetur.

Verba itaque Christi consubstantiationem & impanationem simul perimunt, astruunt omnino transsubstantiationem.

Consubstantiationem omnem excludunt. Ex eo enim quod duo simul eodem in loco existant, non sequitur eorum unum esse alterum, & unum de altero posse affirmari. Quis enim dicat animam esse corpus, aut lapidem esse Deum, quia Deus in lapide est & anima in corpore?

NEQUE est quod Lutherani respondeant rem contentam de continente dici, ut cum pateram demonstramus, asserimusque illam esse vinum.

NAM quod de signo observavimus, illud quoque hic locum habet, ut res contenta de continente non affirmetur, nisi ubi usus invaluit & res auditoribus perspecta est. Quis enim v. g. de arca, in qua forte lateret homo, pronunciaret esse hominem.

Nec

Nec minus aperte excludunt verba Christi impanationem. Non enim dixit duntaxat Christus, *Hoc est corpus meum*, sed addidit, *quod pro vobis tradetur* : & Joannis cap. 6. *Panis quem ego dabo*, *caro mea est*, *quam ego dabo pro mundi vita*. At panis assumptus a Verbo posset quidem aliquatenus nuncupari corpus Christi, non autem caro Christi, aut corpus Christi traditum pro nobis ad mortem : non enim cruci affixus est panis.

Neque reponi potest, ubi hypostatica conjunctio est, ibi esse idiomatum, ut ajunt, communicationem.

Nam illa nominum communio, etiam in illo casu, pertinet ad solum subjectum & suppositum, quod commune & idem est, non autem ad ipsas partes, quæ inter se distinctæ de se affirmari non possunt : sic homo in Christo idem quoque *Deus* appellatur; sed humana natura *divinitas* non dicitur, etsi cum ea ut in unam personam coalescat, panis autem naturæ peculiaris & partis in Christo locum sortiretur.

His certe Christi vocibus, si proprie accipiendæ sint, transsubstantiationem clarissime exprimi confessi sunt inter hæreticos Zuinglius, Calvinus, Beza & Hospinianus. Sic ab adversariis testimonium sumere possumus : cum enim in Eucharistia statuamus, 1. quod sit vere corpus Christi, 2. quod ibi sit per transsubstantiationem : 1. longe esse evidentissimum ex Christi verbis adversus Calvinianos prædicat Lutherus : 2. posita præsentia corporis Christi non minus clarum esse adversus Lutheranos clamat Calvinus. Ita dum sese invicem destruunt, nostram astruunt fidem.

Probatur 2. ex Patribus Græcis ac Latinis ad nonum usque seculum. Sic Tertullianus ait, quod Christus " acceptum panem fecerit " corpus suum : " Cyrillus Hierosolymitanus, " quod post consecrationem non sit amplius panis & vinum; quod vinum in sanguinem " transmutetur ut in nuptiis olim aqua in vinum mutata est. " Gregorius Nyssenus quod Christus " naturas eorum quæ videntur transelementet, eodem modo quo dum viveret cibos convertebat in carnem " suam. " Gaudentius Brixiensis *tract.* 2. *in Exod.* quod " qui de aqua " vinum fecit, de vino sanguinem suum faciat. " Ambrosius quod " " benedictione naturæ ipsæ mutentur " Chrysostomus quod " non sit " fidendum sensibus qui renunciant adhuc esse panem & vinum post " consecrationem ; & quod nos ministrorum locum teneamus, Christus " autem ipse sit, qui proposita immutet. " Theodoretus quod " symbola ante invocationem Spiritus sancti alia sint, nempe panis & vinum ; post consecrationem autem mutentur & alia fiant, " nempe corpus & sanguis Christi. Cæsarius Arelatensis quod " ante invocationem sancti numinis substantia illic sit panis & vini, post verba autem Christi corpus & sanguis ejus. " Sic & alii quos *supra* laudavimus. Itaque Patres illi Eucharistiam non tantum esse corpus Christi, sed & corpus Christi fieri mutatione symbolorum affirmant : mutationem

nem autem illam esse penes substantiam. Cyrillum præsertim & Ambrosium vide.

Jam vero Ignatius, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus & alii affirmant illud idem corpus esse quod de virgine natum, & in cruce suffixum : quo insuper funditus impanatio evertitur.

Probatur 3. testimoniis Græcorum a IX. seculo, Nicephori videlicet Constantinopolitani, Theodori Grapti *supra*, Theodori Abucara *opusculo* 22. Metaphrastis *in vita Arsenii, Theophylacti in Matth. cap.* 26. Euthymii *cap.* 64. *in Matth.* Nicolai Cabasilæ *in expositione liturgiæ cap.* 32. Simeonis Thessalonicensis apud Arcudium *lib.* 3. *cap.* 10. *&* 11. &c.

Probatur 4. auctoritate Latinorum ab eodem tempore:

1. Paschasii *lib. de corpore & sanguine Domini cap.* 1.
2. Pauli Diaconi in libello *de vita S. Gregorii Papæ.*
3. Haymonis Halberstatensis, *supra.*
4. Raterii Veronensis.
5. Synodi Romanæ sub Leone IX.
6. Concilii Vercellensis.
7. Synodi Romanæ sub Nicolao II.
8. Synodi Romanæ sub Gregorio VII.
9. Concilii Placentini sub Victore II.
10. Guitmundi & Algeri, qui notant cum Berengarius erupit, visam esse novitatem quod aliqui dicerent panem remanere post consecrationem, aut a Verbo in unam personam assumi.
11. Stephani Eduensis, qui circa initium XII. seculi *de sacramento altaris cap.* 13. " Oramus, inquit, ut cibus hominum fiat cibus angelorum, scilicet ut oblatio panis & vini transsubstantietur in corpus & sanguinem Christi.

Probatur 5. decretis conciliorum.

Ac 1. quidem Lateranensis sub Innocentio IIII. in quo definitum est " verum Christi corpus & sanguinem in sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter contineri, transsubstantiatis pane in corpus, vino in sanguinem.

2. Tridentini *sessione* 13. *canone* 2. sic statuentis : " Si quis negaverit mirabilem illam & singularem totius substantiæ panis in corpus, & vini in sanguinem manentibus dumtaxat speciebus panis & vini, quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime *transsubstantiantionem* appellat, anathema sit.

Probatur 6. omnium Ecclesiarum tam orientalium quam occidentalium consensu : de Occidentalibus constat : de Orientalibus autem consule Gennadium Constantinopolitanum *in opusculis nuper excusis ;* Simeonem Thessalonicensem ; Græcos Venetos *ad quæstiones Cardinalis Guisiani ;* Jeremiam Constantinopolitanum patriarcham, *in responsis ad Theologos Wittembergenses Lutheranos* ; Gabrielem Philadelphiensem *in apologia pro Ecclesia orientali* ; Metrophanem *in confessione fidei ;* Cate-

chis-

chismum anno 1635. in Græcorum schismaticorum gratiam typis mandatum Venetiis; synodum Constantinopolitanam anno 1638. de qua lege Allatium; Meletium Syrigam *in opere contra Cyrillum Lucarium*, Agapium montis qui Athos dicitur monachum *in libro de salute peccatorum*; Michaelem Certasium *de dignitate sacerdotum*; confessionem orthodoxam Ecclesiæ orientalis ab omnibus probatam patriarchis; Domnum Cretensem *in responsis ad Claudium*, & alios de quibus auctor perpetuitatis *tomo* 3. *lib.* 8. Simonius *in variis opusculis*, & Renaudotius, cum *in vindiciis perpetuitatis fidei*, tum *in opusculis nuper editis*.

Quæres 1. quid sit transsubstantiatio.

Respondeo eam esse conversionem totius substantiæ symbolorum in corpus & sanguinem Christi.

Jam vero de illius conversionis natura disceptatur in scholis, aliis eam esse actionem volentibus, qua aliquid efficiatur, aliis non ita.

1. Itaque Vasquesius censet transsubstantiationem non esse actionem qua aut panis destruatur aut producatur corpus Christi, sed relationem quamdam ordinis, ut ipse loquitur, inter substantiam quæ desinit, & eam in quam desinere dicitur, fundatam in illius destructione & hujus adductione, seu denominationem quamdam extrinsecam qua panis dicitur conversus & corpus Christi succedens pani vi verborum.

2. Scotus & alii sentiunt esse actionem, quæ novam tantum ubicationem corporis Christi efficiat, pane quidem annihilato, corpore autem Christi in illius locum adducto, unde & eam *adductionem* vocat.

3. Valentia & alii bene multi a Scoto abeuntes, sed non satis consentientes secum invicem, opinantur transsubstantiationem nihil aliud esse quam actionem qua corpus Christi conjugatur cum speciebus, eo fere modo (citra imperfectionem tamen) quo ante substantia panis, ita ut terminus hujus actionis sit unio corporis Christi cum speciebus, quam dicunt alii esse effectivam, alii attractivam, alii formalem.

4. Suares & alii qui eum affectantur, asserunt conversionem illam esse novam quamdam & iteratam ejusdem Christi corporis productionem eo in loco, & iis sub speciebus sub quibus erat ante panis.

5. Alii simplicius ajunt esse actionem qua Deus ad verba sacerdotis consecrantis omnem panis substantiam destruit, & corpus Christi in illius locum sub eadem specie sufficit: in qua postremo opinione acquiescimus.

Quæres 2. quis sit effectus transsubstantiationis quod panem.

Respondeo 1. juxta omnes theologos esse conversionem totius substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi, remanentibus speciebus panis & vini.

Respondeo 2. plures alias olim extitisse ea de re sententias.

Prima est Durandi, qui *in* 4. *sentent. dist.* 11. *quæst.* 3. statuit solam formam panis transsubstantiatione destrui, atque adeo censet transsubstantiationem esse tantum conversionem formæ panis in formam corporis Chri-

Christi, manente eadem materia & integra accidentium congerie utrique communi, eadem fere ratione qua cibus vertitur in hominis carnem.

Secunda est quorundam aliorum, quorum nomine non appellato, mentionem faciunt, Hildebrandus *commentario manuscripto in Matth.* & *hic* S. Thomas 3. *parte quæst.* 75. *art.* 6. Hi porro sentiebant panis materiam mutari; sed volebant formam ejus substantialem cum omnibus accidentibus manere. Major & Gabriel formam quoque istam manere asserunt, sed hi a prioribus discrepant, quod istam formam panis non substantialem, sed accidentalem esse arbitrentur.

Tertia Godefredi *quodlib.* 8. *quæst.* 17. & Dominici Bannez qui destructa essentia panis crediderunt superesse ejus existentiam ac forte subsistentiam, quæ omnem accidentium molem sustineant.

Quarta Cajetani qui a plerisque putatur censuisse *hic quæst.* 75. *art.* 8. quod in transsubstantiatione entitas in specie infima panis remaneat, quæ fiat corpus Christi: de quo Scotum & Vasquesium vide.

Quinta Innocentii III. qui transsubstantiationem in concilio Lateranensi definivit. Idem *lib.* 4. *de mysteriis missæ cap.* 7. ait non solum accidentales, sed etiam naturales proprietates videri remanere, paneitatem quæ saturando famem pellit, & vineitatem quæ satiando pellit sitim.

Sexta aliorum qui existimarunt transsubstantiationis effectum esse solummodo relationem panis ad Christum, qua fieret ut panis corpus Christi diceretur, licet tota ejus substantia remaneret. Ita censuit olim Joannes Parisiensis, cujus placita jamdudum exposuimus. Ad eam accesserunt ætate nostra Cartesiani complures, præsertim vero D. Cali, cujus sententia damnata est ab episcopo Bajocensi.

Septima denique his omnibus plane opposita non solum definit totam panis ac vini substantiam in corpus & sanguinem Christi converti, sed ne quidem ipsa accidentia remanere. De his Alanus magnus de insulis contra Valdenses, & Algerus *de sacramento corporis & sanguinis Domini lib.* 1. *cap.* 7. *tomo* 6. *bibl. Patrum*. In eadem sententia erant Græci, quorum responsa ad Cardinalem Guisianum nuper laudavimus: negant enim illi panis substantiam & accidentia post consecrationem superesse. Atque id non infrequens esse apud eos testatur Simonius *ad Gabrielem*. Eamdem sententiam amplectuntur non pauci recentiores philosophi.

ARTICULUS III.

De speciebus Eucharisticis.

QUANDOQUIDEM ex dictis certum est consecrationis vi totam panis ac vini substantiam converti in substantiam corporis & sanguinis Christi, & eædem nihilominus panis & vini species remaneant, quid illæ sint paucis inquirendum est.

Antiqua

Antiqua porro & communis sententia est hujusmodi species esse accidentia panis ac vini, quantitatem nempe & qualitatem, quæ destructa eorum substantia supersint, ut pote ab ea ex sese reipsa distinctæ. Sed quia accidentium ea natura est, ut alicui subjecto inhæreant eoque sustententur, gravis inde difficultas orta est, an illa eucharistica accidentia in subjecto quopiam & in quo consisterent: qua de re variæ apud theologos opiniones extitere.

1. Nonnulli id ignorare se confessi sunt. Guillelmus S. Theodorici contra Abaelardum *cap.* 9. *tomo* 4. *biblioth. Cisterciensis*, dubitat an accidentia illa maneant & in quo consistant: censet tamen probabilius ea inesse oportere corpori Christi, si superesse dicenda sint. Auctor *commentarii in Boetii opus de Trinitate* apud Bedam, ambigit an ea sint in aere vel sine substantia. Id in dubio quoque relinquere videtur Albertus Magnus *de Eucharistia dist.* 3. *tract.* 3. *cap.* 10.

2. Petrus Blesensis, Magister sententiarum *libro* 4. *dist.* 12. Joannes de Ragusio in oratione *de communione sub utraque specie*, in concilio Basileensi, putant accidentia illa dicenda esse sine subjecto existere. Atque hæc fuit tam vulgaris olim loquendi ratio, ut cum impio sensu id negasset Wiclefus, ejusmodi pronunciatum sine ulla explicatione damnatum sit in concilio Constantiensi *sess.* 8. sed contra plures consueverunt satius esse in subjecto quasi in sede quapiam accidentia ista collocentur: imo Guitmundus *libro* 1. " Si aliquid sunt, inquit, in subje„ cto sunt.

At de hoc iterum subjecto non minus secum invicem illi certant.

3. Enim Abaelardus, teste Bernardo *epist.* 190. *ad Innocentium II.* & Guillelmo S. Theodorici, qui hoc ei exprobrant, dicebat olim substantia panis & vini mutata in substantiam corporis & sanguinis Christi accidentia prioris substantiæ remanere in aere. Qui hanc opinionem ætate sua sequerentur commemorat Magister sententiarum *dist.* 12. Ab ea autem non procul abeunt auctor *commentarii in Bedam*, *supra*, & Albertus Magnus, qui videtur eo propendere ut accidentia secundum suum esse naturale destruantur, sed secundum suum esse intentionale in aere maneant.

4. Plurimi contra fuerunt qui ea accidentia in ipso Christi corpore posuerint, ita ut juxta illos quemadmodum panis ante consecrationem, ita fere Christi corpus post consecrationem dicatur videri, frangi & dentibus atteri. Hi autem sunt Guillelmus S. Theodorici *supra*, " Nobis, inquit, videtur, si vobis etiam videtur, quod accidentia illa si„ ve prioris forma substantiæ, quæ, ut puto, non nisi consonus in unum „ accidentium concursus est, si ibi est, in corpore Domini est, non for„ mans illud, sed virtute operantis in ea sapientiæ Dei aptans illud & „ modificans, ut secundum ritum mysterii & modum sacramenti habile „ fiat, & tractabile, & gustabile in forma aliena; quod non poterat „ esse in propria.

Guitmundus Aversanus *libro 3.* pugnans adversus Berengarianos, qui panem & vinum superesse ajebant, ut per panem & vinum caro Christi comedi & sanguis potari posset. " Sed ut quid hanc causam (afferunt) inquit? quare enim per se sine corporis alterius adjuncto caro " Domini non possit comedi & sanguis potari? Si enim carnis & sanguinis horrorem metuunt, cur non sufficit Ecclesiæ ratio per sanctum " Ambrosium respondentis rerum quidem mutari substantias, sed propter " horrorem priorem saporem, colorem & cætera accidentia ad sensus " duntaxat pertinentia retineri. Si vero respondent id non posse fieri ut " in alio videlicet corpore color & sapor alius corporis teneatur, divinam " possumus iis breviter objectare potentiam ... Ut tamen exemplis res " clareat, .. de manna legitur, quoniam ad nutum comedentis quorumlibet in eo ciborum continuo sapor alternabat, ... qui tunc multorum " corporum sapore mutato removebat fastidium, nunc unius corporis sapore retento tollit horrorem. De colore quoque & cæteris hujusmodi " accidentibus non est difficilis ratio, cum ipse Dominus se per diversas " legatur species discipulis demonstrasse..... Quid si ad alias causas refugiunt ... quia videlicet nefas sit Christum dentibus atteri, nefas sit illum dentibus minui, ... licet id videatur fieri, has sufficienter evacuavimus: nam qui post resurrectionem manibus & labiis potuit attrectari, " & dentibus etiam potest: Eucharistia vero si Christo quidem non placet ut corpus suum sine aliquo ipsius incommodo dividatur, exemplo " vocis & animæ, que totæ in diversis locis esse possunt, in comedendo " negavimus minui: licet id videatur fieri ... Vanissime ergo nefas illud " attrectandi scilicet dentibus, vel minuendi corpus Domini metuunt, " cum & ipsum corpus sit attrectabile & maneat indivisibile.

Ex Græcis recentioribus patriarcha Maronitarum *tomo 3. perpet. libro 8. cap. 16.* declarat in eumdem sensum mutata substantia panis & vini non mutari eorum accidentia ac species visibiles, sed in corpus & sanguinem Messiæ transferri.

Marcus Donus *in respons. ad interrogata Claudii Charenton. tomo 3. perpet. lib. 8. cap. 12.* postquam exemplo mannæ, cui omne genus ciborum saporis fuit & odoris qui extra rosas perseverat, statuit accidentia extra proprium subjectum posse existere, accidentia panis tandem reponi in corpore Christi. Quid mirum ergo, inquit, si panis odor in corpore Christi conservatur sine ejus substantia?

Eodem revocari possunt ac debent primo ii omnes ex antiquis probati scriptores, qui in Eucharistia corpus Christi corruptibile esse decreverunt. In id autem allegantur Isidorus, Anastasius Sinaita, Damascenus, Glycas & alii.

Deinde etiam illi, quibus olim placuit nullum esse in Eucharistia velum, ita ut ipsum corpus Christi non tantum crederetur intrinsecus, sed & extrinsecus videretur: contra quos scripsit Ratramnus, & ex quorum numero fuisse videtur Haymo Halberstatensis, de quo *supra ad Ratramnum*.

Deni-

Denique ii qui non solum in sacramento, sed & sensualiter; non tantum in figura, sed in veritate ipsum corpus Christi videri, tangi, frangi ac dentibus atteri definierunt: scilicet

Patres concilii Romani sub Nicolao II. anno 1059. in quo Berengarius confiteri jussus est verum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi sensualiter non solum sacramento, sed in veritate manibus sacerdotum tractari & frangi, & fidelium dentibus atteri.

Plures eadem ætate theologi apud Lombardum *libro* 4. *sent. dist.* 12. „ Alii tradunt, inquit, corpus Christi essentialiter frangi & dividi, & „ tamen integrum & incorruptibile existere." Ii autem nitebantur hoc modo memorata fidei formula præscripta Berengario. De his quoque theologis mentionem facit Petrus Pictaviensis *sentent. cap.* 12.

Abbaudus abbas in tractatu *de fractione corporis Christi*, *tomo* 3. *analect.* Mabillonii, ubi non tantum conceptis verbis asserit albedinem & rotunditatem ab ipso corpore quod vel album vel rotundum est separari non posse, ita ut ab ipso non fracto hæc per se singulariter non frangantur; sed & totis viribus dimicat adversus eos, qui fractionem corporis Christi in species solas, non in ipsum Christi corpus refunderent.

Valterius abbas Victorinus apud Parisios, in eodem quo Abbaudus argumento versatus, adversus Abaelardum, qui species quidem frangi, non ipsum Christi corpus asserebat, in eum ut eo nomine hæreticum invehitur. Vide Mabillonium.

Odo Cameracensis *in expositione canonis distinct.* 3. *tomo* 6. *biblioth. Patrum*, " Nos quotidie, inquit, Christum in altari consumimus, & „ permanet; atterimus dentibus, & integer est; consumimus autem, „ manducamus, & atterimus, non tantum specie, sed & re; non solum forma, sed & substantia; & miro modo consumitur permanens, „ atteritur incorruptus, distribuitur indivisus, sicut post resurrectionem „ palpandum præbuit spiritale corpus.

Atque hæc fuere inter veteres de eo capite divortia doctrinarum.

Jam ut ad eos veniamus qui novam philosophandi viam aperuerunt ac sequuntur, ii cum ex una parte materiam corporum ab eorum magnitudine nullatenus esse secernendam nullaque esse agnoscenda in iis accidentia solida & absoluta, a materia distincta, demonstrare sibi viderentur; ex alia autem parte fides doceat in Eucharistia non superesse facta consecratione panem, cujus tamen eadem semper magnitudo, eadem quoque conformatio apparet, in hoc veluti fidei ac rationis conflictu æstuantes, ut hunc nodum expedirent, dixerunt vel panem non destrui, sed tantum converti in corpus Christi, ut nuper observavimus, vel si destruatur, omni ex parte destrui, ita ut nihil ejus supersit nisi sola species quam præstat aut ipsum Christi corpus, aut Deus.

Qui sentiunt a corpore Christi oriri quod eodem semper modo sensus nostri afficiantur, ii notant omnes sensuum nostrorum motus a superficie corporum & aere ambiente proficisci: unde sequitur easdem esse

debere has impressiones sensuum, quando eadem semper corporum superficies manet; at facta consecratione, licet nihil panis restet, eadem semper superficies perseverat. 1. Enim idem aer circumfusus est. 2. Si quæ in parvis panis foraminibus delitescant corpuscula, ea etiam manent immutata: denique panis totus convertitur in corpus Christi, neque ulla pars in pane est, sive prominens, sive depressa, sive levis, sive aspera, sive rotunda, quæ in corpus Christi non mutetur, ita ut corpus Christi eamdem præcise superficiem obtineat & eumdem locum occupet, ex quo consequens est easdem semper species apparere oportere, quia eodem modo, quo ante, sensus nostri pulsantur.

Atque hæc explicandi ratio affinis est admodum isti antiquorum opinioni, qui accidentia panis in corpore Christi posuerunt, & qui asserere non dubitarunt corpus ipsum Christi videri, frangi, dentibus atteri.

Quidquid sit, alii malunt totum illud refundere in Deum ipsum, qui cum omnia pro arbitrio possit, per se efficiat ut semper eadem ratione sensus nostri feriantur ac moveantur qua prius: quo semel constituto necesse est, ut eædem facta consecratione species supersint: hi autem postremi in eo cum prioribus consentiunt, quod corpus Christi in Eucharistia sit non sine aliqua vera magnitudine, & quod nihil omnino ex pane residui sit, quæ duo præcipua sunt istius doctrinæ capita.

Jam vero ut ea firment, observari volunt,

1. Nomen *accidentis* in hoc negotio recens esse & XI. circiter seculo in Ecclesiam fuisse inductum: 2. nomen contra *specierum* (quod satis arguit nihil e pane solidi superesse) longe antiquius esse ac probatius: illud enim usurpatum fuisse a Cyrillo Hierosolymitano, Gregorio magno, Theophylacto & aliis. Illud idem præsertim a Græcis adhiberi, ut videre est in confessione orthodoxa orientalis Ecclesiæ *quæstione* 106. & in variis eorum testimoniis *tomo* 3. *perpet*. Quod autem est omni exceptione majus & observatione dignissimum, vocabulum istud, omisso nomine *accidentis*, quod erat vulgatissimum, ut longe aptius sancitum fuit in synodis Lateranensi, Constantiensi, Basileensi, Florentina, ac denique Tridentina. Quin etiam animadvertunt in uno capite *sessionis* 13. hujus concilii, eoque brevissimo, *specierum* vocem novies occurrere, alio penitus prætermisso. Quis autem, ajunt, putet id temere factum? 3. Id fieri posse, quod statuimus, inquiunt, ipsemet agnoscit S. Thomas 1. *parte*, *quæst.* 105. *art.* 2. ubi sic habet. " Erroneum est dicere „ Deum non posse facere per se ipsum omnes determinatos effectus, „ qui fiunt per quamcunque causam creatam: unde cum corpora mo„ veantur immediate a causis creatis, nulli debet venire in dubium, quin „ Deus possit movere immediate quodcunque corpus. " 4. Addunt S. Thomam insuper confiteri id etiam aliquando contigisse in Eucharistiæ sacramento: nempe 3. *parte*, *quæst.* 76. *art.* 8. explicans modum quo aliquando in Eucharistia apparuisse dicitur caro vel sanguis vel puer, ait quod ex parte videntium, oculi immutantur tali immutatione ac si expresse viderent

exte-

exterius carnem vel sanguinem vel puerum; nulla tamen immutatione facta ex parte sacramenti. 5. Subjungunt id insolens non esse, plurimaque afferri posse ejusmodi specierum exempla; sic apud Lucam dum baptizaretur Christus, *descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum*: erat autem duntaxat columbæ species, inquiunt. Sic Christus redivivus Marci 16. *duobus discipulis ostensus est in alia effigie*: Lucæ autem 25. *Oculi autem eorum tenebantur ne eum agnoscerent.* Sic *Joannis* 20. Magdalenæ apparuit sub specie hortulani. Sic denique manna *Exodi* 16. & *Sapientiæ* 16. omnium ciborum præstabat veritatem. Ista porro omnia ac singula non corporibus ipsis, sed a Deo vices corporum supplente efficiebantur. Quidni ergo idem hic præstetur? 6. Plurium theologorum patrocinio societateque se muniunt. Prædicant enim secum consentire Arriagam & Grimoaldum & Casimirum, & qui eos non eruditione minus quam dignitate superat illustrissimum episcopum Meldensem *in expositione doctrinæ Christianæ*, a summo pontifice, pluribus cardinalibus, innumerisque theologis ac doctoribus probata.

Sed opponuntur iis plura, eaque gravissima.

Primum est, quod synodus Constantiensis *sess.* 8. confixerit hanc Wiclefi propositionem: " In Eucharistia non manent accidentia sine subjecto. " Ergo id ad fidem pertinet.

Ut autem omni cavillationi locus præcludatur, Thomas Valdensis testatur Wiclefum idem docuisse quod recentiores philosophi sciscunt, nempe accidentia a substantia non distingui: adjicit autem fidei hoc esse decretum, quod accidentia maneant sine subjecto.

Secundum, quod nobis illuderet Deus, si panem, qui revera non est, ostentare non desisteret.

Tertium, quod sensus saltem in errorem inducerentur.

Quartum quod citra ullam necessitatem continuum ac juge prodigium invehatur, dum Deus per se sensus nostros indesinenter movet.

Quintum, quod fidei ratio postulet, 1. ut absque ulla magnitudine atque in uno eodemque indiviso loci puncto totus esse Christus censeatur in Eucharistiæ sacramento: 2. ut illius corporis omnes partes sibi invicem sint penetrabiles: 3. ut totum corpus sit in tota hostia & totum in singulis ejus partibus, etiam ante omnem separationem, more spirituum.

Respondent ad singula.

Ad primum quod Wiclefi pronunciatum damnatum sit duntaxat ad ejus mentem, qui ideo negabat in Eucharistia accidentia manere sine subjecto, quia contendebat subjectum ipsum manere cum suis accidentibus. Sententia igitur cadit in subjectum, quod prædicabatur superesse; non præcise in accidentia: id autem constat testimonio Petri de Alliaco, qui concilio interfuit & magna pars illius extitit. Ipse enim *in* 4. *dist.* 6. *art.* 3. diserte notat eorum opinionem non fuisse tunc proscriptam, qui dicerent nec accidentia, nec subjectum remanere. Id

insuper liquet ex articulis de quibus interrogari jubet Martinus V. Wiclefistas *quæst.* 45. de pane enim tantum loquitur an supersit, non de accidentibus.

Ad Valdensem idem dicas: non enim propter primum caput Wiclefus confossus est, sed propter secundum. Adde quod ille Valdensis longe minoris sit in hoc negotio, quam Petrus de Alliaco auctoritatis, quippe qui in synodo fuerit.

Ad secundum, quod Deus ibi præstigias non agat, quia nos monet per se & per Ecclesiam quod panis non sit post consecrationem.

Ad tertium quod sensus non decipiantur, imo nec errori occasionem præbeant. Sensuum enim est tantum renunciare animæ, quod moveantur. At illud est verissimum. A quo autem moveantur, animi est judicare. Animus porro non fallitur, quia admonetur.

Ad quartum ajunt quod Deus sine ullo corporum interventu sensuum nostrorum organa per se moveat, id non esse prodigium, sed prodigii potius insuetatam cessationem: in eo enim potius mirabile prodigium esse quod corpora adhibeat ut in animis motum creet.

Ad quintum hæc tria esse scholarum arbitraria placita, non dogmata fidei. Non 1. quia nihil obstat quominus Christus in Eucharistia habere putetur corporum cæterorum ritu aliquam magnitudinem: quod autem non tantam quantam in cœlo, nihil ejus interesse: certum enim magnitudinis modum non requiri necessario ad corpus humanum, cum idem sit corpus hominis, dum primo formatur & postquam adolevit. Non 2. quia nihil absurdius videtur, quam si fingas corporis Christi partes, caput, collum, & reliquas extra se invicem esse, & tamen se se invicem permeare. Non 3. quia synodus Tridentina exigit duntaxat *canone* 3. ut Christus credatur esse sub singulis cujusque speciei partibus separatione facta: & ita loquuntur antiqui. Hæc illi.

QUÆSTIO TERTIA.

De materia Eucharistiæ.

IN pane ac vino Christus Eucharistiam instituit *Matthæi* 28. *Marci* 14. *Lucæ* 22. *Pauli* 1. *ad Corinth. cap.* 11.

Hæc autem duo ad Eucharistiam duobus præsertim de causis elegit: 1. ut specie cibi ac potus corporalis ostenderet hoc sacramentum esse in refectionem spiritualem animorum: 2. ut sub imagine panis ac vini, quæ ex multis in unum redactis conflantur, aperte designaret nos sacra communione corporis sui ita colligari, ut unus panis, unum corpus multi simus, omnes qui de uno pane participamus.

De

De pane ac vino quoniam propriis ac sibi peculiaribus difficultatibus implicantur seorsim agemus.

ARTICULUS I.

De Pane.

QUINQUE possunt hic in disceptationem venire. Primum est, de panis ad Eucharistiam conficiendam necessitate. Secundum de panis ad id requisiti natura & specie. Tertium de ejus quantitate: Quartum de præsentia: Quintum de ejus qualitate.

Quatuor priora capita, quia levia sunt, perstringemus paucis, ut in ultimo paulisper hæreamus.

DICO itaque

AD primum, panem esse Eucharistiæ materiam, non tantum legitimam, sed etiam necessariam.

Quod sit materia legitima ex eo liquet, quod panem ad hoc sacramentum conficiendum Christus adhibuerit.

Quod sit vero materia necessaria ex eo colligitur quod Christus *Lucæ* 22. *v.* 19. præceperit ut illud idem faciamus quod ipse fecit: nostri porro arbitrii non esse rebus quibuslibet, sed Dei solius, rebus quas voluerit præscribere, suam gratiam alligare. Et vero Ecclesia in solo pane adhibendo constans ubique sibi hactenus fuit, & veteres hæreticos perinde ac novos semper abominata est, qui aliud substituere sibi fas esse crediderunt. De antiquis hæreticis quam multa nefanda & cogitatu horrenda ad Eucharistiam celebrandam usurparent dicere pudor vetat. Qui has sordes colligere voluerit, adeat historiam ecclesiasticam priorum seculorum.

AD secundum 1. Cajetanum statuere, quod quilibet panis ex quibusvis granis confectus, ad Eucharistiam sit legitimus.

2. S. Thomæ 3. *parte*, *quæst.* 74. *art.* 3. *ad* 2. placuisse, quod panis siligineus ad id quoque idoneus sit, quia ex tritico oritur siligo, nec diversæ esse speciei videtur.

3. Cæteros vulgo theologos in eo concordare, quod triticeus panis sit necessarius, idque esse traditum ab Eugenio IV. post Concilium Florentinum *in decreto*. Profecto isto pane usum esse Christum in Eucharistia instituenda juxta Judæorum consuetudinem verosimilimum est. Eo autem usam esse semper Ecclesiam constat: unde negari saltem non potest hanc sententiam multo esse altera probabiliorem. At cum in omni casu, tum ubi potissimum de sacramentis agitur, tutissimam simul ac probabilissimam opinionem esse amplectendam non tantum tutum est ac probabile, sed etiam certum: atque adeo nemini fas est aliter agere.

AD tertium 1. Panem, qui consecrandus venit, debere esse ejus magnitu-

gnitudinis, quæ sensibus percipiatur, quia Eucharistia sacramentum est : sacramentum autem quodlibet est signum sensibile divinæ gratiæ. 2. Non esse fixam nec certam panis quantitatem quæ in altari consecrari possit : atque illud diserte affirmat S. Thomas *art.* 2. " Ratio, inquit, „ determinationis materiæ sumitur ex ordine ad finem .... Finis au„ tem hujus sacramenti est usus fidelium qui nunc occurrunt : unde re„ linquitur quod materia hujus sacramenti determinetur per compara„ tionem ad usum fidelium absolute. Numerus autem fidelium est in„ determinatus : unde non potest dici quod quantitas materiæ hujus sa„ cramenti sit determinata.

Notandum est tamen nonnullos olim dubitasse an extra has publici ministerii partes sacerdos possit pro libitu, quantum voluerit panis, v. g. transiens per forum, quidquid in eo panis est, consecrare, idque propter rationem ipsam a D. Thoma modo allatam, de fine ob quem Eucharistia instituta est, quamvis ipse repugnare videatur : neque nostra ætate defuerunt, qui negantem sententiam amplexi fuerint.

3. Eam tantum panis quantitatem fas esse sacerdoti consecrare, quam prudenter judicaverit a fidelibus absumendam, antequam panis species computrescant : alias enim corpus Christi venerandum injuriæ exponeret; quod sine gravi sacrilegio fieri temere non posse nemo est qui non perspiciat.

Ea de causa sacramenti reliquias in oriente quondam & occidente mos fuit pueris jejunis & innocentibus erogare, ut liquet ex Evagrio *lib.* 4. *cap.* 35. ubi cujusdam pueri Hebræi historiam refert, qui a patre ob id in fornacem conjectus, in ea per triduum illæsus remansit, & ex Nicephoro, qui se, cum puer adhuc esset, id sæpe sæpius factitasse narrat. Accedit concilium Matisconense anno 588. quod *can.* 6. illud sanxit.

AD IV. 1. Præsentem esse oportere panem quem consecrare volueris. Non enim alioqui verum esset, quod pronunciaret sacerdos. Ait namque nomine Christi, *Hoc est corpus meum*. At pronomen *hoc* rem præsentem significat & ostendit. 2. Satis tamen esse si panis consecrandus præsto sit moraliter, hoc est si viri prudentis judicio præsens esse censeatur : sic hostia sub aliis latitans consecrari potest, licet non videatur, quia omnes hostiæ instar unius cujusdam totius habentur, quod ante prospectum est sacerdotis : propter eamdem rationem hostia pixide inclusa & in altari posita creditur posse consecrari, quia illa est ante oculos; non autem ea quæ tabernaculo concluditur, quia illud est veluti locus ab altari distinctus. His breviter enucleatis restat disputandum de panis qualitate, nempe an 1. quilibet panis seu azymus seu fermentatus perinde generatim adhiberi queat; 2. an uterque ex æquo conveniat; 3. an utroque singuli tam Latini quam Græci promiscue possint uti; 4. uter sit ab omni ævo in utraque Ecclesia usurpatus.

A S-

ASSERTIO I.

Azymus ſit an fermentatus panis, nihil intereſt Euchariſtiæ ſacramenti,

Eſt illa aſſertio adverſus quoſdam Græculos recentiores, qui ſuo in Eccleſiam Romanam odio abrepti, eo uſque proceſſerunt, ut pani azymi conſecrationem irritam eſſe decernerent.

Probatur 1. univerſe, quia nempe ad Euchariſtiam ſufficit panis triticeus.

Probatur 2. ſpeciatim de fermentato, quia omnes Eccleſiæ in eo conſentiunt quod rite ad hoc ſacramentum admitti poſſit; orientales quidem ipſum uſurpando, occidentales autem non improbando.

Probatur 3. pariter de azymo. Eo enim Chriſtus eſt uſus in Euchariſtia inſtituenda, quippe cum paſcha celebraretur, nec alios panes quam azymos comedi tunc fas eſſet.

ASSERTIO II.

Convenientior eſt panis azymus ad Euchariſtiam conficiendam quam fermentatus.

Probatur. Is panis convenientior multo eſt cenſendus quam alter. qui & exemplo Chriſti & momentis longe pluribus ac gravioribus innititur. Atqui panis azymus 1. quidem in exemplo ac facto Chriſti fundatur: 2. etiam pluribus rationibus fulcitur. Nihil enim Chriſtianis antiquius eſſe debet, quam ut facta Chriſti imitentur. Deinde vero is panis aptiſſime ſignificat tum ſummam Chriſti qui offertur puritatem ac ſanctimoniam, tum eximiam animi munditiam, quæ ad tremendi hujus myſterii celebrationem ac ſuſceptionem requiritur, juxta illud apoſtoli 1. Cor. 5. *Epulemur non in fermento veteri, ... ſed in azymis ſinceritatis & veritatis*. Denique azymus panis longe melius exprimit incarnationis myſterium. Ut enim azymus panis eſt quoddam panis genus ſine ulla corruptionis admixtione ex grano frumenti & lympida aqua per ignem præparatum; ſic Chriſtus anima eſt & corpus, quæ citra ſolita humanæ originis contagia, Verbum Dei mediante ſuæ divinitatis calore tanquam igne ſibi conſtrinxit & conſolidavit. His ferme verbis & rationibus Latinorum cauſam defendit Humbertus cardinalis.

ASSERTIO III.

Sua cuique Græcorum & Latinorum conſuetudo ſervanda eſt, tam in propriis quam in aliorum eccleſiis.

Probatur ex ſynodo Florentina, in qua poſtquam ingenti animorum æſtu de eo diſceptatum eſſet, id tandem definitum eſt.

ASSER-

ASSERTIO IV.

Primis Ecclesiæ seculis sine ullo discrimine usurpatus fuisse videtur in Eucharistia celebranda panis azymus aut fermentatus.

Probatur ex multis antiquitatis monumentis, quæ profert cardinalis Bona in suo *de Liturgiis* opere: sic enim v. g. Justinus martyr *ad finem apologiæ* 2. & Irenæus *lib.* 4. *cap.* 34. panem offerri solitum *panem vulgarem ac communem* vocant; communis autem ac *vulgaris* dicitur, non solum quatenus consecrato opponitur, sed quia reipsa talis erat, qualis in cibum vulgo adhibebatur. Usitata enim apud gentiles notione loquuntur. At uterque panis, azymus scilicet & fermentatus, in cibum adhibebatur, ut constat ex Cornelio Celso, & Plinio & Galeno. Sic etiam Origenes *ad Matth. cap.* 16. satis indicat aliquando panem fermentatum, aliquando azymum usurpatum fuisse.

ASSERTIO V.

Græci IV. & V. seculo fermentatum solum passim consecrabant.

Probatur 1. testimonio Epiphanii qui *heresi* 30. in Ebionitis ut peculiare quoddam observat, quod azymis uterentur.

Probatur 2. auctoritate Liturgiarum Basilii, Chrysostomi & aliorum, quæ panem fermentatum satis aperte describunt.

ASSERTIO VI.

Seculo VI. jam ubique apud Græcos mos invaluerat, ut non nisi fermentatus panis offerretur ad sacrum.

Probatur 1. ex Philopono, qui eo circiter tempore librum conscripsit de paschate, in quo statuit Christum ante legitimum paschatis tempus Eucharistiam instituisse, quia alias azymum consecrasset. At si azymum consecrasset, hoc etiamnunc, inquit, fieret.

Probatur 2. ex eo quod Armeni azymum panem in locum fermentati tunc suffecisse narrentur, & Græci de hujusmodi novitate conquesti sint. Vide S. Niconem *de pessima Armenorum religione* &c.

ASSERTIO VII.

Maronitæ azymis utuntur, quæ ab Ecclesia Romana circa finem seculi XII. susceperunt.

Probatur prima pars ex historia Maronitarum, de quibus vide Morinum *in præfatione ad ordinationes Maronitarum*, & cardinalem Bona.

Probatur secunda pars. Ut enim testatur Guillelmus Tyrius, & post eum

eum Jacobus de Vitriaco, cum hac ætate Ecclesiæ Romanæ sese subjecerunt; ejus traditiones sequi cœperunt, & in signum obedientiæ consuetudines, & ritus observare Latinorum.

ASSERTIO VIII.

Nihil est quod evincat in Ecclesia Latina solius azymi panis usum per septem priora secula viguisse.

PROBATUR, quia aut nulla sunt ac supposititia, quæ vulgo adducuntur, momenta, aut saltem admodum infirma.

ASSERTIO IX.

PLURIMA sunt quæ probant utriusque panis genus indiscriminatim fuisse his seculis apud Latinos usurpatum.

PROBATUR ex eo quod Eucharistia his temporibus confici soleret ex oblationibus fidelium, quarum etiam reliquiæ cedebant in usus sacerdotum ac pauperum, ut constat ex Ambrosio *lib. 4. de sacramentis cap. 4.* & aliis. Talis ergo panis in altari consecrabatur, qualis ab unoquoque offerebatur & vulgo comedebatur. At talis offerebatur qualis passim in domibus occurrebat, præsertim cum nulla lex esset, quæ fixisset panis speciem peculiarem.

ASSERTIO X.

FERMENTATUS panis vulgo tunc adhibebatur etiam a Latinis.

PROBATUR decretis pontificum quarti ac quinti seculi qui Eucharistiam per varias urbis Romæ ecclesias ad presbyteros ibi sacra facturos mitti a pontifice consuetam, *fermenti* nomine exprimunt. De Melchiade hæc in ejus vita leguntur: " Hic fecit ut oblationes con„ secratæ per ecclesias ex consecratu episcopi dirigerentur, quod de„ claratur fermentum. " De Syricio autem, " Hic constituit, ut „ nullus presbyter missas celebraret per hebdomadam, nisi consecra„ tum episcopi loci susciperet declaratum, quod nominatur fermentum. Innocentius vero *ad Decentium cap. 5.* " De fermento, inquit, „ quod die dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere „ voluisti, cum omnes ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ, „ quarum presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam no„ biscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confe„ ctum per acolythos accipiunt, ... quod per parochias fieri debere „ non puto, quia non longe portanda sunt sacramenta. " De Eucharistia „ enim illic agi ex argumento ipso ac verbis manifestum est. At nulla alia est probabilior *fermenti* appellationis ratio, quam quod illa ex fermento vulgo tunc conficeretur.

ASSER-

ASSERTIO XI.

Ante Photii tempora, hoc est ante annum Christi 866. azymi panis usus invaluerat in Ecclesia latina.

PROBATUR 1. ex Alcuino, qui vita excessit anno 794. Is enim *epist. 69.* scribens adversus quosdam in Hispania degentes, qui salem pani eucharistico admiscebant. " Tria sunt, inquit, quæ in sacri-„ ficio offerenda sunt, panis, aqua & vinum . . . . . Panis qui in „ Christi corpus consecratur, absque fermento ullius alterius infectio-„ nis, debet esse mundissimus: . . . . ex aqua & farina panis fit, qui „ consecratur in corpus Christi. " Nomine *infectionis*, sal non potest intelligi: ergo quodlibet fermentum ab Alcuino excluditur. Et vero enumerans ea e quibus fiebat ille panis eucharisticus recenset tantum aquam, & farinam.

PROBATUR 2. ex Rabano qui fato functus est anno 856. Is namque *lib. 1. de institutione clericorum cap. 31.* sic habet: " Panem infer-„ mentatum & vinum aqua mixtum in sacramento corporis Christi, & „ sanguinis sanctificari oportet. " *Capite* porro 33. monet se tradere ordinem missæ, quem Romana Ecclesia tenebat & per totum fere occidens omnes servabant Ecclesiæ.

ARTICULUS II.

De Vino.

QUinque hic disputabimus. Primum, an vinum sit Eucharistiæ materia: Secundum, an aqua ei admisceri debeat: Tertium, an illa mixtio ad sacramentum necessaria sit: Quartum, an saltem sit a Christo præscripta: Quintum, an aqua vino commixta in sanguinem Christi per se convertatur.

ASSERTIO I.

VINUM est Eucharistiæ materia non tantum legitima, sed & necessaria.

PROBATUR 1. iisdem argumentis, quibus *supra* de pane disputavimus. Christus enim vinum adhibuit, nec nobis licet illud omittere aut aliud substituere.

PROBATUR 2. Ecclesiæ judicio, quæ tanquam hæreticos aut errantes semper habuit eos qui aliter sentirent aut agerent, scilicet Ebionitas, de quibus Epiphanius *hæresi* 30. Tatianum, de quo idem *hæresi* 46. alios de quibus Cyprianus *epist. 63. ad Cæcilium*, Encratitas, de quibus idem Epiphanius &c.

Quæ-

QUÆRES quale debeat esse vinum offerendum.

RESPONDEO 1. debere esse expressum juxta Synodum Bracarensem.

2. Non sufficere illud quod ex uva adhuc acerba educeretur, cum nondum sit perfectum.

3. Nec sufficere aquam ex uvis passis expressam, qualem adhibuisse feruntur Æthiopes & Indi.

4. Dubium esse vinum congelatum.

5. Nihil omnino referre albumne sit an rubrum.

ASSERTIO II.

VINO aqua admisceri debet.

PROBATUR 1. ex facto Christi, qui cum Eucharistiam institueret, calicem aqua miscuisse vulgo existimatur, nec immerito. 1. Enim calicem paschalem aqua temperari consuevisse discimus ex Misnaioth *de benedictione* 7. ut dudum Grotius observavit *ad Matth.* 2. Is mos erat vulgaris Judæorum propter cœli ac vini ingenium: vide *Proverb.* 9. *v.* 10. *Apoc.* 18. *v.* 6. & scriptorem *de quæstionibus* inter opera Hieronymi. 3. Ita Christum egisse diserte testantur Irenæus, vir Apostolicorum temporum, *libro* 4. *cap.* 57. " Temperamentum calicis, inquit, suum sanguinem confirmavit." Sanctus Cyprianus *epistola* 63. " Facere oportet quod Christus fecit, & quod faciendum esse mandavit: .... mixtum calicem obtulit Dominus " Auctor *constitut. apost. &c.*

PROBATUR 2. ex perpetuo, & constanti usu omnium ubique ecclesiarum, ut liquet ex omnibus liturgiis, & omnibus passim Patribus.

QUÆRES quantum aquæ sit vino admiscendum.

RESPONDEO 1. prioribus Ecclesiæ seculis id non fuisse definitum, sed uniuscujusque prudentiæ tunc relictum esse, ut sacrum calicem pro more ita temperaret, ut vinum semper posset dici quod consecraretur.

2. Ad finem noni seculi in concilio Triburiensi præscriptum esse, ut saltem duæ sint partes vini, tertia aquæ.

3. Ab Honorio III. summo pontifice; *cap.* Perniciosus, *de celebrat. missæ*, imperatum esse XII. seculo, ita calicem temperari, ut secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis plus in ipso sit de vino quam de aqua ponendum.

4. Ab Eugenio Papa IV. *in instructione Armenorum* præcipi, ut vino ante consecrationem aqua modicissima admisceatur. Est ea de re constitutio Pii V. quam refert Antonius Augustinus *in synodalibus constitutionibus Ecclesiæ Tarraconensis*.

AS-

ASSERTIO III.

Sine aquæ admixtione potest consistere Eucharistiæ sacramentum, seu, ut aiunt scholæ, aqua non est de necessitate sacramenti.

PROBATUR. Is enim semper fuit totius vulgo Ecclesiæ sensus, quod videlicet ad Eucharistiam aqua non esset omnino necessaria: Id autem multis indiciis manifestum est.

1. Enim Cyprianus *epist. 63. ad Cæcilium*, commendans vini necessitatem, in ipso fere sermonis limine sic ait: " Nam cum dicat Christus, „ *Ego sum vitis vera*, sanguis Christi non aqua est utique, sed vi- „ num.

2. Ecclesia quidem damnavit Armenos aqua non utentes, sed nunquam iis objecit, quod nullum conficerent sacramentum: de quo consule imprimis synodum Trullanam.

OBJICIES. Cyprianus *epistola ad Cæcilium* 63. sic habet de mixtionis necessitate: " Sic autem in sanctificando calice Domini offerri „ aqua sola non potest, quomodo nec vinum solum potest: nam si „ vinum tantum quis offerat, sanguis Christi esse incipit sine nobis: „ si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo: quando autem „ utrumque miscetur, tunc sacramentum spiritale ac cœleste perficitur: „ sic vero calix Domini non est aqua sola aut vinum solum, ni- „ si utrumque sibi misceatur; quomodo nec corpus Domini potest „ esse farina sola aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit, & „ copulatum & panis unius compage solidatum. " Ergo illa commixtio necessaria est ad perficiendum sacramentum, & aqua non minus quam vinum requiritur: tamque illa necessaria est ad calicem quam ad panem.

DISTINGUO consequens: aquæ admixtio requiritur ad perficiendum sacramentum; hoc est ad perficiendam significationem mysticam Eucharistiæ; concedo: ad perficiendam consecrationem; nego. In hac epistola Cyprianus non de aqua proprie agit, sed de vino quod demonstrat esse miscendum cum aqua: idque evincit quatuor momentis, quorum tertium petitur ex mysticis Eucharistiæ significationibus. Ex illa vero tertia parte, in qua disputat de mystica Eucharistiæ significatione, desumuntur argumenta superiora.

ASSERTIO IV.

Ea vini cum aqua mixtio a Christo præcepta non fuit.

PROBATUR 1. quia nullum est hujus Christi legis vestigium.

PROBATUR 2. quia concilia mentionem in eo faciunt tantum Ecclesiastici præcepti. Sic Tridentinum monet præceptum esse ab Ececlesia &c.

PRO-

PROBATUR 3. quia ut ex consuetudine Ecclesiæ, & rubricis constat, si quando post consecrationem calicis, aqua ei deesse animadvertatur, ea non infunditur. At istud arguit juxta Ecclesiæ sensum illam nec esse de necessitate sacramenti, nec de præcepto Christi.

Nec est quod opponas juxta B. Cyprianum, & synodum IV. Aurelianensem commixtionem vini, & aquæ fuisse a Christo præceptam. Nam illud spectat duntaxat ad vinum, quod contendunt esse in Eucharistia adhibendum.

ASSERTIO V.

Aqua vino admixta transubstantiatur.

PROBATUR 1. ex historia. Cum enim anno 1188. gravis ea de re exorta esset in Galliis controversia, aliis affirmantibus, aliis negantibus, de ea lite scripsit Gaufredus monachus, S. Bernardi discipulus, grandem epistolam ad cardinalem Albanensem, Clementis papæ vicarium generalem, ejus postulans sententiam ac judicium. Quid hic responderit non liquet: at Baronius relata hac historia sic subjicit: " Sed „ nihil aliud rescribere potuisse certum est, quam quod credidit semper sancta Romana Ecclesia, nempe aquam & vinum transubstantiari in „ sanguinem Christi.

PROBATUR 2. ex verbis Christi, qui de calice sine ullo discrimine dixit esse sanguinem suum.

PROBATUR 3. ex concilio Tridentino, quod declarat post consecrationem in calice remanere tantum species vini: proinde aquam non superesse.

QUÆSTIO QUARTA.

De Eucharistiæ forma.

CONsequens est ut de Eucharistiæ consecrandæ forma disseramus: quoniam autem Christus cogitari potest aliam corporis sui conficiendi rationem usurpasse, aliam tradidisse posteris, & controversia bifariam patet. 1. Enim inquiri potest in modum quo Christus in prima Eucharistiæ institutione eam consecraverit: 2. in eum quem nobis ad id perficiendum reliquerit.

ARTICULUS I.

De modo quo Christus Eucharistiam primum consecravit.

Ex historia supremæ Christi cœnæ compertum est eum, cum Eucharistiam instituit, accepto pane & calice gratias egisse, benedixisse ac dixisse, *Hoc est corpus meum: hic est sanguis meus.*

An ista secernenda sint a se invicem, & quo pacto, consule interpretes Scripturæ; nos quidem statuimus gratiarum actionem ad Patrem pertinuisse, benedictionem autem ad panem ac vinum, ita ut ea fuerit Dei in panem consecrandum; ut ita dicam, invocatio. Præterea credimus hæc duo una eademque oratione a Christo esse præstita, adeo ut vox alterutra gratiarum actionis scilicet aut benedictionis omnia ista simul complectatur ac pro consueto more significet. Denique arbitramur hoc utrumque esse distinguendum ab iis verbis quibus se suum corpus ac sanguinem dare testatus est.

Jam quæritur utrum iis corpus suum Christus confecerit, an alia ratione, de quo theologi in magna sunt varietate ac dissensione.

Prima sententia ait Christum alio quam nos modo consecrasse; eum enim sine ullis omnino verbis pro sua potestate corpus suum confecisse; tum de corpore suo sic confecto dixisse, *Hoc est corpus meum*. Ea olim fuit Innocentii III. *lib.* 4. *de mysterio missæ cap.* 6. Durandi Mimatensis *lib.* 5. *de divinis officiis cap.* 41. & aliorum quam plurimorum.

Secunda docet Christum benedictione consecrasse corpus suum, ita ut etiam juxta illam consecratum vere illud esset, antequam pronunciaret Christus, *Hoc est corpus meum*. Istam tradidit olim Odo Cameracensis *in canonem* quem multi secuti sunt.

Tertia, quæ vulgaris est, definit Christum simul & iisdem verbis effecisse & enunciasse corpus suum.

ASSERTIO.

Tertia hæc sententia tenenda est.

Probatur 1. testimoniis Patrum. Tertullianus enim *lib.* 4. *contra Marcionem* de Christo loquens, " Acceptum panem, inquit, & distri„ butum discipulis corpus suum illud fecit, *Hoc est corpus meum* dicen„ do. " Ambrosius *de sacramentis lib.* 4. *cap.* 5. idem innuit, ut & auctor ignotus homiliæ cujusdam *de corpore ac sanguine Domini tomo* 9. *operum Hieronymi* &c.

Probatur 2. ex concilio Tridentino *sess.* 13. *cap.* 1. " Quotquot „ in vera Christi Ecclesia fuerunt, inquit, ... apertissime professi sunt „ hoc tam admirabile sacramentum in ultima cœna redemptorem no„ strum instituisse, cum post panis vinique benedictionem se suum cor„ pus illis præbere ac suum sanguinem disertis verbis testatus est. „

Nam-

Namque manifestum est consecrationem institutum fuisse hoc sacramentum; synodi autem judicio illud institutum fuisse post panis vinique benedictionem.

PROBATUR 3. unanimi fere omnium jam theologorum consensu, a quo discedere tutum non fuerit.

ARTICULUS II.

De forma qua jam Eucharistia consecratur.

VArii sunt ea de re hæreticorum errores.

1. Enim Bucerus *in cap. 26. Matth.* ait necessarium non esse ut verba quædam ad Eucharistiam conficiendam adhibeantur.

2. Lutherus *de captivit. Babyl. cap. de baptismo*, affirmat nihil interesse quænam verba in sacramentis administrandis usurpentur.

3. Calvinus *lib. 4. instit. cap. 17. num. 19.* verba quidem institutionis requirit; sed quæ in morem concionis recitentur ad excitandam fidem.

4. Valdenses feruntur olim omisisse voces Christi ad Eucharistiam consecrandam; ad id autem adhibuisse tantum dominicam orationem quam centies repetebant.

Apud catholicos autem extra controversiam est consecrationem non tantum verbis peragi oportere, sed & certis Christi verbis utendum esse. Sed quænam illa Christi verba sint ad id præcise necessaria & an sola sufficiant, in eo demum variant sententiæ.

Prima ad consecrationem conficiendam integrum missæ canonem exigit: ita sentiunt theologi Colonienses *in suo antididagmate* & alii.

Secunda est Scoti *in 4. dist. 8. quæst. 2. ad 2.* & aliorum plurium, qui contendunt quidem verba Christi sola esse formam consecrationis, sed ea tamen sola non sufficere; quia plenum ac perfectum sensum non faciunt, neque indicant ea nomine Christi proferri. Volunt itaque alia quæ antecedunt adjici usquequo occurrat retrogrediendo nomen Christi, ut ejusmodi sensus constet. Antecedentia porro verba requirunt, non quasi ipsa sint formula consecrationis; sed tantum ut istius formulæ in verbis Christi positæ sensum figant ac determinent ad Christum. Si enim ea tollas, inquiunt, & dicat tantum sacerdos, *Hoc est corpus meum*, quis id in Christi, non vero in ipsius sacerdotis persona dici intelligat?

Tertia est eorum qui sola omnino Christi verba exigunt ad consecrationem, sed nulla omnino excludi cupiunt, ne quidem ista, *Accipite & manducate*.

Quarta est Armacani *lib. 9. quæstionum Armenorum cap. 3.* ajentis ad consecrationem calicis necessaria esse ista verba, *Hic est calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti*, cætera vero non item.

Quinta est aliorum qui, teste Marsilio, his etiam addi jubebant *mysterium fidei*, non autem sequentia.

Sexta est quæ ad consecrationem peragendam præter ista adjungi imperat & sequentia: ea autem est S. Thomæ *art.* 3. &c.

Septima ad consecrationem tum panis tum calicis præter solemnia Christi verba aliquam precationem requirit; sive illa antecedat, ut apud Latinos; sive sequatur, ut apud Græcos. Apud nos enim sacerdos, antequam sacra Christi verba pronunciet, fundit ad Deum orationem, *ut nobis fiat corpus & sanguis Christi*: apud Græcos autem post illa prolata, nec paucis interjectis, rogat Deum ut *mittat Spiritum sanctum suum super proposita dona, & panem faciat corpus Christi, vinum vero sanguinem ejus, immutans ea Spiritu sancto suo*.

Atque hæc illa famosa est Græcorum opinio de formula consecrationis, plerisque Latinis a multis seculis ita odiosa, ut vix ac ne vix quidem toleretur.

Octava tandem sententia est, & quidem ea omnium fere theologorum, quod his solum Christi verbis, *Hoc est corpus meum*, *Hic est calix sanguinis mei*, Eucharistia conficiatur.

ASSERTIO

Solis his Christi verbis Eucharistia consecratur.

Probatur 1. ex Liturgiis. Ac 1. quidem Græcorum. In iis enim sacerdotes submissa voce cætera pronunciant, ista autem Christi verba elatiori, quasi ea ab aliis separantes, proinde non in historiæ morem. Deinde vero populus tunc respondet *amen*. Porro *amen* indicium est veritatis: atque adeo tunc in altari corpus Christi esse existimatur. Adde quod, ut ex Patribus liquet, ab omnibus olim peracta consecratione *amen* dici solitum erat. Ergo tunc consecratio peracta est. 2. Latinorum: prolatis enim Christi verbis statim Eucharistia proponitur plebi adoranda

Probatur 2. ex Patribus.

Primus est Justinus *in apologia* 2. Ibi enim ait corpus Christi confi„ci per precationem verbi quod ab ipso est.

Secundus est Irenæus, qui *libro* 3. *capite* 2. " Quando, inquit, pa„nis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corpus & sanguis Domi„ni. " At nullum aliud in consecratione Eucharistiæ verbum Dei occurrit, quam istud, *Hoc est corpus meum*.

Tertius est Gregorius Nyssenus qui *oratione catech. cap.* 37. de modo transsubstantiationis sic scribit: " A verbo, inquit, statim in corpus „transmutatur, sicut dictum est a Verbo, *Hoc est corpus meum*.

Quartus est Epiphanius, qui *in Ancorato* sic habet: " Voluit Chri„stus per gratiam dicere, *Hoc est corpus meum*, & nemo non habet fi„dem sermoni.

Quin-

Quintus est Ambrosius qui *lib. de mysteriis cap. 9.* " Quid dicemus, ait, de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur? Nam sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur. " Idem fere legas *in psal.* 38.

Sextus est auctor operis *de sacramentis*, *lib.* 4. *cap.* 4. Is enim sic ait. „ Consecratio autem quibus verbis est, & cujus sermonibus? Domini „ Jesu; nam reliqua omnia quæ dicuntur in superioribus, a sacerdote „ dicuntur... Ubi venitur ut conficiatur venerabile sacramentum, jam „ non suis sermonibus utitur sacerdos, sed utitur sermonibus Christi.

Septimus est Chrysostomus, qui *homil. de proditione Judæ*, " Stat sa- „ cerdos, inquit, typum adimplens, & illa verba fundens: virtus au- „ tem & gratia Dei est: dicit, *Hoc est corpus meum*. Hoc verbo pro- „ posita consecrantur. " *Homilia* autem 2. *in* 2. *Timoth.* " Quemadmo- „ dum verba, inquit, quæ locutus est Christus eadem sunt quæ sacer- „ dotes nunc quoque pronunciant, ita & oblatio eadem est.

Octavus est Augustinus, seu quis alius, *sermone* 28. *de verbis Domi- ni*. Ibi enim " Ante verba Christi, inquit, quod offertur in altari, „ *panis* dicitur, ubi Christi verba deprompta fuerint, jam non *panis* „ dicitur, sed *corpus* appellatur.

Nonus est Eusebius Emisenus, seu quis alius, qui *serm.* 5. *de Paschate*, " Invisibilis sacerdos, inquit, visibiles creaturas in substantiam cor- „ poris & sanguinis sui verbo suo, secreta potestate convertit, ita di- „ cens, *Accipite & edite, Hoc est corpus meum* &c.

Decimus est Paschasius, qui *de corpore & sanguine Domini cap.* 12. " „ In hoc mysterio, inquit, credendum est, quod... virtute Spiritus san- „ cti per verbum Christi caro ipsius & sanguis efficiatur invisibili opera- „ tione. " *Capite* autem 15. adductis ad consecrationem calicis his vocibus, *Hic est calix sanguinis mei, novi & æterni testamenti*, " In hoc ver- „ bo, inquit, sanguis efficitur, quod antea vinum & aqua fuerat.

PROBATUR 3. ex conciliis.

Ac 1. quidem ex Florentino. In eo enim post præcipua dissidii capita id maxime postularunt omnes Latini a Græcis, ut veterem suam de forma consecrationis deponerent opinionem, eamque solis Domini verbis id fieri ipsi crederent. Hoc etiam ipse flagitavit summus pontifex. Sic enim Græci ipsi referunt *act.* 25. " De divino autem sacrificio quæ- „ situm est a Latinis, quomodo prolatis Christi verbis, *Accipite & „ comedite, Hoc est enim corpus meum*, & sacris donis per hæc verba „ sanctificatis, vos posthæc hanc postea orationem additis, dicentes, „ *Et fac panem quidem pretiosum corpus Christi tui*. " At Græci ita res- „ pondent: " Fateri nos diximus per hæc verba Christi transubstantia- „ ri sacrum panem, & fieri corpus Christi; sed postea quemadmodum „ & ipsi dicitis, *Jube hæc perferri* &c. ita nos quoque oramus dicentes „ *ut Spiritus Sanctus descendat super nos, & efficiat in nobis panem hunc, „ pretiosum corpus Christi tui*.

2. Ex Tridentino. In eo enim *seff.* 13. *cap.* 3. definitur in Eucharistia corpus quidem Christi existere sub specie panis, & sanguinem sub vini specie, ex vi verborum.

PROBATUR 4. ex decretis summorum pontificum. Sic enim Eugenius IV. *in instructione Armenorum*, " Forma hujus sacramenti (Eu„ charistiæ), inquit, sunt verba Salvatoris, quibus hoc sacramentum „ conficitur: sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit sacra„ mentum. Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in corpus „ Christi convertitur.

QUÆSTIO QUINTA.

De Eucharistiæ proprietatibus.

TRia hic expendemus: Primum an Eucharistia adoranda sit: Secundum an in solo usu consistat: Tertium an sit necessaria.

ARTICULUS I.

De Eucharistiæ adoratione.

UT in hoc capite, quod non levis momenti est, omnis ambiguitas tollatur, observandum est,

1. Eucharistiam considerari posse triplici modo: 1. penes partem intrinsecus latentem, quod ipsum est Christi corpus, ut demonstravimus: 2. penes speciem extrinsecus apparentem: 3. quatenus est aliquod totum ex utraque hac parte constans.

2. Non esse hic controversiam de cultu speciebus seorsum debito.

3. Adorationem duplicis esse generis, aliam interiorem, aliam exteriorem: interiorem ex duabus animi actionibus efflorescere: primam mentis, qua quis Deum ut supremum suum ac omnium rerum dominum cognoscit: secundam voluntatis, qua ei ut tali sese submittit, exteriorem vero positam esse in certis signis, quibus hanc animi submissionem aliquis testificatur extrinsecus.

4. Adorationem posse esse sine ulla externa significatione: quid enim impedit, quominus aliquis animo solo sese Deo submittat? profecto angeli in nulla prorsus signa erumpere possunt, utpote corporis expertes: & tamen de iis dictum est, *Adorate eum omnes angeli ejus.*

5. Non tantum non esse signa illa necessaria, sed ne fixa quidem existere: posse

posse enim adorari Deum, sive stando, ut de regibus dicitur aliquando futurum apud Isaiam *cap.* 49. *vers.* 7. & a Christianis olim per totum a Paschate ad Pentecosten spatium, teste Tertulliano, observabatur; vel sedendo, ut factum est a Davide 2. *Reg. capite* 7. *versic.* 18. vel genua flectendo, quod est frequentissimum in Scripturis; vel denique in terram procidendo, cujus exempla quoque in iis passim occurrunt.

6. Lutheranos etiamsi corpus Christi in Eucharistia omnes admittant, in hoc capite non satis inter se consentire: alios enim existimare, quod Christus in Eucharistia sit adorandus, v. g. Brentium *in apologia pro confessione Wittemb.* §. 5. Kemnitium 2. *parte examinis concilii Tridentini ad cap.* 5. *sess.* 13. alios contra sentire, ut Philippum Melancthonem *in judicio suo de cœna Domini*, & Illiricum *in confessione Antuerp. & ejusdem apologia*, *cap.* 14. Lutheranos nihilominus vulgo arbitrari adorationem hujusmodi tametsi licitam, non tamen esse usurpandam.

7. Eam non tantum a Calvinianis non frequentari, sed & ab iis idololatriæ damnari in nobis; ita ut Dallæus *in apologia pro Ecclesiis reformatis*, illud quasi justam ac legitimam defectionis ab Ecclesia catholica causam statuat.

ASSERTIO.

Christus in Eucharistia adorari potest ac debet, nec idololatriæ damnari potest a Calvinianis qui Christum in hoc sacramento adoraverit.

Probatur 1. ex Scripturis. Christus enim adorari potest ac debet, sub quacunque demum specie sese exhibeat: species enim ac locus non obstant quominus sit Deus: de Deo autem dicitur, *Dominum Deum tuum adorabis*. Atqui Christus in Eucharistia vere est: ipse enim dixit ibi esse corpus suum.

Probatur 2. ex veteris Ecclesiæ sensu.

Origenes *homil.* 5. *in diversa evangelii loca*; "Quando sanctum cibum, inquit, . . . accipis, . . . manducas, & bibis corpus, & sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur: & tu ergo humilians te ipsum, imitare . . . centurionem, & dicito, *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum*." Quis dubitet hunc esse adorationis ritum?

Cyrillus Hierosol. *catechesi* 5. *mystagogica*, "Accedens ad communionem, inquit, non expansis manuum volis accede, neque cum disjunctis digitis, sed sinistram veluti thronum subjicias dextræ, quæ tantum regem susceptura est, & concava manu suscipe corpus Christi, dicens *amen* .... Tum vero post communionem corporis Christi accede ad calicem sanguinis illius, non extendens manus, sed pronus & adorationis ac venerationis in modum, dicens *amen*.

Gregorius Nazianzenus *orat.* 11. *in Gorgoniam sororem suam*, narrans quomodo illa ope sacræ Eucharistiæ aliquando sanitatem recuperasset, " Ad altare, inquit, procumbit, eumque qui super ipso honoratur „ cum ingenti clamore invocans . . . . tandem pia quadam & præcla- „ ra impudentia effertur; eam quæ Christi fimbria sanguinis profluxum „ compresserat, imitatur .... Cum caput suum .... altari admovisset .... & si „ quid uspiam antityporum pretiosi corporis aut sanguinis manus recondi- „ derat, id lacrymis admiscuisset : o rem admirandam! statim liberatam „ se morbo sentit.

Ambrosius *lib.* 3. *de Spiritu sancto cap.* 11. *tomo* 2. probat Spiritum sanctum esse adorandum, quia adoranda est Christi caro quæ est opus Spiritus sancti : ostendit autem adorandam esse carnem Christi ex illo psalmi 98. versic. 5. *Adorate scabellum pedum ejus*. Cum autem terra psalmo 66. vers. 10. dicatur *scabellum pedum Domini*, & illa tamen adorari non possit, quia creatura est Dei : recurrendum esse docet ad carnem Christi : " Videamus tamen, inquit, ne terram illam dicat „ adorandam propheta, quam Dominus Jesus in carnis assumptione „ suscepit. Itaque per *scabellum* terra intelligitur; per *terram* autem caro „ Christi, quam hodieque in mysteriis adoramus, & quam apostoli in Do- „ mino Jesu ... adorarunt. " Ibi, ut cernere est, de supremo adorationis genere quæstio est : ea autem defertur juxta Ambrosium carni Christi in mysteriis accipi solitæ.

Sanctus Augustinus magistrum sequens *in psal.* 98. ex professo differens de scabello pedum Domini, eadem ratione loquitur, ut *supra* vidimus.

Chrysostomus *homil.* 7. *in Matth.* " Festina, inquit, in Bethleem, ubi domus panis spiritualis, ... ut honoraturus atque adoraturus Dei filium quasi conculcaturus, ... sed cave ne Herodi efficiaris „ similis, & dicas, *Ut ego veniens adorem eum*, & cum veneris, in- „ terficere coneris. Hujus etenim similes sunt, qui indigne abutuntur „ communione mysterii : reus est enim, inquit, corporis & sangui- „ nis Domini. Qui enim ejusmodi sunt, habent in se tyrannum lon- „ ge illo nequiorem, dæmonem scilicet. Hic enim . . . suos .... cultores . . . mittit ad Christum, ut specie quidem adorare videantur : „ quantum vero in ipsis est, interimunt eum, quem adorare se simulant. „ Timeamus ergo ne quando speciem supplicum atque adorantium gera- „ mus, opere vero existamus inimici.

Theodoretus *dialogo* INCONFUSUS, " Manent, inquit, euchari- „ stica symbola in priore substantia, & figura, & forma, & vide- „ ri tangique possunt sicut & prius : intelliguntur autem ea esse „ quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, ut quæ illa sint quæ „ creduntur.

Leontius *lib.* 3. *contra Nestorium & Eutychen*, " Impius, inquit, „ Theodorus scripsit dicens alium esse Deum Verbum, & alium Je-

„ sum

„ sum Christum. Qui hæc sentiunt, cujus corpus, & sanguinem se „ putant in communione sumere? Si Dei Verbi, &c. si vero benefi„ cium accipientis (Christi,) inanis est eorum spes, anthropolatriam „ profitentes, & qui in homine spem collocant. Maledicti sunt qui „ coluerunt, & servierunt creaturæ præter creatorem, qui est bene„ dictus in secula, amen. " De adoratione latriæ, ut patet, agitur: ex ea enim quæ tunc ab omnibus Christo in Eucharistia dependebatur, arguit Christum esse ipsum Deum Verbum, quia alias creatura in hoc sacramento adoraretur. Idem argumentum urget adversus Nestorium Cyrillus Alexandrinus.

Joannes Climacus *gradu* 23. " Si fœda, inquit, & indecora ver„ ba mea sunt, quomodo dum cœleste illud donum sumo, supplex „ adoro?

Stephanus Junior, ut habet ejus vita, " An tu quoque, inquit imperatori Iconomacho, corporis & sanguinis Christi antitypa ab Ecclesia proscri„ bes, quæ & adoramus & osculamur, & eorum perceptione sanctitatem consequimur? " Ex communi apud omnes tum catholicos tum Iconomachos frequentari solita Eucharistiæ adoratione argumentum hic Stephanus depromit.

Probatur 3. ex liturgiis Græcis & Orientalibus.

In ea enim quæ Chrysostomi est, sic ad Christum in altari præsentem preces fundit sacerdos: " Domine Jesu Christe qui in excelsis si„ mul cum Patre resides, & hic una nobiscum invisibiliter versaris; di„ gnare potenti manu tua impertiri immaculatum corpus tuum, & „ pretiosum sanguinem nobis & per nos toti populo. " Tum rubrica *ibidem* sic addit: " Dehinc adorat sacerdos, & diaconus in quo est loco ter „ secreto dicentes, Deus propitius esto mihi peccatori, & populus similiter „ cunctus cum devotione adorat. & diacono dicente, Attendamus, sacer„ dos facit sanctam elevationem.

In Missali Nestorianorum fere in eumdem modum post consecrationem, 1. sacerdos sic ait: Referimus gloriam & honorem, gratiarum „ actionem & adorationem nomini tuo vivo & sancto & vivifico nunc „ & omni tempore & in seculum seculorum. Dehinc juxta rubricam „ consignat mysteria, & respondet *amen*, & adorat sacerdos & oscula„ tur medium altaris.... Denique thure honorat mysteria: postea jun„ git manus suas super pectus suum in formam crucis: deinde sumit „ ambabus manibus hostiam elatam, ac sursum respiciens, dicit, Glo„ ria nomini tuo sancto Domine noster Jesu Christe, & adoratio ma„ jestati tuæ omni tempore in secula, amen.... Et mox osculatur ho„ stiam in formam crucis, & dicit, Gloria tibi Domine propter do„ num tuum erga nos ineffabile in secula.

In Liturgia Maronitarum post orationem dominicam diaconus clamat: " Inclinate capita vestra coram Deo miseratore & coram altari „ ejus propitiatorio, & coram corpore & sanguine Servatoris nostri.

Tum juxta rubricam sacerdos movet corpus & elevat sublata voce dicens: " Sancta sanctis...." Movet calicem, & dicit: " In te Domi-
„ ne in veritate & vere credimus & credimus in te, sicut in te cre-
„ dit Ecclesia tua sancta catholica " Tum convertit se ad populum,
& illum consignat, dicitque: " Servos tuos & tui adoratores, qui spe-
„ rant donum tuum vitæ consigna cruce tua &c." *Alibi* autem, "San-
„ ctifica Domine, corpora & animas eorum qui stant coram te incur-
„ vati, ut sancte mysteria ista participemus." *Alibi* denique, " Co-
„ ram te, Domine Deus, & coram altari tuo propitiatorio, & co-
„ ram corpore & sanguine filii tui dilecti, Domini nostri Jesu Christi
„ inclinamus capita &c. "

De his Simonius ad Gabrielem Philadelphiensem *pag.* 258. *& seq.* de aliis autem Orientalium liturgiis Renaudotius cum *in vindiciis*, tum *in Græcorum recentiorum opusculis*.

PROBATUR 4. ex scriptoribus Græcis ævi recentioris.

Cabasilas *in expositione liturgiæ cap.* 39. de fidelibus ad communionem accedentibus, " Ipsi autem, inquit, pietatem ostendentes & fidem, ado-
„ rant & benedicunt, & Jesum qui in iis symbolis intelligitur, ut
„ Deum celebrant.

Simeon Thessalonicensis *dialogo contra hæreses*, de pane eucharistico, " Sacer populus, inquit, ex animo eum aspicit & adorat, & ad
„ salutem sibi necessaria ab eo petit .... Ipsum etiam qui in calice est
„ sacrum panem & sanguinem usque ad pavimentum, inclinati ex toto
„ corde adorare debemus, & sic manus ad instar crucis copulando jun-
„ gere: ..... & sic cum timore, & tremore, & cordis humilitate acce-
„ dendum est.

Gabriel Philadelphiensis *in apologia pro ecclesia Orientali pag.* 9. "
„ Omnis panis, inquit, cum vino transsubstantiatus, est sanctus ac per-
„ fectus, & caro Christi, quare non solum adoratur, sed & latriæ cul-
„ tu adoratur. " In eo *ibidem* sæpe distinguit munera proposita a consecratis, quod proposita simplici tantum veneratione, consecrata autem latriæ cultu afficiantur.

PROBATUR 5. ex usu ac doctrina tum Græcorum, tum aliorum orientalium nostræ ætatis: id enim testantur de Græcis,

1. Arcudius Græcus, popularibus suis tametsi infensus, *lib.* 3. *de sacramentis cap.* 21.

2. Ridolphus, suffraganeus patriarchæ Constantinopolitani, *tomo* 3. *perp. lib.* 8. *cap.* 8.

3. Casimirus de Visgetia, reipublicæ Polonicæ legatus, *ibidem*.

4. Jacobus Quirinus, reipublicæ Venetæ legatus, *ibidem*.

5. Fieschus Genuensium legatus, *ibidem*.

6. Simonius *ad Gabrielem, & de fide Ecclesiæ Orientalis*.

7. Renaudotius tum *in vindiciis*, tum *in notis ad Gennadium*.

De Moscovitis:

1. Lega-

1. Legatus Sueciæ, *tomo* 1. *perpet.*

2. Oderbonus Lutheranus, *ibidem.*

Sed quid extranea testimonia conquirimus, cum suam ipsi sententiam suumque usum aperte declarent. Hunc enim latriæ cultum usurpare & admittere se profitentur.

1. Patriarchæ omnes orientis in celebri sua fidei professione, *tomo* 3. *perp. lib.* 8. *cap.* 14. " Quemadmodum, inquiunt, S. Petrus de illo ore „ omnium apostolorum dixit, *Tu es Christus*, *Filius Dei viventis*, ita „ & nos dicimus cultu latriæ: Credo Domine & confiteor, quod tu „ es Christus, Filius Dei vivi.

2. Speciatim in diœcesi Constantinopolitana,

Dionysius Patriarcha Constantinopolitanus, *ibidem.*

Septem metropolitæ *ibidem.*

Donus Cretensis *in responsione ad Claudium Charentonensem*, *ibidem.*

Patriarcha Armenorum in Cilicia *ibidem*, *cap.* 20.

3. In diœcesi Alexandrina,

Patriarcha Cophtitarum *ibidem*, *cap.* 19.

4. In Orientali seu Antiochena,

Patriarcha Antiochenus cum suis metropolitis & episcopis, *ibidem*, *cap.* 17.

Patriarcha Hierosolymitanus cum omnibus suis præsulibus, *ibidem*, *cap.* 15.

Patriarcha Maronitarum cum suis, *ibidem*, *cap.* 16.

Ligaridius Gazensis *tomo* 1. *perp.*

Probatur 6. ex ipsa Calvinianæ sectæ majorum doctrina ac disciplina.

Joannes Hus *de sanguine Christi*, " Nos, inquit, adoramus corpus „ Christi & sanguinem in dextera Dei Patris existentem & in vene„ rabili sacramento, quod sacerdotes conficiunt.

Rocquisana *de sacramentis capitulo* 22. " Quicunque, inquit, non af„ ficiuntur ad colendum venerandum Christi corpus in sacramento, ta„ les non sunt de vera fide. " *Capite* autem 15. " , Patet error, in„ quit, impie dicentium, quod corpus Christi vel sacramentum solum „ sit datum ad manducandum, & sanguis in calice solum ad bibendum, „ & non ad colendum sive adorandum.

Bezybra *in professione fidei*, " Profiteor, inquit, quod corpus Christi „ seu Christus verus Deus & homo existens, veraciter in sacramento „ est in eodem a fidelibus cultu latriæ colendus, & adorandus, & in„ vocandus.

Dicant ergo Calviniani an hos omnes pro idololatris habeant. Si habent, cur pro parentibus agnoscunt: si non habent, cur catholicos idololatriæ accusant?

Objicies 1. cum Dallæo *lib.* 2. *de cultu religioso*, *cap.* 1. apostolos in ultima Christi cœna non fuisse jussos Eucharistiam adorare, nec videri quod eam adoraverint.

Res-

RESPONDEO apostolos Eucharistiam adorasse tunc non procumbendo aut genua flectendo, sed interno animi sensu, & externa, quæ nos latet, significatione, quæcunque demum illa fuerit: quælibet enim ad id sufficit. Ut autem id facerent, admonitos satis fuisse a Christo dicente hoc esse corpus suum. Quis enim dubitet quin loquenti Domino crediderint & huic venerabili corpori sibi porrecto magnam, ut par est, reverentiam detulerint? "Quasi non ex iis quæ legimus aliqua etiam ,, quæ non legimus, intelligamus:" ut ait simili in casu Augustinus Maximino testimonia adorationis Spiritus sancti in Scripturis postulanti, *libro* 3. *cap.* 3.

OBJICIES 2. cum Claudio Stephanum Juniorem, ut *supra* retulimus, Damascenum *oratione* 1. *&* 2. *de imaginibus*, & Photium *de synodis*, ubi exemplo Eucharistiæ utuntur ad demonstrandum cultum imaginum. Ergo Eucharistiæ non deferebatur tunc cultus latriæ, ut vocant, absolutus.

RESPONDEO tria in controversia tunc extitisse: 1. an materia ita vilis esset, ut omni prorsus esset indigna cultu, quod asserebant Iconomachi, in eo capite doctrinam suam potissimum fundantes: 2. an admittendus esset cultus aliquis relativus, quod vulgo illi negabant: 3. an agnoscendus esset cultus aliquis divino minor, quod etiam inficiari videbantur. Tria autem hæc revincebantur exemplo Eucharistiæ: 1. quidem, quia in ea honoratur corpus Christi, quod certe materia quædam est: id vero præsertim est ad mentem Damasceni, quem lege: 2. quia caro Christi in ea non adoratur, nisi propter Verbum cui conjuncta est, ut notat Athanasius *epistola ad Adelphium*, *in libro de Incarnatione contra Apollinarium*; Epiphanius *in Ancorato num.* 51. Augustinus *in psalm.* 98. Rusticus diaconus *contra Acephalos* &c. Atque ad illud spectasse videtur præsertim Stephanus Junior. 3. Denique, quia ipsum sacramentum, quatenus concipitur ut aliquid a corpore Christi distinctum, certo ac minori proprioque sibi venerationis genere affici posset.

OBJICIES 3. Quidam scriptores affirmant de ecclesiis Græci ritus, quod Eucharistiam non adorent.

RESPONDEO satis superque ex antedictis colligi quam falsum illud sit, si generatim accipiatur: quapropter si isti auctores nec fallant nec fallantur, intelligendos eos esse necessario de honoribus certis, qui apud Latinos usitantur, v.g. de cereis ac lampadibus coram sanctissimo sacramento accendi solitis, aut de elevatione, qualis fit certo tempore in Ecclesia Latina statim post Christi verborum pronunciationem, aut de ea adoratione quam ei eodem tempore deferimus: adorationem enim tunc nullam reipsa usurpant Græci, eamque differunt usque ad communionem, hactenus in sacrificium Patri offerendum unice intenti.

A R-

ARTICULUS II.

An Euchariſtiæ ſacramentum in ſolo uſu conſiſtat.

QUÆSTIO eſt an corpus Chriſti in Euchariſtia non ſit extra uſum, an vero in ea maneat, quandiu ſuperſunt ſpecies conſecratæ. Lutherani, Calviniani, aliique hujus temporis hæretici, affirmant corpus Chriſti in ea non eſſe niſi dum ſumitur.

ASSERTIO.

CORPUS Chriſti in Euchariſtia eſt etiam extra uſum.

PROBATUR 1. ex Scripturis. Qui enim Euchariſtiæ inſtitutionem attentius conſideraverit, is illico perſpiciet eam in modum rei conſiſtentis, non autem actionis tranſeuntis fuiſſe inſtitutam: ait enim Chriſtus, *Hoc eſt corpus meum*: proinde res illa, quæ præſens erat, exinde cœpit eſſe corpus Chriſti: atque adeo quandiu illa eadem manſiſſet, eadem quoque ſemper eſſe debuiſſet corpus Chriſti.

Et ſane ſimul ac Chriſtus voces iſtas protulit, ſtatim in Euchariſtia fuit corpus Chriſti. At verba illa protulit ante uſum. Non enim apoſtoli manducarunt corpus Chriſti, neque biberunt ejus ſanguinem, niſi prius de his moniti. Imo Chriſtus hortans ad ea ſumenda, cauſam iſtius invitationis attulit, quod eſſent illa corpus ſuum & ſanguis. *Hic eſt enim*, inquit, *ſanguis meus*. Ergo in calice Chriſti ſanguis erat, antequam ab iis biberetur, ut ratiocinatur ſynodus Tridentina *ſeſſ.* 13. *cap.* 3.

Certe ſi quodam ſpatio temporis ante & extra uſum ſacramenti corpus Chriſti in Euchariſtia conſiſtit, dicant hæretici unde habeant limites quos figunt Chriſto, aut decretum quo a pane, niſi ſtatim manducetur, eum expellant.

PROBATUR 2. uſu omnium Eccleſiarum. Ea enim ſemper fuit Chriſtianorum omnium conſuetudo, ut Euchariſtiam ſacro peracto ſervarent ad varios uſus. 1. Ad abſentes qui ſacro intereſſe non poterant, mittebatur. Juſtinus *apol.* 2. " Diaconi, inquit, diſtribuunt unicuique præ„ſenti, & ad abſentes perferunt: " Quod idem ex aliis pluribus monimentis colligitur. 2. Cum ſacri faciendi his ſeculis copia ſæpe deeſſet ob furorem perſequentium, domum aſportabatur a fidelibus privatim & ante omnem cibum ſumenda. Sic Tertullianus *de oratione cap.* 14. " Accepto corpore, inquit, & reſervato &c. 3. " Propter ægrotos recondebatur, ne neceſſario viatico forte privarentur. Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium *lib. 6. cap.* 44. narrat ſeni cuidam, nomine Serapioni, in extremis conſtituto, miſſam eſſe Euchariſtiam a presbytero per puerum, qui eam liquore intinctam in os illius infuderit:

eam

eam ergo penes se tunc sacerdotes servabant. Sed pace Ecclesiæ data postmodum cautum est ut in ecclesia conservaretur. 4. Transmittebatur ad episcopos ac presbyteros aliarum ecclesiarum in tesseram communionis. Id factitatum a Romanis pontificibus erga Asiaticos præsules testis est Irenæus apud Eusebium *lib.* 5. *cap.* 24. Ejusdem consuetudinis exempla alia sunt quæ omittimus. 5. In itinere portabatur a peregrinantibus, ut constat ex Ambrosio id de Satyro fratre suo ejusque comitibus narrante. 6. Tempore quadragesimæ in oriente e dominica in singulos hebdomadis dies excepto sabbato reservabatur ad liturgiam præsanctificatorum, ut usque ad hoc tempus apud nos a feria 5. majoris hebdomadæ in parasceven, qui ritus est antiquissimus. 7. Cum mortuis aliquando sepeliebatur, ut compertum est ex vita Basilii *supra*, & historia S. Benedicti apud Gregorium *lib.* 2. *dial. cap.* 2.

PROBATUR 3. omnium ecclesiarum consensione & usu, qui hactenus perseverat. De Latinis nullum dubium est; de Græcis vide Arcudium *lib.* 3. *cap.* 17. cardinalem Bona *lib.* 2. *cap.* 18. & tomum 3. *perp. lib.* 8. de Orientalibus Renaudotium.

OBJICIES 1. cum Calvino. Istæ voces, *Hoc est corpus meum*, promissionem præ se ferunt, qua Christus corpus suum pollicetur iis, qui panem sumpserint: subdit enim, *Accipite, & edite*. Ergo corpus non est, nisi dum sumitur.

NEGO antecedens. Non enim ibi est rei duntaxat futuræ promissio, sed præsentis potius declaratio & commendatio: alia autem verba, *Accipite & edite*, finem tantum indicant, ob quem Eucharistia instituta fuit.

OBJICIES 2. cum Melancthone. Sacramenta reliqua in actione posita sunt. Ergo & Eucharistia.

NEGO consequentiam. In iis enim quæ ex arbitrio pendent instituentis, non rerum similitudo, sed auctoris voluntas requirenda est.

OBJICIES 3. Clemens III. *epistola* 2. *cap.* 1. jubet " ut tanta duntaxat in altari holocausta offerantur, quanta populo sufficere debent: quod si remanserint, in crastinum non reserventur, sed cum timore ac tremore clericorum diligentia consumantur.

RESPONDEO 1. hanc epistolam esse supposititiam: 2. id præscribi tantum de reliquiis quæ abundarent, iis exceptis quæ propter ægrotos servabantur. Enim vero *ibid.* mandat ministris, ut reliquias fragmentorum corporis custodire debeant, ne qua putredo in sacramentis inveniatur.

OBJICIES 4. Origenes *homil.* 5. *in cap.* 17. *Levit.* sic ait: " Dominus panem quem discipulis dabat, non distulit, nec differri jussit in crastinum,

RESPONDEO ista esse de prima Eucharistiæ institutione: cæterum ibi non haberi quod in posterum fieri non debuerit nec licuerit. Id autem observavit Origenes per transennam ad texendas allegorias pro more suo.

OBJI-

Objicies 5. Hesychius *lib.* 2. *in Levit. cap.* 8. synodus Aurelianensis apud Ivonem *parte* 2. *cap.* 59. Guitmundus *lib.* 2. Algerus *libro* 2. *cap.* 1. significant hunc fuisse morem Ecclesiæ Græcæ & Latinæ, ut sacramenti reliquiæ decenter comburerentur.

Distinguo antecedens: post certum spatium, ne videlicet putrescerent; concedo: statim nullis præsertim ad ægrorum usum reservatis; nego. Vide auctores locis citatis, & ex iis patebit per plures dies, & vulgo quidem per omnem hebdomadam, servari consuevisse.

Objicies 6. Consuetudo olim apud Græcos pariter ac Latinos viguit, ut sacramenti reliquiæ pueris innocentibus consumendæ traderentur, ut colligitur ex Gregorio Turonensi *lib.* 1. *de gloria martyrum*, *cap.* 10. concilio Matisconensi anno 588.

Respondeo consuetudinem istam non fuisse unius ubique modi. Erat enim ubi post peracta sacra statim reliquiæ a pueris istis consumerentur; alibi autem non nisi quarta aut sexta feria post dominicam, qua sacra celebrata fuerant, id fiebat. Quidquid sit, nihil inde contra Eucharistiæ conservationem elici potest: imo vere inde sequitur eam per plures dies asservari solitam. Cæterum dubitari non potest, quin ubi reliquiæ statim absumebantur, nonnullæ partes secernerentur ad ægrorum usus necessariæ.

ARTICULUS III.

De Eucharistiæ sacramenti necessitate.

Duæ sunt hujus disputationis partes.

Primo enim de Eucharistia generatim investigandum est, an ea necessaria sit. Secundo cum Eucharistia sub duplici specie panis & vini constituta sit, an qui eam suscipiunt, utramque simul sacramenti speciem sumere teneantur.

SECTIO I.

De Eucharistiæ necessitate in universum.

Notandum est

1. Duplicem vulgo in scholis necessitatem distingui, aliam medii, aliam præcepti. Illud dicitur necessarium necessitate medii, quod est medium a Deo institutum ad primam gratiam habendam, ita ut sine eo vel hujus usurpandi voto, neque gratia neque salus æterna haberi queat. Illud autem dicitur esse necessarium necessitate tantum præcepti, quod non ad habendam primam gratiam, sed ad eam conservandam, certis hominibus certisque duntaxat in casibus præscriptum est. Multa autem inter utrumque discrimina sunt: 1. est, quod præceptum

ad so-

ad solos adultos pertineat; medium autem etiam parvulos complecti possit: 2. quod præceptum nonnisi certis temporibus certisque in occasionibus obliget; medium omni tempore: 3. quod qui sine culpa præceptum non implet, is non ideo damnetur; damnetur contra quisquis etiam sine nova culpa medio caret: 4. quod præceptum non tam debeat observari, quam non infringi; adeoque sit necessarium potius negative quam positive; medium autem debeat omnino usurpari, proinde necessarium sit etiam positive.

2. Præceptum positivum esse duplicis generis: aliud divinum, aliud humanum: humanum rursus duplex existere, ecclesiasticum, ac civile. Quibus animadversis,

Quæritur 1. an Eucharistia necessaria sit necessitate medii omnibus hominibus; ita ut parvuli baptizati sine ea morientes vitam æternam non consequantur.

2. An sit adultis necessaria necessitate præcepti divini.

3. An necessaria etiam sit necessitate præcepti ecclesiastici.

ASSERTIO I.

Eucharistia necessaria non est omnibus etiam infantibus necessitate medii.

Probatur 1. auctoritate Scripturarum. Nam Eucharistia necessaria non est, si solo baptismate possit quis salutem adipisci. Atqui id Scripturæ significant. Christus Marci 16. v. 6. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*. Et apostolus ad Titum 3. v. 5. *Salvos nos facit per lavacrum regenerationis*. 1. Petri 3. v. 21. *Quod & nos nunc similis formæ salvos facit baptisma*.

Profecto quicunque est a peccatis liber, filius est Dei jusque habet ad divinam hæreditatem, quod non potest nisi novo quodam peccato amittere. Atqui juxta Scripturas id vi sua baptismus præstat. Petrus Act. 2. v. 38. *Baptizetur unusquisque vestrum . . . in remissionem peccatorum*. Paulus ad Galat. cap. 3. v. 27. *Quicunque in Christum baptizati estis Christum induistis*. Ephes. 5. v. 26. *Mundans Ecclesiam lavacro aquæ in verbo vitæ*.

Et vero quis dubitet quin eunuchus ille Candacis reginæ *Actorum* 8. memoratus, iis omnibus, quæ ad vitam æternam requiruntur, donatus fuerit a Philippo qui ab angelo ad eum missus erat, ut eum ad salutem perduceret. Atqui baptismum ei duntaxat, non autem Eucharistiam impertiit. Ergo.

Probatur 2. ex symbolo, in quo dicitur baptisma esse in remissionem peccatorum.

Probatur 3. testimoniis Patrum, qui uno ore vim eam baptismo tribuunt, ut peccata omnia abstergat & æternæ vitæ januam aperiat. E Græcis omnium instar sit Cyrillus Hierosolymitanus *in procatechesi*, ubi

ubi sic habet: " Magnum est propositum hoc baptisma, captivorum
" liberatio, peccatorum remissio, animæ regeneratio, regni cœlestis
" conciliatio, adoptionis filiorum charisma. " *Catecbesi* autem 2. *mystagogica*, " Nemo igitur existimet quod baptisma tantum remissionem
" peccatorum præstet, sed etiam quod gratiam adoptionis filiorum con-
" ciliet. " Similia habent Basilius & alii.

E Latinis unus pariter pro omnibus Augustinus loquetur. Is autem *epistola* 98. *ad Bonifacium*, *num.* 10. " Parvulum, . . . inquit, ipsius fi-
" dei sacramentum fidelem facit. Nam sicut credere respondetur, ita
" etiam fidelis vocatur. Cum autem . . . . sapere cœperit, non illud
" sacramentum repetet, sed intelliget, ejusque veritati consona etiam
" voluntate coaptabitur. Hoc quandiu non potest, valebit sacramentum
" ad ejus tutelam, & tantum valebit, ut si ante rationis usum ex hac
" vita emigrarit, per ipsum sacramentum ab illa condemnatione quæ
" per unum hominem intravit in mundum, liberetur. " *Epistola* autem 166. *ad Hieronymum num.* 5. " Certus sum, . . . inquit, animam,
" quæcunque sine gratia mediatoris, & sacramento ejus in qualibet
" corporis ætate corpore exierit, & in pœna futuram, & in ultimo ju-
" dicio recepturam corpus ad pœnam: si autem . . . . regeneretur in
" Christo ad ejus pertinens societatem, & requiem post mortem cor-
" poris habituram, & corpus ad gloriam recepturam. Hæc sunt quæ de
" anima firmissime teneo. " Denique *libro* 1. *de peccatorum meritis cap.* 19. *num.* 25. " Cæterum, inquit, quis ignorat quod baptizatus parvu-
" lus, si percepto baptismate de hac vita emigrarit, soluto reatu, cui
" originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod
" incommutabiliter manens in æternum justificatos præsentia creatoris
" illuminat. Peccata enim separant inter homines & Deum, quæ sol-
" vuntur Christi gratia, per quem mediatorem reconciliamur, cum ju-
" stificat impium. " Quo postremo in loco non tantum id docet Augustinus, quod nos astruimus, sed & rationem validissimam suppeditat, qua illud conficiatur. Peccata enim sola separant inter Deum & hominem, quæ baptismate solvuntur.

PROBATUR 4. judicio eorum Patrum, qui istam ex professo controversiam pertractarunt.

Fulgentius, Augustini discipulus, a Ferrando diacono consultus super salute pueri Æthiopis, qui baptizatus e vita migraverat, antequam Eucharistiam susciperet, post longam ac gravem ea de re disputationem, tandem *epistolæ cap.* 5. sic ait; " Quoniam ergo de illa Domi-
" ni sententia sumpsimus disputationis exordium, quæ statuit, quia
" *Omnis qui crediderit & baptizatus fuerit, salvabitur*, illum puerum sal-
" vatum esse credamus, in quo nihil defuisse eorum quæ ad baptisma-
" tis officium atque effectum pertinent, invenimus.

Lanfrancus *epistola* 33. " Infantem, inquit, . . . non baptizatum, si
" morte imminente urgeatur, a fideli laico, si presbyter desit, bapti-

" zari

„ zari posse canones præcipiunt, nec eum tamen, si statim moriatur,
„ a consortio fidelium sejungunt.

Huc quoque referri potest Eusebius vulgo Emisenus, *homil. de Pentecoste*, *tomo* 5. *biblioth. Patrum*; ubi baptismum ad vitam æternam sufficere decernit. Ibi differens de necessitate baptismi & confirmationis, postquam Eucharistia dabatur, ait continuo, transituris sufficere rege-
„ nerationis beneficia, & regenerationem per se salvare mox in pace
„ beati seculi recipiendos.

Probatur 5. decreto synodi Tridentinæ *sess.* 21. *can.* 4. " Si quis
„ dixerit parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, neces-
„ sariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.

Hujus decreti rationem efficacissimam attulerant Patres jam *cap.* 4. his verbis: " Sancta synodus docet parvulos usu rationis carentes nulla
„ obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem; si-
„ quidem per baptismi lavacrum regenerati & Christo incorporati, ade-
„ ptam jam filiorum Dei gratiam amittere in illa ætate non possunt.

Et certe Eucharistia infantibus necessaria foret, vel ad consequendam primam gratiam, vel ad eam conservandam. At neutrum dici potest: non 1. quia baptismatis sacramento gratiam primam consequuntur: non 2. quia gratia semel adepta non potest amitti nisi peccato, cujus per ætatem capaces non sunt isti parvuli.

Objicies 1. Illud Joannis 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, & ad Eucharistiam & ad omnes pertinet. Ergo.

Distinguo antecedens: pertinet ad omnes adultos; concedo: etiam infantes; nego.

Instabis. Non minus hæc sententia; *Nisi manducaveritis* &c. ad omnes etiam infantes pertinet, quam ista Joannis 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Atqui. Ergo.

Nego majorem ac paritatem. 1. Enim ipsa loquendi ratio diversa est. Nempe hæc oratio, *Nisi manducaveritis*, &c. dirigitur ad eos qui tunc Christum audiebant, & in eorum persona ad eos qui vim precepti ac comminationis intelligere poterant: ast alia, *Nisi quis* &c. ipso verborum tenore nullum excipit. 2. Res ipsa per se loquitur. Baptismus enim requiritur, ut primam gratiam infundat, unde & dicitur regenerare; Eucharistia vero ut augeat tantum ac conservet in iis qui illam possunt amittere; unde & sub specie alimenti instituta est. 3. Non est luculentior & certior interpres Scripturarum ac mentis Christi quam Ecclesia. At Ecclesia hoc esse discriminis inter utrumque sacramentum semper agnovit.

Objicies 2. Cum Pelagiani negarent labem originis, & ad eludendum Christi dictum, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, quamdam a se excogitatam adhiberent distinctionem inter regnum cœlorum, quo fatebantur privandos parvulos,

los, qui non baptizabantur; & vitam æternam, qua contendebant eos nihilominus esse fruituros; catholici ad Euchariſtiam confugerunt, quæ cum omnibus generatim neceſſaria, & quidem ad vitam æternam perhibeatur, omnes eorum argutias disjiciebat. Sic loquitur Innocentius I. *epiſtola ad Patres concilii Milevit.* quæ inter Auguſtinianas eſt 182. " Quod „ eos veſtra fraternitas aſſerit prædicare parvulos æternæ vitæ præmiis „ etiam ſine baptiſmatis gratia poſſe donari, perſatuum eſt: niſi enim „ manducaverint carnem filii hominis & biberint ſanguinem ejus, non „ habebunt vitam in ſemetipſis: qui autem hanc eis ſine regeneratione „ defendunt, videntur mihi ipſum baptiſmum velle caſſare, cum prædi„ cant hos habere, quod in eos creditur non niſi baptiſmate conferen„ dum. " Hanc ſententiam apoſtolicæ ſedis laudat Auguſtinus *epiſtola 186. num. 28. & 29. ad Paulinum*, & verba eo pertinentia refert *lib. 2. ad Bonifacium cap. 4.* Hujus quoque meminit *lib. 10. adverſus Julianum num. 13.* Ipſe vero Auguſtinus, *lib. 1. de peccatorum meritis cap. 20.* " Ha„ bent, inquit, quo confugiant, ... quia non ait Dominus, *Si quis non* „ *renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non habebit vitam*, ſed ait, *non intra*„ *bit in regnum Dei* ..... Auferatur ergo dubitatio: jam Dominum audia„ mus; non ſuſpiciones conjecturaſque mortalium: ſed Dominum audiamus, „ non quidem de hoc ſacramento lavacri dicentem, ſed de ſacramento ſanctæ „ menſæ ſuæ, quo nemo rite, niſi baptizatus, accedit, *Niſi manducaveritis* „ *carnem meam, ... non habebitis vitam in vobis*. Quid ultra quærimus? quid ad „ hoc reſponderi poteſt, niſi pertinacia pugnaces nervos adverſus conſtan„ tiam perſpicuæ veritatis intentam? An vero quiſquam etiam hoc dicere au„ deat, quod ad parvulos hæc ſententia non pertineat? poſſintque ſine par„ ticipatione corporis ejus & ſanguinis in ſe habere vitam, quia non „ ait, *Qui non manducaverit*, ſicut de baptiſmo, *Qui non renatus fuerit*, „ ſed ait, *Si non manducaveritis*, velut eos alloquens qui audire & in„ telligere poterant: quod utique non valent parvuli. Sed qui hoc di„ cit, non attendit, quia niſi omnes iſta ſententia teneat, ut ſine cor„ pore & ſanguine filii hominis vitam habere non poſſint, fruſtra etiam „ ætas major id curat. Poteſt enim, ſi non voluntatem, ſed verba lo„ quentis attendas, eis ſolis videri dictum, quibus tunc Dominus lo„ quebatur: .... ac per hoc etiam pro parvulorum vita caro data eſt, „ quæ data eſt pro ſeculi vita: & ſi non manducaverint carnem filii „ hominis, nec ipſi habebunt vitam. " Gelaſius Papa *epiſt. ad epiſcopos Picenæ provinciæ* eoſdem Pelagianos eadem ſententia revincit. " Ipſe Do„ minus Jeſus Chriſtus, inquit, cœleſti voce pronunciat, *Qui non man*„ *ducaverit carnem:* ubi utique neminem videmus exceptum: nec opus „ eſt aliquem dicere parvulum ſine hoc ſacramento ſalutari ad æternam „ vitam poſſe perduci. Sine autem illa vita in perpetua futurum mor„ te non dubium eſt. " Ergo juxta illos pontifices & Auguſtinum manducatio corporis & ſanguinis Chriſti ita parvulis neceſſaria eſt, ut ſine ea privandi ſint æterna etiam vita.

DISTINGUO antecedens: parvulis necessaria est corporis Christi manducatio spiritalis, hoc est incorporatio cum Christo; concedo: manducatio sacramentalis; nego. Summis his pontificibus & Augustino visus est Christus commendasse ac præscripsisse hoc Joannis loco, omnibus etiam infantibus corporis sui manducationem vel sacramentalem, vel saltem spiritalem, quæ incorporatio est cum Christo, non vero sacramentalem necessario.

Quod enim Augustinus v. g. sacramentum ipsum Eucharistiæ parvulis necessarium non esse, sed baptismum iis sufficere ad salutem arbitratus fuerit, ex *supra* dictis manifestum est.

Quod autem ad incorporationem illi omnes veteres modo allegati potissimum aspiciant, multis momentis evinci potest.

1. Est, quod Innocentius de certa manducandi corporis Christi ratione loquatur, quæ credatur parvulis ipso baptismate conferenda.

2. Quod ipse Augustinus se ipsum interpretetur hoc eodem in opere *lib.* 5. *cap.* 4. " Quid autem apertius, inquit, tot tantisque testimo„ niis divinorum eloquiorum, quibus dilucidissime apparet nec præter „ Christi societatem ad vitam salutemque æternam, quemquam homi„ num posse pervenire, nec .... posse juste aliquem damnari: .... unde „ fit consequens, ut quoniam nihil agitur aliud, cum parvuli baptizan„ tur, nisi ut incorporentur Ecclesiæ, id est Christi corpori membris„ que ejus socientur, manifestum fit eos ad damnationem, nisi hoc eis „ collatum fuerit, pertinere." *Ibidem*, " Nunquid etiam illud, quia „ nisi manducaverint homines carnem ejus, hoc est participes facti fue„ rint corporis ejus non habebunt vitam... Nonne veritas sine ulla am„ biguitate proclamat, non solum in regnum Dei non baptizatos par„ vulos intrare non posse, sed nec vitam æternam posse habere præter „ Christi corpus, cui ut incorporentur, sacramento baptismatis imbuun„ tur." *Tractatu* denique 26. *in Joannem*, *num.* 15. ad hæc verba, *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam*, " Qui eam non sumit, „ inquit, non habet vitam, & qui eam sumit, habet vitam, & hanc „ utique æternam. Hunc itaque cibum & potum, societatem vult in„ telligi corporis & membrorum suorum: quod est sancta Ecclesia. „ Hujus rei sacramentum, id est veritatem corporis & sanguinis Chri„ sti, ... de mensa dominica sumitur, quibusdam ad vitam, quibusdam „ ad exitium; res vero ipsa cujus sacramentum est, omni homini ad „ vitam, nulli ad exitium, quicunque ejus particeps fuerit." Ibi, ut patet, ad incorporationem præsertim spectat, remque sacramenti ab ipso sacramento secernit.

3. Quod Fulgentius, Augustini discipulus, magistri sententiam eo prorsus quo nos modo, licet aliis verbis explicet. Cum enim Ferrandus *supra* contra salutem pueri Æthiopis, de quo interrogabat Fulgentium, objecisset verba illa Christi, *Nisi manducaveritis* &c. quod Æthiops ille morte præventus præstare non potuerat; sic respondet Fulgentius *cap.* 11.

„ Nul-

" Nullus autem moveri debet fidelium in illis, qui præveniente velo-
,, cius morte, carnem manducare & sanguinem bibere non finuntur,
,, propter illam videlicet sententiam Salvatoris, qua dixit, *Nisi man-*
,, *ducaveritis*, &c. quod quisquis non solum secundum veritatis myste-
,, ria, sed secundum mysterii veritatem considerare poterit, in ipso
,, lavacro regenerationis hoc fieri providebit. Quid enim agitur sacra-
,, mento sancti baptismatis, nisi ut credentes membra Domini nostri
,, Jesu Christi fiant & ad compagem corporis ejus ecclesiastica unitate
,, pertineant? . . . . Quocirca quoniam *unus panis*, *unum corpus multi*
,, *sumus*, tunc incipit unusquisque particeps esse illius unici panis,
,, quando cœperit membrum esse illius unius corporis, quod in singu-
,, lis membris, quando in baptismo capiti Christo subjungitur . . . . .
,, Qui ergo membrum corporis Christi fit quomodo non accipit quod
,, ipse fit . . . . Quod etiam sanctos Patres indubitanter credidisse ac do-
,, cuisse cognoscimus. Beatus quoque Augustinus de hac re sermonem fecit
,, admodum luculentum. " Tum subdit sermonem Augustini ad infantes,
in quo sic ille ait: " Corpus ergo Christi si vis intelligere, aposto-
,, lum audi dicentem fidelibus, *Vos estis corpus Christi & membra ejus.*
,, Si ergo vos estis corpus Christi & membra, mysterium vestrum in
,, mensa Domini positum est, mysterium Domini accipitis. " Nihil
est profecto ista professione apertius, nihil hac auctoritate majus: quod
enim nos vocamus *manducationem spiritalem ac sacramentalem*, Fulgen-
tius appellat *mysterium veritatis*, *& mysterii veritatem*: hanc vero so-
lam necessariam esse, non autem illud contendit, ex mente ejusdem
Augustini.

4. Est, quod Lanfrancus ad id etiam eamdem omnino responsio-
nem adhibeat. " Sententia illa, inquit, quam Dominus in evange-
,, lio dicit, *Nisi manducaveritis*, quantum ad comestionem oris, non
,, potest generaliter dicta esse de omnibus. Necesse est ergo sic intelli-
,, gi, quod exponens B. Augustinus ait, hoc est . . . . carnem Christi
,, ... comedere, ... in Christo manere, & Christum in se manen-
,, tem habere.

Instabis. Ista incorporatio fit in baptismo. At non videntur illi Pa-
tres de baptismo loqui.

Respondeo revera eos loqui de incorporatione, quæ baptismo fiat,
ut in Eucharistiæ sacramento, quam in rem diserti sunt in primis Fulgentius
& Innocentius.

Instabis. Augustinus profitetur se scribere de sacramento, non sacri
lavacri, sed sacræ mensæ, quo nemo rite, nisi baptizatus accedit.

Distinguo: de sacramento sacræ mensæ considerato penes effectum
ipsi quidem jure peculiari proprium, sed baptismo etiam aliunde commu-
nem; concedo: de sacramento penes speciem sensibilem; nego. Agit de
sacramento mensæ sanctæ, ad quod nemo rite, nisi baptizatus accedit; sed
non quatenus ad illud nemo nisi baptizatus accedit.

Instabis. Cur ergo Eucharistiam non baptisma commemorat Sanctus Augustinus?

Respondeo hujus rei triplicem esse causam. Prima est, quod hujusmodi incorporatio verbis Eucharistiam pollicentibus commendata fuerit. Secunda, quod Eucharistiæ jure proprio conveniat. Tertia, quod tunc infantibus post baptismum Eucharistia dari soleret: proinde incorporatio cum Christo ei potius quam baptismo propter superiores duas rationes videretur ascribenda.

ASSERTIO II.

Eucharistia adultis necessaria est præcepto divino.

Probatur his Christi verbis: *Nisi manducaveritis* &c. Cum enim illa non sonent necessitatem medii, ut jam ostendimus, arguunt necessitatem præcepti divini.

Cum autem a Christo institutum sit sacramentum istud, ut habeamus, id est conservemus vitam in nobis, dubium esse non potest, quin sæpe ac frequenter per vitam salutare hoc sacramentum, præcipue vero dum instat mortis periculum, sumere teneamur.

ASSERTIO III.

Eucharistia necessaria est adultis necessitate præcepti etiam ecclesiastici.

Probatur decretis Conciliorum tum Lateranensis IV. *can.* Omnis utriusque sexus, tum concilii Tridentini *sess.* 13. *can.* 9. ubi Patres sanciunt omnes ac singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum.

SECTIO II.

De communione sub utraque specie.

Observandum est 1. Christum sub utraque specie Eucharistiam instituisse ac præbuisse apostolis in ultima cœna.

2. Utramque seorsim hujus venerabilis sacramenti speciem per mille & amplius annos in Ecclesia vulgo fuisse oblatam ac datam omnibus fidelibus.

3. Cum propter populi Christiani multitudinem, & negligentiam in hujusmodi communione plurima incommoda occurrerent, præsertim vero pretiosus sanguis sæpe effunderetur; ut ea vitarentur incommoda, morem alicubi invaluisse, ut sanguis Christi e calice fistulis hauriretur, multo autem pluribus in locis ut panis Eucharistiæ intinctus

ctus vino consecrato singulis distribueretur: de quo B. Rhenanus ad Tertullianum *de corona militis*; Georgius Cassander *de communione sub utraque specie*, & alii recentiores.

4. Cum ne his quidem Ecclesiæ cautionibus hæc omnia tolli potuissent offendicula, populos ultro ac sponte sua sensim ab utraque specie postulanda ac suscipienda abstinuisse, ita ut XIV. seculo unius speciei usus ubique fere obtineret.

5. Anno 1414. Petrum Dresdensem Pragæ in Bohemia ludimagistrum & Joannis Hus sectatorem, cum in hanc Christi *Joannis 6.* sententiam incidisset, *Nisi manducaveritis*, &c. Jacobello Misnensi, qui in eadem urbe magno auditorum concursu conciones habebat, persuasisse ut publice declamaret adversus istam unius speciei consuetudinem, qua tenebatur orbis terrarum, quo ille lubens suscepto, palam prædicare cœpit communionem sub utraque specie ita singulis esse necessariam, ut nemo eam sine sacrilegio omittere posset. Hi sunt primi auctores illius dogmatis, quod hæretici exceperunt summo applausu, tanquam errori suo fulciendo suisque saturandis in Ecclesiam Romanam universumque clerum odiis opportunissimum ac per omnem Bohemiam brevi tempore, & nullo fere negotio disseminarunt.

6. Hunc errorem Bohemorum delatum esse anno 1415. ad Patres concilii Constanciensis *sess.* 13. qui decreto suo universæ Ecclesiæ ritum roboraverunt, eumque esse licitum adversus gliscentem hæresim definierunt. " Cum in nonnullis, inquiunt, mundi partibus quidam " temerarie asserere præsumant populum Christianum debere sacramen- " tum sub utraque specie panis & vini suscipere .... contra lauda- " bilem Ecclesiæ consuetudinem rationabiliter approbatam, quam tan- " quam sacrilegam damnabiliter reprobare conantur, hinc est quod " hoc præsens concilium sacrum generale Constanciense .... adversus " hunc errorem saluti fidelium providere satagens, ... definit .... " quod hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula & scandala est " rationabiliter introducta, quod licet in primitiva Ecclesia hujusmo- " di sacramentum reciperetur a fidelibus sub utraque specie, postea .. " .. a laicis tantummodo sub specie panis suscipiatur, cum firmissi- " me credendum sit & nullatenus dubitandum, integrum Christi cor- " pus & sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini vera- " citer contineri: unde cum hujusmodi consuetudo ab Ecclesia, & " sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutissime observata sit, " habenda est pro lege, quam non licet reprobare aut sine Ecclesiæ " auctoritate mutare. Quapropter dicere quod hanc consuetudinem aut " legem observare sit sacrilegum aut illicitum, censeri debet erroneum, & " pertinaciter asserentes oppositum præmissorum, tanquam hæretici arcen- " di sunt & graviter puniendi.

7. Lutherum initio non damnasse ritum Ecclesiæ catholicæ de unius speciei usu.

8. Calvinum *lib.* 4. *institutionis*, *cap.* 17. scripsisse ex diaboli officina prodiisse constitutionem, quæ populo Dei dimidiam sacræ cœnæ partem vel furata est, vel eripuit, nec posse aliter quam sub duplici specie hoc sacramentum ex præcepto Christi suscipi.

9. Id ipsum placuisse postmodum Luthero, idque cum Lutheranos tum Calvinianos exinde definiisse.

1. Utrosque tamen sanxisse ut sub una specie panis Eucharistia daretur abstemiis. Vide *Ecclesiasticam disciplinam ecclesiarum reformatarum*, *cap.* 17. *art.* 7.

ASSERTIO I.

Necessarius non est singulis utriusque speciei usus.

Probatur. Non potest istius modi communio fingi necessaria, nisi vel ad sumendum totum Christum, vel ad constituendum sacramentum, vel ad sacramenti gratiam percipiendam, vel ad implendum peculiare aliquod Christi mandatum. At ex his nihil est quod evincat eam necessariam esse.

Non primum, quod sub una specie non sit totus & integer Christus: totum enim esse Christum sub qualibet specie recte definit concilium Trid. *sess.* 13. *can.* 3.

1. Enim id colligitur ex tribus fidei capitibus in Scriptura diserte enunciatis, in quæ nobiscum Lutherani consentiunt: primum est, quod in Eucharistia vere sit corpus Christi: secundum est, quod ut dicitur Rom. 6. *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur*: tertium quod, ut habetur Joannis 1. *Verbum caro factum sit*: proinde humana natura cum divina indivulso nexu sit conjuncta. Ex iis enim sequitur non tantum carnem Christi in una specie esse, sed etiam non esse in ea sine sanguine & anima ac divinitate.

2. Accedit ratio evidens. Quotiescunque enim plura secum invicem copulata sunt, non potest eorum unum esse alicubi, quin & reliqua quoque sint, nisi illud aliis latius pateat. Atqui in Christo connexa & colligata sunt humanitas, divinitas, corpus, anima & Verbum. Ergo.

Secundum de sacramento non magis urget. Unaquæque enim species cum seorsum ab alia sumitur, veri nominis est sacramentum.

Eucharistiæ enim sacramentum spectari potest, vel quatenus est aliquid sensibile, divinam gratiam conferre efficax; vel quatenus est signum spiritualis animæ refectionis; vel quatenus est expressio mortis Christi; vel denique quatenus est imago societatis fidelium inter se. Atqui ad hæc singula unaquæque species sufficit.

1. Enim quælibet species potest divinam gratiam conferre, cum totum Christum in se contineat, qui est fons & origo omnium gratiarum.

2. Quæ-

2. Quælibet ſpecies poteſt eſſe ſignum ſpiritualis animæ refectionis. Quamvis enim cibus ac potus, quando ad refectionem corporis concurrunt, diſtinguantur vulgo, hæc unum idemque ſunt menti, ut ratio ipſa docet, & manifeſtum eſt ex Scriptura, *Matth.* 5. *Eccli.* 24. *&* *Joan.* 6.

3. Una ſpecie adumbratur mors Chriſti. Quid enim obſtat quominus corpus ſine ſanguine, vel ſanguis ſine corpore ſymbolum mortis eſſe queat, ut ſub ſpecie panis vi verborum ponitur ſolum corpus, non ſanguis, ac pariter ſub ſpecie vini ſolus ſanguis eſt, non corpus?

4. Sola ſpecies panis aut vini imago eſſe poteſt arctæ fidelium inter ſe ſocietatis: utrumque enim, ut obſervat Auguſtinus, ex multis in unum redactis conflatur.

Tertium, quod ad gratiam ſacramenti pertinet, non eſt gravioris ponderis. Quid enim gratiæ deſit illi qui totum habeat Chriſtum! certe deeſſe ſaltem non poteſt gratia aliqua neceſſaria ad ſalutem: atque adeo penes gratiam non poteſt ſub utraque ſpecie communio ſingulis neceſſaria cogitari.

Quartum de præcepto divino gratis aſſeritur: nullum enim revera Chriſti mandatum eſt de utraque ſpecie ſacramenti neceſſario a ſingulis ſumenda.

Hoc autem pluribus momentis demonſtrari poteſt

1. Ex Scripturis petitur, quæ id multis modis innuunt. 1. Enim, ut notat ſynodus Tridentina *ſeſſ.* 21. *cap.* 1. qui dixit, *Niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis;* dixit quoque, *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum:* qui dixit, *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*: dixit etiam, *Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*: is denique qui dixit, *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo*, dixit nihilominus, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*: quo quidem ſatis aperte indicavit Chriſtus tantumdem eſſe, ſi quis manducet carnem & panem ſumat, ac ſi corpus ſeorſim manducaret & biberet ſanguinem. 2. Apoſtolus evidenter quoque arguit communionem fieri poſſe ſub una ſpecie, eumdemque eſſe alterutrius ac duplicis ſpeciei effectum, cum ſic loquitur utramque diſtinguens 1. Cor. 11. *Itaque quicunque manducaverit panem hunc vel biberit calicem* &c. Si enim tam qui indigne manducat corpus Chriſti, quam qui bibit indigne ſanguinem ejus, ex æquo reus eſt corporis ſimul & ſanguinis Domini, cur qui tantum manducat carnem Chriſti, modo digne eam manducet, non eumdem fructum percipiat, quem percepiſſet, ſi digne etiam bibiſſet ſanguinem? 3. Tandem juxta multos veteres ac recentiores interpretes de Euchariſtia intelligitur, id quod *Lucæ* 24. narratur de diſcipulis in Emmaus profectis, qui cognoverunt Chriſtum in fractione panis. Quod ſi ita eſt, Chriſtus ipſe

discipulos suos, modo sub duplici, modo sub una specie communicaverit. Nam hoc in casu solam panis speciem iis dedit. Ibi enim legitur, *Et factum est dum recumberet cum discipulis, accepit panem & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis: & aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum, & ipse evanuit ex oculis eorum.* Porro si ejus unam tantum speciem discipulis dedit; quidni licita sit ea communio, quam Dominus ipse exemplo comprobaverit?

2. Est Ecclesiæ veteris usus. Ut enim jam animadvertimus, non est melior Christi interpres traditione apostolica; nullum autem certius est apostolicæ traditionis argumentum constanti Ecclesiarum omnium consensu. Atqui Ecclesia jam a primis seculis, quod licita esset communio sub una specie, eam multis in occasionibus permittendo & usurpando, demonstravit. 1. Enim in communione ægrotorum id passim obtinuit, ut una species præberetur.

Dionysius Alexandrinus *epistola ad Fabium Antiochenum*, apud Eusebium *lib. 6. cap.* 44. narrat senem quemdam nomine Serapionem pœnitentiæ addictum ac proximum morti, misisse quantocius ad presbyterum, qui ipsum Eucharistia tanquam viatico donaret: presbyterum autem eum morbo detineretur, dedisse puero exiguam Eucharistiæ partem, jubentem ut domi madefactam in os senis instillaret. Addit vero, " Mox puer illam intinxit, & in os senis infudit, qui ea paulatim absorpta, continuo animam exhalavit. An non igitur apparet, inquit, eum reservatum fuisse, & tantisper in vita permansisse quoad reconciliaretur? " Ex hoc autem facto, quod ipse Deus miraculo illustravit, manifeste colligitur communio sub una specie tunc temporis usitata 1. Enim æger ille participavit Eucharistiam, quam presbyter apud se habebat: at vulgo non servabatur sanguis Christi, nec vero facile servari poterat. 2. Inde patet datam puero fuisse solam speciem panis, quod presbyter dicatur dedisse exiguam Eucharistiæ partem, & imperasse ut ea domi intincta senis ori infunderetur: intincta autem illa non fuit in vino consecrato, sed in liquore obvio: nam puero non dedit presbyter vinum, sed panem, jussitque ut apud se eum madefaceret, quo facilius a sene deglutiretur. Vinum porro consecratum apud se non habebat ille senex, qui Eucharistiam postulabat, & a sacris altaribus arcebatur. Postea vero mos nondum invaluerat, ut Eucharistia intincta vino consecrata daretur. Quotiescunque enim ambas species sumebant, semper usurpabant seorsim. Consuetudo autem intingendi Eucharistiam prodiit primum VII. seculo, quo & a synodo Bracarensi damnata est *capitulo* 2.

Paulinus diaconus *in vita Ambrosii*, referens ejus obitum, memorat summum hunc pontificem in extremis positum solo corpore Christi donatum fuisse ab episcopo Vercellensi, " Honoratus autem, inquit, sacerdos ecclesiæ Vercellensis, cum in superioribus domus se ad quiescendum composuisset, tertio vocem vocantis se audivit, dicentisque

" sibi,

„ ſibi, Surge, feſtina, quia modo eſt receſſurus: qui deſcendens obtu-
„ lit ſanctum Domini corpus, quo accepto, ubi glutivit, emiſit ſpiri-
„ tum, bonum viaticum ſecum ferens.

Neque eſt quod hæretici reſpondeant per ſynecdochen nomine *corporis* utramque ſacramenti ſpeciem intelligi oportere.

1. Enim nullum rei iſtius in hac hiſtoria veſtigium eſt. 2. Si utramque ſpeciem ſuſcepiſſet Ambroſius, hanc hiſtoriam tenens Paulinus ejus diſcipulus ac diaconus, longe utique potius dixiſſet eum animam efflaſſe accepto ſanguine, qui ultimus dari conſueverat, quam accepto corpore, quod ſanguine prius tradebatur.

Adde vitam S. Baſilii aſcriptam Amphilochio, Amalarium *de officiis eccleſiaſticis lib.* 3. *cap.* 25. Necrologium *cap.* 17. in quibus eamdem erga ægrotos diſciplinam reperias.

Et vero conſule antiquitatis decreta de ſervando ad viaticum Euchariſtiæ ſacramento; & deprehendes ſolius panis mentionem fieri. Profecto per plures dies ad eum uſum ſervabatur. Quis autem non videat id in vino locum habere non potuiſſe, niſi penitus aceſceret. Certe, ut obſervat Arcudius *lib.* 3. *de Euchariſtia cap.* 55. Græcorum presbyteri Euchariſtiam conficiunt feria 5. ſanctioris hebdomadæ in memoriam cœnæ Domini, ut habeant viaticum pro infirmis per totum annum. Illam quidem conſignant ſacro ſanguine in formam crucis, ſed ſimul igne ſtatim omnem ab ea humorem ita exprimunt, ut brevi vinum illud evaneſcat, neque quidquam ex eo remaneat ad inſtar potus, quod maxime hæretici poſtulant ut divino jure neceſſarium. De hoc adi P. Goar & Allatium. Neque tamen propterea negaverimus infirmis aliquando traditam eſſe utramque ſpeciem, quando nempe ſtatim a ſacro Euchariſtia ad eos deferebatur: quod nonnullis exemplis firmari poteſt: 1. Ex codice manuſcripto S. Remigii, apud Menardum *in notis ad ſacramentarium S. Gregorii*, in quo ad communionem infirmi utraque formula ſeparatim ponitur, *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat te in vitam æternam. Sanguis Domini noſtri Jeſu-Chriſti redimat te in vitam æternam*. 2. Ex concilio Toletano XI. *can.* 2. 3. Ex vita Lutberti Cameracenſis epiſcopi *tomo XI. ſpicilegii*, de quo dicitur quod "percipiens via-
„ ticum corporis & ſanguinis Chriſti, ... ſuum tradiderit ſpiritum." 4. Ex Beda apud Reginonem *lib.* 1. *de eccleſiaſticis diſciplinis cap.* 119. decernente ut infirmus ſacra unctione delibutus ſtatim corpore & ſanguine Domini recrearetur.

2. In communione puerorum una ſacramenti ſpecies præſtabatur; ſanguinis quidem recens natis, panis autem aliis.

Cyprianus *libro de lapſis*, narrans hiſtoriam cujuſdam puellæ, quæ a nutrice delata in fanum aliquod idolorum, panem mero mixtum ibi guſtaverat; ac poſtea Euchariſtiam in Eccleſia ſibi præbitam pollutis viſceribus continere non potuit, ſolius calicis meminit, "Ubi vero, inquit,
„ ſolemnibus adimpletis calicem diaconus offerre præſentibus cœpit, &

„ acci-

„ accipientibus cæteris locus ejus advenit, ... calicem recusare cœpit ; „ perstitit diaconus, & reluctanti licet de sacramento calicis infudit : „ tunc sequitur singultus ac vomitus: in corpore atque ore violato Eu- „ charistia permanere non potuit &c. " Quid vero ad hæc hæretici reponant? An quod præ ætate panem deglutire illa non posset? sed panem mero mixtum in delubro sumpserat. An quod e calice intinctus vino panis ei datus fuerit? at is intingendi mos nondum vigebat: deinde calicem delibavit, quomodo & reliqui omnes: tandem reluctanti diaconus Eucharistiam infudit. At non ita si panis extitisset. Denique potus fuit, ut affirmat conceptis verbis Cyprianus. An quod ante calicem gustasset de pane eucharistico? quo ergo pacto factum est, ut panem oblatum sponte & ultro admitteret, solum autem calicem respueret? Si vero panem similiter aversata est, cur id soli sanguini Christi sanctus doctor ascribit? Hunc eumdem ritum sequenti ævo perstitisse habemus ex Jovio *de incarnat. lib.* 8. *cap.* 18. & Hugone Victorino *lib.* 1. *de sacramentis cap.* 20. Idem hac etiam ætate usurpari apud Græcos cæterosque passim orientales testes sunt Arcudius *lib.* 2. *cap.* 40. Allatius *epistola ad Nihusium*; Goar, Abraham Echellensis, Gabriel Sionita, &c.

Enimvero cum baptismus recens natis adhiberetur, & statim post baptismum Eucharistia eis præberetur, quia præ tenella ætate panem suscipere non poterant, sub sola vini specie Eucharistia donabantur: cæteri autem grandiores panis eucharistici reliquias consumebant: cujus moris plurima argumenta nuper protulimus.

3. Idem illud de una specie observabatur in communione domestica, quæ diutius in Ecclesia obtinuit, donec ob pravos quosdam abusus abrogata tandem fuit.

In hac enim communione domestica unus passim usurpabatur panis, quem solum ab Ecclesia vulgo asportabant Christiani.

Tertullianus *lib.* 2. *ad uxorem*, " Non sciet maritus quid secreto ante „ omnem cibum gustes? & si sciverit panem, non illum credit esse qui „ dicitur. " *Libro autem de oratione pag.* 155. " Accepto corpore Do- „ mini & reservato &c.

Cyprianus *libro de lapsis* commemorans hominem qui impiis sacrificiis contaminatus Eucharistiam accipere & in ædes suas deferre veritus non fuerat, " Partem cum cæteris, inquit, ausus est latenter accipere; „ sanctum Domini edere & contrectare non potuit, cinerem ferre se „ apertis manibus invenit.

Basilius *epist. ad Cæsarium* patricium, " Quod autem tempore perse- „ cutionis nihil mali sit, si quis absente sacerdote Eucharistiam propria „ manu sumat superfluum est demonstrare, propterea quod longa con- „ suetudo id reipsa confirmavit: omnes enim qui in eremis solitariam „ vitam agunt, ubi sacerdos nullus est communionem Domini servan- „ tes, per seipsos participant; in Alexandria vero & Ægypto unusquis- „ que,

que, etiam ex laicis, ut plurimum, habet domi suæ communionem, & cum vult, per seipsum communicat. Etenim in Ecclesia sacerdos particulam tradit; detinet autem eam cum libertate, qui suscipit. " Imo vero Eucharistiam per annum integrum servabant, quod de iisdem anachoretis refertur *in prato spirituali cap.* 79. Lege quoque Arcudium *lib.* 3. *cap.* 59. Idem etiamnum apud Orientales usitatur, ut panem solum in domum suam deferant, teste Abrahamo Echellensi, *supra*. In his autem omnibus, ut perspicere est, solius corporis ac panis mentio fit, cujus particulam manu acceptam quisque deferebat in ædes suas & per multum temporis servabat. Ista porro non quadrant in vinum. Et sane unicuique dabatur sanguis ore bibendus ex eodem calice, non aliquo vase excipiendus, nisi forte id extra ordinem alicui tribueretur: quod erga Gorgoniam sororem suam factum esse innuit Gregorius Nazianzenus *in ejus laudatione*.

4. In ipsa publica & in Ecclesiis frequentari solita communione idem etiam fiebat. Ibi enim, etsi gemina sacramenti species offerebatur, nemo tamen ad utramque cogebatur. Scribit Sozomenus *capit.* 5. *lib.* 8. B. Chrysostomi ævo fœminam quamdam Macedonianorum, quæ cum in gratiam mariti simularet catholicam, venerit aliquando in templum, ubi more catholicorum Eucharistiam manu acceperit, submisisse tunc caput, & panem alium, quem domo attulerat, loco Eucharistiæ sibi datæ, comedere voluisse; sed panem istum subito in lapidem esse conversum, quo prodigio stupefacta veram religionem amplexa sit. Mulier illa volebat quidem Eucharistiam ritu catholicorum videri accipere, non tamen eam suscipere: & sperabat fore ut lateret; at latere non potuisset sperare, si ut panem manu accipere, ita e calice sanguinem bibere necessario debuisset. Ergo id uniuscujusque arbitrio permittebatur.

Leo *sermone* 4. *de quadragesima* advertit diu latuisse in Ecclesia, qui panem eucharisticum accipere consueverant cum cæteris, a calice autem abhorrebant. At nisi libera fuisset ea etiam in ecclesiis ejusmodi communio, illico fuissent detecti. Ergo.

Adjice jam liturgiam præsanctificatorum, quam Græci omnibus quadragesimæ diebus præterquam sabbato & dominica, Latini autem sacro die parasceves frequentant: ad eam enim solus panis servatur: is autem ritus est antiquissimus, cum illius meminerit IV. jam seculo synodus Laodicena, & ab eo tempore Quini-sexta *can.* 52. ordo Romanus & alii. Quapropter omni ævo fas fuit olim Eucharistiam in publico etiam conventu sub una specie sumere, perinde ac sub duplici.

Objiciunt 1. illud Joannis 6. v. 54. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ergo præceptum Christi violat, & sacramenti mediam partem furatur ac subtrahit, qui carnem Christi tantum manducandam præbet, non vero etiam ejus sanguinem. Ita passim post magistrum suum Calviniani.

Res-

Respondeo 1. eas esse adversariorum partes, ut hanc, quam volunt utriusque speciei necessitatem demonstrent, actoris enim est probare. Cum autem Ecclesia propter antiquitatem suam & auctoritatem longe potioris sit conditionis, non possunt ei vincula injici ac libertas eripi, qua fruitur ab omni ætate, nisi argumenta afferantur ineluctabilia: nobis autem sat esse potest, si eorum impetus infringantur.

Respondeo 2. hoc testimonium adversus communionem eucharisticam sub una specie uti non posse adversarios, qui illud Joannis caput de Eucharistia intelligi oportere sentiunt.

Respondeo 3. non posse id momentum ab iis usurpari, quin se ipsi jugulent atque confodiant. Nam ipsi, ut modo notabamus, abstemiis Eucharistiam impertiuntur sub una specie. Ergo si juxta Christi præceptum, non potest aliter quam sub duplici specie Eucharistia suscipi, nec potest sine utraque sacramentum consistere, edicta ipsa Christi pro arbitrio refigunt, ac mutilant sacramenta.

Neque reponant ipsam necessitatem abstemiis patrocinari. 1. Enim si Christi legem licet ipsis interpretari, quanto magis competet id juri Ecclesiæ catholicæ? 2. Necessitas quidem potest eatenus excusare ut quis non impleat præceptum, non vero ut illud infringat; ut sacramentum non suscipiat, non ut sacrilege truncet ac corrumpat: ut enim notat inter Calvinianos Petrus pseudomartyr *classe* 4. *locorum communium cap.* 11. *sess.* 8. " Licet non semper tenearis facere quod præceptum est, „ quando tamen facis, a dispensatione Dei non est fas discedere.

Respondeo 4. forma solita ad antecedens: juxta verba Christi non potest haberi vita nisi manducetur caro & bibatur sanguis Christi; distinguo: hoc est nisi alterutrum sumatur; concedo: hoc est, nisi utrumque sumatur in morem cibi ac potus; nego. Nempe volebat ibi Christus sacramenti quod aliquando erat instituturus, sanguinisque sui ac carnis commendare necessitatem ad vitam habendam. Porro ad vitam illam res ipsa & sacramentum quidem conducunt, non autem symbolorum varietas. Rem ergo præcepit, modum autem ideo tantum significavit, quia futurum erat, ut sub specie potus ac cibi sacramentum illud institueret & sub utraque sacramentum idem Ecclesia diu usurparet.

Nimirum ubi quid præcipitur & modum a re distinguere licet, fieri sane potest ut quamvis ambo perinde indicari videantur, mandatum tamen in rem solam, non vero etiam in modum cadat: ita cum Christus baptismum imperavit, duo secerni poterant in hac voce, ablutio, & ablutionis modus, hoc est immersio; ablutionem autem præscribebat, non vero etiam immersionem. Attamen hanc immersionem sonabat hæc ipsa vox *baptismi*: hanc ipse Christus adhibuerat: hanc apostoli erant servaturi: eamdem omnis deinceps Ecclesia per plura secula: id ipsimet confitentur adversarii. Dicant ergo ipsi, quæso, cur hanc omittant immersionem; solam vero infusionem aquæ usurpent: quo jure hæc in præcepto Christi distinguant?

Re-

Reponent dubio procul id a se fieri propter Ecclesiæ auctoritatem. Scilicet, inquient, sic Christus baptismum sub immersionis nomine imperavit, sicque ea immersio usitata quondam fuit, ut Ecclesia tamen sciret juxta Christi mentem eam non esse necessariam, sed solam ablutionem, quocumque demum modo illa fieret: inde est, addent, quod baptismum aliter quam per immersionem datum nunquam repudiaverit: imo, subjungent, nisi hæc baptismi ratio citra immersionem legitima esset, jam pridem Ecclesia errasset ac periisset.

At si iis ita fas est arguere ac raciocinari, quidni nobis idem liceat? quidni pariter communionem sub utraque specie Ecclesia a Christo & apostolis sic acceperit, ut simul quoque didicerit rem solam fuisse singulis imperatam, non vero ipsam symbolorum diversitatem. Profecto hæc Christi verba adversarii transferunt ad sumptionem spiritualem corporis ac sanguinis Christi. Explicent igitur, obsecro, an singuli teneantur mente utrumque apprehendere ac complecti ut salvi fiant. Quis vero sanus id asserat? quasi vero satis non sit unicuique, ac rudibus præsertim, ut totum Christum fide percipiant. Hoc autem si ita est in manducatione per fidem, cur non idem in sacramentali sufficiat?

Objiciunt 2. illud Christi Matth. 26. v. 27. *Bibite ex eo omnes*. Ergo Christus voluit, inquiunt, ut omnes biberent e calice eucharistico.

Respondeo 1. verbis his generalibus exceptionem aliquam esse adhibendam, nec id posse inficiari Calvinianos. Certe non possunt accipi de omnibus omnino hominibus; alias id ad infideles etiam extenderetur; nec de omnibus fidelibus, alioquin infantes in eo numero comprehenderentur; imo nec de omnibus adultis, cum ipsi eximant excommunicatos, abstemios &c. Ergo nulli dubium esse potest, quin restringi hanc vocem oporteat. At si ita est, silente Christo, quis judex erit? Calvinus, an Ecclesia?

Respondeo itaque 2. id apostolis solis dictum esse: vocabulum enim illud *omnes* de calice bibendo eodem modo sumitur, quo apud Marcum de calice epoto, Marci 14. v. 23. *Et biberunt ex eo omnes*. Atqui hoc postremum manifeste intelligitur de solis apostolis: neque enim omnes adulti tunc e calice biberunt. Ergo ad apostolos solos pertinuit hoc Christi dictum, quos secum tunc discumbentes alloquebatur: quod etiam historiæ series satis ostendit.

Instant. Cur Christus dixit de calice, *Bibite ex hoc omnes*; de pane non item, *Manducate ex hoc omnes?*

Respondeo id ideo factum esse, quia corpus suum singulis sigillatim distribuerat, calicem autem dabat non singulis, sed uni qui eum proximo, proximus sequenti, ac deinceps traderet. Ne igitur videretur velle, ut is cui dabat calicem, integrum illum hauriret, dixit, *Bibite ex hoc omnes*, seu, ut est apud Lucam, *Dividite inter vos*.

Instant. Iisdem dictum est, *Bibite*, quibus dictum est, *Manducate*. Ergo aut utrumque aut neutrum pertinet ad singulos fideles.

Res-

Respondeo utrumque pertinuisse tantum ad apostolos qui ederant : id autem quod ad eorum posteros pertinet mandatum Christi, ex aliis locis colligitur.

Objiciunt 3. illud Christi Lucæ 19. & 1. Cor. 11. v. 24. *Hoc facite in meam commemorationem*. Ergo id fieri necesse est quod fecit Christus. At Christus utramque speciem sumpsit ac porrexit. Ergo.

Respondeo 1. hanc sententiam ab ipsis adversariis non posse universe accipi : multa enim tunc fecit Christus, quæ singulis certe non sunt necessaria, imo ne necessaria quidem sunt Ecclesiæ : ipse enim consecravit, sumpsit, distribuit præsentibus, certo numero, tempore, loco, ac modo : quis autem ita desipiat, ut ea omnia singulis, imo & Ecclesiæ præscripta esse contendat ? atque adeo his Christi verbis modus adhibendus est. Quis autem eum adhibeat ? an Calvinus pro nutu ac imperio ? an Ecclesia pro tradita sibi ab apostolis rerum divinarum intelligentia ? Ecclesia porro id semper intellexit ibi esse præceptum apostolis datum & eorum successoribus sacrificandi, non vero singulis fidelibus communicandi.

Respondeo 2. ne futuris hæreticis calumniæ locus esset, factum esse velut singulari beneficio Dei, ut id diceretur a Christo post præbitam speciem panis : quod autem spectat ad calicem, non diceretur nisi sub conditione : *Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem* : quod patet, evangelium & apostolum legenti.

Objiciunt 4. illud apostoli 1. Cor. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat*. Ergo unusquisque calicem bibere tenetur.

Nego consequentiam. Ibi enim non edicitur ut quilibet bibat, sed ut nemo bibat, qui prius se non probaverit.

Objiciunt 5. Is finis est Eucharistiæ sacramenti, ut commemoremus Christi passionem. At passio Christi non exprimitur, nisi corpus sit seorsim a sanguine. Ergo.

Distinguo minorem : non exprimitur perfectissime; concedo : quantum satis est; nego. Hoc enim est sacrificium inter ac sacramentum discriminis, quod sacrificium altaris sit imitatio sacrificii in cruce peracti, aut potius eadem immolatio mystico modo repræsentata ; atque adeo ut in cruce sanguis Christi ab ejus corpore separatus fuit, sic & debet esse in immolatione quam quotidie renovamus. At sacramentum non tam est imago mortis Christi, quam memoria, quia scilicet mortis ejus recordamur, dum hostiæ pro nobis immolatæ carnem comedimus. Ad id autem, ut perspicuum est, non requiritur tam perfecta expressio. Certe, ut ait apostolus Rom. 6. v. 4. *Consepulti sumus cum illo* (Christo) *per baptismum in mortem*, quod & repetitur Colos. 2. v. 12. proinde baptismus est adumbratio quædam sepulturæ Christi ac resurrectionis. At id non exprimitur perfecte, nisi per immer-

sio-

ſionem. Ergone idcirco immerſio ad baptiſmi ſacramentum neceſſaria dicenda eſt?

OBJICIUNT 6. Gelaſium ſummum pontificem qui *de conſecratione num. 12. cap. Comperimus*, ſic ait, *in epiſtola ad Majoricum & Joannem epiſcopos*, " Comperimus autem quod quidam ſumpta tantummodo corporis Chriſti portione, a calice ſacri cruoris abſtineant, qui procul dubio (quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur obſtringi) aut integra ſacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia diviſio unius ejuſdemque myſterii, ſine grandi ſacrilegio non poteſt provenire. " Ergo ſanxit ſummus ille pontifex, ut unuſquiſque utramque ſpeciem ſumeret, aut nullam.

DISTINGUO conſequens: ſanxit certum ad tempus ac finem; concedo: ſanxit pro omni tempore, aut quaſi ex præcepto Chriſti id fieri oporteret; nego. Satis enim mentem ſuam ille explicat, aſſignans cauſam hujus decreti: affirmat enim id faciendum propter gliſcentem tunc Romæ ſuperſtitionem ac impietatem. Ea porro ſuperſtitio Manichæorum inſania fuit, qui Africa pulſi Romæ conſederant. Cum autem illi catholicis permixti latitarent; ad eos detegendos hanc viam inierunt pontifices, ut, quoniam illi quidem Eucharisticum panem ſumebant cum cæteris, ſed a calice abhorrebant, unuſquiſque deinceps teneretur in Eccleſia e calice bibere, quo abſtinentia calicis illi manifeſtarentur. Primus hanc rationem uſurpavit S. Leo, qui variis eos modis inſectatur, ut videre eſt apud Baronium *anno* 443. & 444. ſic habet *ſerm.* 4. *de quadrageſima*: S. Proſper etiam *in Chronico* ait " plures Manichæos in urbe latere, diligentia papæ Leonis innotuit. " Verum cum prorſus extincti illi non eſſent, eamdem omnino viam ſecutus eſt Gelaſius hoc decreto.

Quod enim propter Manichæos illud editum ſit, colligitur, 1. eo quod nova quædam cautio ſit, inaudita prioribus ſeculis; cum autem eadem ſit quæ uſurpata fuerat ante a Leone I. apparet eamdem quoque fuiſſe cauſam ac neceſſitatem.

2. Quia ibi ſignificatur, quod iſta diviſio myſterii ex grandi quadam ac ſacrilega impietate proveniret ac deſcenderet: non enim ait Gelaſius quod ſine grandi ſacrilegio utraque ſpecies non poſſit non ſumi.

Cæterum nedum ex his inferri poſſit aliquod eſſe Chriſti præceptum de communione ſub utraque ſpecie; manifeſtum contra eſt eam antea liberam extitiſſe, & unuſcujuſque arbitrio permiſſam. Spes enim fuit Manichæis illis fore ut laterent nec proderentur. At ſi viguiſſet ea conſuetudo ut omnes tunc ſine ulla exceptione accederent ad calicem, id eis in mentem venire non potuiſſet.

Profecto ſaltem hac cautione uſi non fuiſſent, quam ſummi pontifices adhibendam eſſe decreverunt, cum iſtam, quam imperant, communionem jam ſingulis ex mandato Chriſti obſervaſſent; ceſſante porro

ac ſu-

ac sublata detegendorum Manichæorum necessitate rediit libertas pristina de una sumenda specie.

INSTANT. Gelasius afferens causam suæ de ista communione sanctionis, ait divisionem unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non posse provenire. Ergo id disciplinæ causa tantum decretum non fuit.

RESPONDEO 1. id solvendum incumbere adversariis perinde ac nobis, quippe qui abstemiis communionem sub una specie impertiantur.

RESPONDEO 2. id spectare impietatem Manichæorum, qui panem non aversantes, a calice & vino abhorrebant: hæc illa sacrilega divisio est, quam detestatur Gelasius. Quod enim unam speciem sine alia sumi posse crederet alias, inde constat, quod communionis domesticæ ex solo pane ritum aliosque similes non aboleverit.

OBJICIUNT 7. Bracarensem synodum, quæ anno 675. habita *capitulo secundo* vetuit ne panis intinctus sacro sanguine præberetur, quia in evangeliis cernitur Christus utramque speciem seorsim apostolis dedisse.

RESPONDEO hoc non esse præceptum de utraque specie sumenda, sed cum vulgo ambæ tunc sumerentur, cautionem esse, ne permixtæ sibi invicem porrigerentur.

OBJICIUNT 8. Concilium Turonense III. apud Burchardum *lib.5.cap.9.* definivit ægrotis dandam esse Eucharistiam sacro Christi sanguine intinctam, ut presbyter vere possit dicere, *Corpus & sanguis Domini nostri Jesu Christi.*

RESPONDEO, cum nondum abrogatus mos esset communicandi sub utraque specie ac dicendi, *Corpus & sanguis Domini nostri Jesu Christi*, visum esse huic synodo consultissimum fore, si quoquo modo daretur utraque species.

ASSERTIO I.

Jure merito Ecclesia in synodo Constantiensi laicos interdixit exinde usu calicis.

PROBATUR. Id jure fecit Ecclesia, si illud facere potuit, & ut faceret justas habuit causas. Atqui utrumque verum est.

1. Enim id Ecclesia facere potuit. Nempe ut declarat synodus Tridentina *sess.* 21. *cap.* 10. " Hæc potestas perpetuo in Ecclesia fuit ut „ in sacramentorum dispositione, salva illorum substantia, ea statue„ ret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret. Id autem apostolus non obscure visus est innuisse, cum ait, *Sic nos existimet homo ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei* &c. Et vero immersionis ritum qui inter bapti-

zan-

zandum ubique quondam obtinebat, Ecclesia sustulit : quam quidem disciplinam ipsi Calviniani amplexi sunt. Non potest ergo negari primo, quod id juris Ecclesiæ competat.

2. Autem justas illa causas habuit interdicendi deinceps calicis.

1. Fuit, quod non esset necessarius.

2. Quod ubique jam ex ipsius plebis consensu obsolevisset illius usus, suoque populus jam veluti jure cessisset.

3. Multiplex, quæ crescente fidelium in dies numero, ac refrigescente religione, quotidie in sacramenti hujus venerandi administratione occurrebat, irreverentia.

4. Unius in communione suscipienda formæ ac disciplinæ studium.

5. Quod timendum esset, ne si restitueretur is usus, hæretici qui tum emerserant, & contendebant eum esse penitus necessarium ex præcepto Christi, hacce indulgentia abuterentur ad calumniam & impietatem suam longe lateque facilius disseminandam quasi Ecclesia quondam errasset, & errorem suum agnoscere coacta fuisset. Profecto id contigisse deinceps constat, quoties hujusce rei occasio se dedit.

Objicies 1. Jus saltem habebant laici ad utramque speciem sibi a Christo concessum. Atqui jus divinum abrogare non potest Ecclesia. Ergo.

Distinguo majorem : jus habebant Ecclesiæ auctoritati ac judicio subjectum; concedo : secus; nego.

Objicies 2. Multi sunt theologi, tum veteres, tum recentiores, qui putent plus gratiæ percipi ex duplici specie, quam ex una. Atqui nefas est Christianos defraudare gratia quam obtinere possent. Ergo.

Respondeo 1. quidquid illi opinentur, pro certo haberi oportere, quod utraque species non majorem quam una per se gratiam conferat; quod & concilium Tridentinum innuit *sess.* 21. *cap.* 3. cum ait, " sub „ unaquaque specie Christum totum esse omnis gratiæ fontem.

Et vero gratia illa major vel flueret ex rebus sensibilibus, vel ex sacramento ipsis addicto, vel ex Christo quem continent. At non ex rebus sensibilibus fluit, ut liquet, cum ista per se efficacia non polleant : non ex sacramento, cum utraque simul & eodem tempore sumpta species non sit aliud sacramentum quam una : non denique ex Christo, quandoquidem perinde sub una & duplici specie sumitur.

Nempe gratia pendet a Deo. Deus autem certum gratiæ modum destinavit iis, qui ad sacram mensam accederent pro modo pietatis : ita ut deinceps perinde sit, sive quis unam, sive utramque speciem sumat; sicut perinde est exinde, sive quis unam panis consecrati particulam sumat, sive duas; sive pauciores vini guttas hauriat, sive plures; quia hæc omnia in modum unius refectionis spiritualis accipiuntur : quod qui-

quidem non impedit quominus ambæ species, si diversis temporibus susciperentur, diversa essent sacramenta.

Quod si instes jam ac dicas altera specie posse accendi magis ac magis charitatem Dei. Reponemus id non pertinere ad fructum sacramenti quem operetur ex opere operato, sed ad fidem suscipientis, quæ aliis posset similiter excitari.

RESPONDEO 2. quamvis abundantior gratia derivaretur ex duplici specie quam ex una, non expedire tamen ut utraque offerretur. 1. Quia Ecclesia gravibus de causis potest alicui denegare, quod majorem ei gratiam conferret, sicut infantibus post baptisma Eucharistiam præbendam non censet. Nempe e duobus incommodis eligendum est minus. Satius autem esset aliquos privari aliquo gradu gratiæ non necessario, quam Ecclesiam & sacramenta in ea pericula adduci, quæ *supra* enumeravimus. 2. Hanc gratiam, quam vi sacramenti non consequeretur homo, posset sarcire ac supplere obedientiæ merito.

ASSERTIO III.

CALICIS usus potest ab Ecclesia restitui, cum id expedire judicaverit.

PROBATUR. Eam enim sibi potestatem reservavit in synodis Constantiensi, Basileensi & Tridentina.

QUÆSTIO SEXTA.

De effectibus Eucharistiæ sacramenti.

TOTAM hanc quæstionem duobus articulis absolvemus. In primo expendemus quid Eucharistiæ sacramentum vi sua præstet: in secundo qui obices iis effectibus poni queant.

ARTICULUS I.

De iis quæ vi sua præstet Eucharistiæ sacramentum.

TRIA sunt quæ Eucharistiæ ascribit S. Thomas, *hic*, *quæst.* 79. condonatio peccatorum, gratia, ac gloria, de quibus sigillatim paucis est inquirendum.

QUÆ-

Quæres itaque 1. an Euchariſtia vi ſua remittat peccata, vel ab iis præſervet.

Respondeo 1. peccata duplicis eſſe generis, lethalia nempe, ac venialia: rurſum lethalia poſſe eſſe in homine dupliciter, nempe cum conſcientia & effectu, vel ſecus: denique cogitari poſſe peccata remitti vel directe & ex inſtitutione ſua, vel oblique & quaſi ex conſequenti.

Respondeo 2. Euchariſtiam vi & inſtitutione ſua non remittere peccata lethalia. 1. Enim Euchariſtia inſtituta fuit ut eſſet hominis cibus. Joan. 6. *Caro mea vere eſt cibus*. Cibus autem vitam non præbet aut revocat, ſed conſervat. 2. Nedum extinguat peccata lethalia, oportet ut qui ad illud accedit, ab omni ejuſmodi labe ſit immunis. 1. Cor. 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat: qui enim manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit.* Quod igitur in verbis inſtitutionis & in Eccleſiæ precibus paſſim mentio fiat remiſſionis peccatorum, id de Euchariſtia ut ſacrificio accipiendum eſt, aut de pœnis quæ peccatis debentur, aut de peccatis venialibus.

Respondeo 3. hoc ſalutare ſacramentum per ſe delere venialia, quod teſtatur auctor operis *de ſacramentis*, apud Ambroſium, *libro* 5. *cap.* 4. " Iſte panis quotidianus, inquit, ſumitur in remedium infirmi-„ tatis quotidianæ. " Et ſane Euchariſtia ex ſe charitatem Dei in animo auget & inflammat: fervor autem charitatis expellit peccata venialia, quæ ei opponuntur.

Respondeo 4. eadem de cauſa Euchariſtiam pœnas peccatis debitas relaxare pro modo incenſæ pietatis. Hoc explicat S. Thomas *quæſt.* 79. *art.* 5. " Sacramentum, inquit, habet effectum dupliciter: uno „ modo directe ex vi ſacramenti; alio modo quaſi ex quadam conco-„ mitantia. Ex vi quidem ſacramenti directe habet illum effectum, „ ad quem eſt inſtitutum. Non eſt autem inſtitutum ad ſatisfaciendum, „ ſed ad ſpiritualiter nutriendum per unionem ad Chriſtum & ad mem-„ bra ejus ... Sed quia hæc unitas fit per charitatem, ex cujus fervo-„ re aliquis conſequitur remiſſionem non ſolum culpæ, ſed etiam pœnæ, „ inde eſt quod ex conſequenti per quamdam concomitantiam ad prin-„ cipalem effectum homo conſequitur remiſſionem pœnæ, non quidem „ totius, ſed ſecundum modum ſuæ devotionis & fervoris.

Respondeo 5. de peccatis lethalibus, quorum aliquis conſcientiam & affectum non habeat, duas eſſe opiniones; 1. quæ ſtatuit ea revera in illo caſu Euchariſtiæ vi aboleri; hoc enim ſacramentum cum cæteris efficacia ac dignitate præſtet, eamdem in his extraordinariis occaſionibus habere vim quam reliqua quælibet. Id ſentit S. Thomas *art.* 3. affirmans Euchariſtia fieri, ut contritio, quæ antea idonea non ſit, augeatur ac perficiatur: 2. quæ id negat, quia ſacramentum illud eſt vivorum, non mortuorum. Hanc vero cum multis aliis theologis amplectitur Vaſquefius.

Respondeo 6. Euchariftiæ vim eam effe, ut a peccatis futuris præfervet. Joan. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Hic eft panis de cœlo defcendens, ut fi quis ex ipfo manducaverit, non moriatu* Synodus Tridentina ait quoque Euchariftiam effe veluti antidoti vice, quod a peccatis mortalibus præfervet.

Quæres 2. an Eucharistia gratiam præftet.

Respondeo 1. ita effe. Joannis 6. *Panis quem ego dabo, caro mea eft pro mundi vita. Qui manducat meam carnem & bibit meum fanguinem, in me manet & ego in illo. Qui manducat me, & ipfe vivet propter me*, vel *per me*. Atque id confirmant omnes fancti Ecclefiæ doctores.

Respondeo 2. hanc gratiam effe tum habitualem, tum actualem, cujus appendix fit infuper jus quoddam ad fpecialia auxilia pro tempore habenda.

Quæres 3. an Euchariftia vitæ æternæ femen fit ac pignus, tum quoad corpus, tum quoad animam.

Respondeo ita effe. 1. Enim Joan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum fanguinem, habet vitam æternam, & ego refufcitabo eum* &c. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.*

2. Juxta doctrinam fanctorum Patrum eo fine fefe Chriftus in hoc facramento cum hominibus communicat, ut jam illud poffidere incipiant, quo æternum funt fruituri.

3. Eft etiam illud commune apud eos effatum, quod Chriftus ideo carnem fuam noftræ commifceri voluerit, ut ei vim ac jus inderet ad gloriofam immortalitatem. Vide *fupra* Irenæum, Cyrillum Alexandrinum &c.

ARTICULUS II.

De obicibus qui poni queunt effectibus Euchariftiæ.

Agemus hic 1. de peccatis lethalibus, 2. de venialibus, 3. de vagatione mentis.

Quæres igitur 1. an confcientia peccatorum lethalium obftet fructui ex Euchariftia capiendo.

Respondeo nullum dubium effe, quin confcientia peccati lethalis omnem tollat hujus facramenti efficaciam. 1. Enim id indicant Scripturæ. Paulus 1. *Cor.* 11. poft reprehenfam Corinthiorum in hoc ufurpando facramento negligentiam, *Probet autem*, inquit, *feipfum homo, & fic de pane illo edat & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indigne, judicium fibi manducat & bibit, non djudicans corpus Domini*. 2. Idem arguit ab apoftolorum ætate ad nos ufque Ecclefiæ difciplina. In liturgiis enim clamabat diaconus, SANCTA SANCTIS, & a facra communione arcebantur non folum infideles & catechumeni; fed & quicunque nondum peccata fua dignis pœnitentiæ laboribus expiaffent.

Quæ-

QUÆRES 2. an peccata venialia officiant hujus sacramenti effectibus.

RESPONDEO 1. in peccatis venialibus duos distingui posse, reatum & affectum: hunc affectum posse iterum esse vel levem ac transeuntem, vel fixum ac destinatum.

RESPONDEO 2. reatum peccatorum venialium per se non officere Eucharistiæ effectibus, quia contingere potest ut quis hujusmodi peccatis implicatus summo tamen pietatis sensu ad altare accedat; atque adeo fructum sacramenti consequatur: quod etiam asserit Sanctus Thomas.

RESPONDEO 3. affectionem erga peccatum veniale levem ac transeuntem ponere obicem gratiæ actuali, non vero habituali. Id statuit doctor Angelicus 3. *parte quæst.* 79. *artic.* 8. Hujus autem ratio est, quod affectus peccati venialis non pugnet cum habituali gratia, pugnet autem cum ea flamma charitatis, quam sacramentum in cordibus vulgo ac per se accendit. Cum autem gratia actualis ea sit, qua indigemus ad agendum; ponderent singuli quanti momenti sit ad perniciem animæ hujusmodi communio.

RESPONDEO 4. affectum hunc, si fixus sit, permanens, ac destinatus, hominem vocare in manifestum discrimen salutis.

PROBATUR auctoritate sanctorum Patrum ac theologorum.

Sic Sanctus Augustinus *sermone* 351. " Quamvis singula peccata, " inquit, non lethali vulnere ferire sentiantur, ... tamen om- " nia simul congregata, velut scabies, quo plura sunt, necant, aut " nostrum dedecus ita exterminant ut ab illius sponsi speciosi forma " . . . , amplexibus separent, nisi medicamento quotidianæ pœnitentiæ " desiccentur.

Gregorius magnus *lib.* 2. *in* 1. *Regum*, *cap.* 2. Qui quotidie, in- " quit, non exhaurit quod delinquit, etsi minima sint peccata quæ " congerit, paulatim anima repletur, atque ei merito auferunt fru- " ctum internæ saturitatis. Hac repletione nos evacuari Paulus insinuans, " *Probet autem seipsum homo* &c. Quid est enim hoc loco se probare, " nisi evacuata peccatorum nequitia se probatum ad dominicam men- " sam & purum exhibere?

Auctor *commentariorum in* 1. *Cor.* 11. Anselmo ascriptorum, " Indi- " gne manducat & bibit, inquit, qui non prius per pœnitentiam purgatus, " ad hoc sacramentum accedit.

Sanctus Bonaventura in tractatu *de præparatione ad missam*, *cap.* 5. Venialia peccata, inquit, per negligentiam, & otium multiplicata: " & etiam per inconsiderationem, ... licet non occidant animam, " tamen reddunt hominem tepidum, & indispositum, & ineptum ad " celebrandum, nisi consumantur, & ardescente igne cordis, & ex " consideratione propriæ vilitatis. Ideo cave ne nimis tepidus accedas

„ & inconſideratus: quia indigne ſumis, ſi non accedis reverenter,
„ circumſpecte, & conſiderate.

Hinc Bernardus *ſermone* 10. *in converſionem S. Pauli*, " Nemo di-
„ cat, inquit, in corde ſuo, levia ſunt iſta: non curo corrigere,
„ non eſt magnum ſi in his maneam venialibus minimiſque peccatis:
„ hæc eſt enim, dilectiſſimi, impœnitentia, hæc blaſphemia in Spiritum
„ ſanctum, blaſphemia irremiſſibilis.

Quæres 3. de homine, cujus animus vagatur tempore communionis, an & quem ex ea fructum capiat.

Respondeo 1. vagari mentem, vel invita, vel id non ſatis curante, vel lubenti etiam voluntate.

Respondeo 2. ſi vagetur animus invita voluntate, Euchariſtiæ effectus non impedit, cordis enim ſolius rationem habet Deus.

Respondeo 3. ſi id oriatur ex negligentia, denegari non habitualem gratiam, ſed actualem. Sanctus Thomas 3. *parte quæſt.* 79. *art.* 8. " Effectus hujus ſacramenti non ſolum eſt adeptio habitualis gratiæ
„ vel charitatis, ſed etiam quædam refectio ſpiritualis dulcedinis: quæ
„ quidem impeditur, ſi quis accedat ad hoc ſacramentum per peccata
„ venialia mente diſtractus; non autem tollitur augmentum habitualis
„ gratiæ, & charitatis.

Respondeo 4. ſi quiſpiam dedita opera hæreat tunc in rebus frivolis ac inutilibus, eum non ſolum omni fructu, & gratia privari, ſed etiam adduci in periculum indignæ communionis ut monet Sanctus Bonaventura *in breviloquio parte* 6. *cap.* 9. " Adhoc quod aliquis
„ digne accedat, oportet quod ſpiritualiter comedat, ut ſic Chri-
„ ſtum per recordationem fidei maſticet, & per devotionem amoris
„ ſuſcipiat, ... Propter quod manifeſte colligitur, quod qui te-
„ pide, indevote, & inconſiderate accedit, judicium ſibi manducat &
„ bibit: quia tanto ſacramento contumeliam facit.

QUÆ-

QUÆSTIO SEPTIMA.

De ministro Eucharistiæ.

DUPLEX distinguitur minister, Eucharistiæ consecrandæ, & dispensandæ.

ARTICULUS I.

De ministro Eucharistiæ consecrandæ.

VARII hactenus fuerunt de ministro Eucharistiæ consecrandæ errores.

Gnostici quidem hanc potestatem dabant etiam mulierculis. Vide Irenæum *lib.1. cap.9.*

Valdenses cuilibet laico modo probis esset moribus, jus illud concesserunt, quod cuilibet improbo sacerdoti abrogabant, ut ait Rainerus *contra Valdenses cap.5.*

Hoc ipsum in dubium revocavit Wiclefus, quemadmodum refert Thomas Valdensis *lib.2. de sacramentis, cap.7.*

At quod ille definire noluit, definiit Lutherus, affirmans omnes Christianos jure divino esse sacerdotes, atque adeo, cum necessitas urget, posse a quolibet Eucharistiam consecrari, addens nihilominus extra necessitatem id fieri non oportere, ordinis ac disciplinæ causa, ne videlicet in Ecclesia nimia rerum confusio ac perturbatio invehatur. Id pronunciat *lib.de captivitate Babylonica cap.de ordine.* Magistrum discipuli sequuntur.

Neque aliter sensit Zuinglius in libro *de vera & falsa religione.*

Ab iis autem omnibus recessit Calvinus *lib.4.institutionis, cap.22.* multisque aliis, ubi docet non tantum Eucharistiam ab unoquoque non posse confici, sed & baptismum plane nullum esse, si ab alio quam publico Ecclesiæ ministro conferatur. Atque hæc est vulgaris omnium plerorumque ejus sectatorum sententia.

Superioribus autem annis inter eos extitit scriptor magni nominis, Grotius qui in libro *de cœna administratione*, ubi pastores non sunt, contendit ejus consecrandæ potestatem cuilibet etiam e plebe hoc in casu a Christo & Ecclesia esse concessam, quod peculiari dissertatione Petavius confutavit.

ASSERTIO.

Soli sacerdotes sunt ministri Eucharistiæ conficiendæ, nec id omnibus ac singulis competit.

PROBATUR 1. ex Scripturis. In his enim solis Christi verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, consecrandi potestas facta est. Atque hæ voces spectabant ad solos apostolos eorumque successores, futuros exinde sacerdotes. Vel enim ad eos solos spectabant, vel ad omnes ac singulos Christianos. At non ad universos fideles. Namque non tantum his verbis facultas consecrandi traditur, sed & præceptum, munus, ac necessitas imponitur. Atqui ipsimet adversarii confitentur non omnibus e plebe incumbere præceptum, munus, ac necessitatem conficiendæ Eucharistiæ.

PROBATUR 2. auctoritate Ecclesiæ quam in rebus dubiis Christi sententiarum interpretem esse oportere nemo sani capitis negaverit.

Tertullianus *de præscriptione*, *cap.* 41. hoc in hæreticis vituperat, quod laicis sacerdotum potestatem tribuerent. " Alius hodie episcopus, inquit, cras alius: hodie diaconus, cras lector: hodie presbyter, qui cras laicus: nam & laicis sacerdotalia munia injungunt.

Synodus Nicæna generalis I. *can.* 18.

" Pervenit ad sanctam synodum, quod in nonnullis locis ac civitatibus; diaconi dent presbyteris Eucharistiam, quod nec canon neque consuetudo tradidit, ut qui offerendi potestatem non habent, iis qui offerunt dent corpus Christi.

Auctor apostolicarum constitutionum *lib.* 3. *cap.* 10. " Sed nec laicis permittimus quamlibet sacerdotum functionem usurpare. . . . nec enim quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo. Nam per impositionem manuum episcopi datur hæc dignitas.

Synodus Alexandrina, apud Athanasium *in apologia contra Arianos*, *tomo* 1. *num.* 12. eo probat calice quodam sacro, quem confregisse dicebatur Athanasius, uti non potuisse Ischyram quod non esset presbyter.

Basilius *lib.* 2. *de baptismo*, *cap.* 8. asserit omnes christianos juxta prophetam esse certo quodam modo sacerdotes ad spirituales hostias offerendas: cæterum eos solos esse legitimos ac proprie dictos sacerdotes, quibus hoc ministerium demandatum sit.

Sanctus Epiphanius *hær.* 79. contra Collyridianos pugnans, tradit nedum mulieribus ulla facultas data sit ad obeunda sacerdotum munia, ne permissam quidem eam fuisse diaconis. *In expositione* autem *fidei*, de Zachæo quodam loquens, " Divina mysteria, inquit, cum laicus

„ esset,

„ esset, attingere ac sacrificia celebrare nefario ausu ac temerario est „ aggressus.

Hieronymus *adversus Luciferianos*, “ Hilarius, inquit, cum diaconus „ de Ecclesia recesserit, neque Eucharistiam conficere potest, episcopos & „ presbyteros non habens.

Dionysius, vulgo Areopagita, *de ecclesiastica hierarchia*, *cap.* 5. “ Nec „ ipse sacerdos erit, inquit, nisi pontificalibus officiis ad hoc fuerit pro„ motus.

Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. *can.* 1. *tom.* 11. *concil.* “ Hoc utique sacramentnm nemo potest conficere, nisi sacerdos qui rite „ fuerit ordinatus.

Idem sanxit Eugenius IV. *in instructione Armenorum*. Illud idem fidei dogma definiit concilium Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 1. *can.* 2. & *sess.* 25. *cap.* 2. & 4.

PROBATUR 3. ex variis historiæ ac disciplinæ ecclesiasticæ monimentis, quæ probant ne in casu quidem necessitatis hoc sibi sumpsisse laicos, ut Eucharistiam conficerent.

Primum petitur ex communione domestica, de qua jam verba fecimus. Cur enim fideles Eucharistiam ab Ecclesia tam anxie & sollicite petebant, quam privatis in domibus erant postea sumpturi, si fas ipsis fuit eam consecrare? Cur anachoretæ eamdem non conficiebant, cum opus esset; sed eam, quam a sacerdote acceperant, per annos integros servabant?

Secundum suppetit nobis ex actis martyrum. Constat enim ex illis & Cypriano *epist.* 5. *ad martyres*, cum summo vitæ suæ periculo ventitare consuevisse presbyteros, qui in carceribus sacrificium offerrent. Cum autem nihil magis haberent in votis, quam ut Eucharistiæ compotes essent ante mortem, quidni eam ipsi martyres consecrabant? Quorsum sacerdotes se discrimini dabant, ut illos hujus sacramenti participes facerent?

Tertium ducitur ex historia conversorum ad fidem nostram populorum. Qui enim eos ad veram religionem perduxerant; si laici, statim ad antistites, & magnis quidem sæpe itineribus, recurrebant, qui ipsis suppeditarent sacerdotes ecclesiis constituendis & conferendis sacramentis idoneos. Id de Frumentio, qui Indos ad Christum adduxit, Theodoretus *historiarum lib.* 1., *cap.* 23. idem de captiva muliere, quæ Iberis verum fidei lumen intulit *cap.* 24. idem quoque de Mauris Victor Uticensis. Si autem id laicis licuit, quorsum tantus tamque inanis labor?

Quartum est. Si ubi fert necessitas, sacerdotum munia singulis competunt, dum fervet alicubi persecutio, ibi certe necessaria non est inauguratorum solemni ritu sacerdotum opera. Atqui necessariam esse eam veteres judicarunt etiam in eo casu. Profecto Eusebius Samosatenus ea

de

de causa tempore Valentis imperatoris, ut refert Theodoretus *lib.* 4. *historiarum*, *cap.* 23., cum multas ecclesias pastoribus viduatas esse comperisset, militarem habitum sumens, & tiara capiti imposita Syriam, Phœnicem ac Palæstinam peragravit, presbyteros ordinans ac diaconos aliosque Ecclesiæ ordines supplens. In eumdem sensum Augustinus *epistola* 228. *ad Honoratum*, totus est ut demonstret ne isto quidem in casu fas esse sacerdotibus fugere, ne videlicet desint ministri, qui in tanto discrimine animarum sacramenta administrent aliis. At nulla talis aut fuisset aut foret unquam necessitas, si cuique liceret in casu necessitatis, quod sacerdotibus licet.

Objicies 1. Petrus *epist.* 1. *cap.* 2. *v.* 9. Christianis omnibus, *Vos autem*, inquit, *genus electum*, *regale sacerdotium*. Joannes Apocalypsis 1. v. 6., *Fecit nos regnum & sacerdotes*. Ergo quilibet Christianus est sacerdos.

Distinguo consequens: quilibet Christianus est sacerdos ad internas & spirituales hostias offerendas; concedo: ad externum religionis sacrificium offerendum; nego. Uno verbo quilibet Christianus est sacerdos, quomodo rex.

Objicies 2. acta sanctæ Petronillæ martyris pridie Kalendas junias, quæ sic habent: " Celebratis dominicæ oblationis mysteriis, mox ut „ Christi sacramentum accepit, emisit spiritum. " Ergo ipsa celebraverat Eucharistiæ mysteria.

Nego consequentiam. Celebrata quidem esse mysteria ex actis constat: a quo autem celebrata fuerint, non diserte asserunt. Ergo pro more a presbytero celebrata fuerant, qui eam paulo ante mortem inviserat.

Objicies 3. Tertullianus *in libro de exhortatione castitatis cap.* 7. probat adversus catholicos omnibus etiam laicis illicitas esse nuptias secundas, eo quod ipsis competat jus sacerdotii; a sacerdotio autem bigami jam arcerentur juxta Ecclesiæ disciplinam. " Sed dices, inquit, „ Ergo cæteris licet (alterum nempe matrimonium) quos excipit „ (apostolus jubens episcopos esse unius uxoris viros.) Vani erimus, „ si putaverimus, quod sacerdotibus non liceat, laicis licere. Nonne „ & laici sacerdotes sumus? Scriptum est, *Regnum quoque nos & sacerdotes Deo & patri suo fecit*. Differentiam inter ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas & honor per ordinis consessum „ sanctificatus: adeo ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, & offers, & tinguis; & sacerdos es tibi solus; sed ubi tres, Ecclesia „ est, licet laici ... Igitur si habes jus sacerdotis in temetipso, ubi „ necesse est; habeas oportet etiam disciplinam sacerdotis, ubi necesse „ sit habere jus sacerdotis. Digamus tingis, digamus offers ..... Sed „ necessitati, inquis, indulgetur. Nulla necessitas excusatur, quæ potest non esse. Noli denique digamus deprehendi, & non committis

„ in

„ in necessitatem administrandi, quod non licet digamo. Omnes nos „ Deus ita vult dispositos esse, ut ubique sacramentis ejus obeundis „ apti simus..... Usque adeo nisi & laici èa observent, per quæ pres„ byteri, adleguntur, quomodo erunt presbyteri, qui de laicis adle„ guntur. " Ibi, ut planum est, duplex argumentum adducit Tertullianus, ut evincat Christianis legitimas non esse secundas nuptias: 1. est, quod sacerdotes singuli simus: 2. quod debeamus saltem esse dispositi ad sacerdotium, cum id Ecclesiæ placuerit. Porro de Eucharistiæ oblatione loquitur, quam componit & comparat cum baptismi administratione. Utramque autem licitam esse affirmat laicis, ubi deest sacerdos, idque ex vulgari & ab omnibus probato Ecclesiæ ritu: alioqui ex re non ab aliis probata cum aliis agens ac disputans, non nisi stulte argumentum duxisset. Cum vero duo sint hic argumenta, primum repetit *de monogamia cap.* 7. alterum *cap.* 12. & post eum Hieronymus.

Respondeo 1. Montanistam tunc extitisse Tertullianum: ex quo autem Montani erroribus sese implicuit, ejus levem esse admodum fidem, etiam in iis quæstionibus quæ de facto aliquo instituuntur.

Respondeo 2. si testimonium Tertulliani de disciplina illius ævi admittatur, illum esse intelligendum, vel de umbratili quadam panis sacri, sed non consecrandi oblatione, vel de oblatione Eucharistiæ jam a sacerdotibus consecratæ.

Duo nempe sunt observanda diligenter:

Primum, quod olim synaxes haberi mos fuerit, etiam sine Eucharistiæ celebratione, idque multiplici in casu. 1. Cum sacerdos non aderat. Sic Frumentius, quod jamjam videbamus, cum Indos docuisset christianam religionem, nec ullus sacerdos præsto esset qui faceret sacrum, conventus publicos interim ad lectiones sacras & orationes fieri voluit. 2. Cum sacerdos qui aderat, Eucharistiam participare non posset, quas *missas siccas* appellabant. 3. Quando effusionis periculum instabat, quæ *missæ nauticæ* dicebantur. Si autem id usitatum fuit media in Ecclesiæ pace, quanto potius id factitatum fuerit medio in æstu presecutionum, qua ætate Tertullianus vixit. Cum igitur non liceret pro votis tunc in Ecclesiam convenire ob difficultatem temporum, conveniebant privatim, atque si forte deerat copia sacerdotis, quod poterant, pro sua pietate exequebantur; sacræ legebantur Scripturæ, fundebantur preces, panis offerebatur, qui vice Eucharistiæ singulis distribueretur in supplementum communionis. De hujusmodi synaxibus loqui videtur Tertullianus *libro de fuga in persecutione*, *cap.* 14. " Postremo, inquit, si colligere interdiu non potes, habes „ noctem...... Non potes discurrere per singulos: sit tibi & in tri„ bus Ecclesia.

Secundum est, quod cum tunc temporis Eucharistiam ab Ecclesia,

domum asportarent Christiani, eam privatim non sumerent sine adumbrata quapiam sacri in Ecclesia fieri soliti repræsentatione. Habes hujus rei exemplum in actis martyrum Indæ & Domnæ, apud Surium, *tomo 6. ad 26. Decembris*: ad id enim officii in penario divinæ crucis figura librum sacrosanctum, fictile thuribulum, lucernam, & ligneam arculam habuisse leguntur, in qua reposuerant sacram oblationem, cujus fiebant participes: quo autem ritu vel in altari domestico vel in scamno omnia ista componerentur, quos psalmos recitari oporteret, quo pacto genua flecterentur, discimus ex vita Lucæ junioris anachoretæ apud Combefisium *ad calcem historiæ Monothelitarum*. Jam vero si id unusquisque in ædibus suis frequentabat, quanto magis cum plures convenissent, ac sacerdotis copia non esset? quis dubitet eo in casu electum fuisse aliquem e laicorum numero, qui sacrum munus offerret Deo, certisque adhibitis precibus ac lectionibus Scripturarum, in omnes divideret, quod specie ipsa sacrificii, quo carebant, magno iis esse poterat solatio.

Ad id autem vir eligebatur; unde & hoc offerendi sacrificium inter virilia munia Tertullianus recenset, & a sacerdotalibus distinguit, *de virginibus velandis cap. 9.* " Non permittitur, inquit, mulieri in „ Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tinguere, nec offerre, nec „ ullius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii, sortem sibi vindicare.

Nihil est itaque cur ita non possit accipi Tertulliani locus. Quod autem non tantum possit, sed & debeat sic intelligi, tribus conficimus momentis. 1. Est, quod, ut notat Petavius *supra*, & Rigaltius *ad hunc locum* OFFERENDI vox non modo apud alios scriptores, verum etiam apud Tertullianum non semper consecrationem sonat, sed sæpius panis oblationem quamlibet: sic *in libro de monogamia cap.* 10. de marito loquens, " Et offers, inquit, annuis diebus „ dormitionis ejus. " 2. Quod, ut jam diximus, has offerendi partes, ut & tingendi, annumerat inter munia virilia, quatenus secernuntur a sacerdotalibus. 3. Quod afferat in sententiæ suæ argumentum Scripturam, quæ ait nos esse reges ac sacerdotes. At regnandi jus, proprie loquendo, nemo singulis attribuerit.

OBJICIES 4. Patres Ancyrani *can.* 2. sic edicunt de diaconis qui idolis in persecutione sacrificaverant, " Ut diaconi qui sacrificaverunt, „ ac postea resipuerunt, & denuo certarunt, reliquum quidem hono„ rem habeant, cessent autem ab omni sacerdotali seu sacro ministe„ rio panem & calicem offerendi ac prædicandi. " Ergo pro more solito & calicem offerre poterant, & prædicare diaconi cæteri, qui probatæ vitæ erant.

DISTINGUO consequens: offerre presbytero, & cum presbytero Deo ante consecrationem, quomodo etiam nunc ex parte fit; concedo: offerre, id est consecrare; nego.

OBJI-

Objicies 5. Synodus Laodicena *can.* 25. definit non oportere ministros seu subdiaconos panem dare neque calicem benedicere. Ergo id ante facere consueverant.

Distinguo consequens: præter fas omne; concedo: jure; nego. Sponte ergo confitebimur eos tunc temporis hanc usurpasse potestatem; sed jure an secus, in eo est difficultas: quamquam & istud possumus interpretari de pane dando sacerdotibus, & calice iis porrigendo cum certo benedictionis signo aut certa formula: quod ministerium spectat ad solos diaconos.

Objicies 6. Frumentius, natione Tyrius, religione christianus, gradu laicus, cum in India seu Æthiopia domus regiæ præfectus esset, Romanos mercatores, qui eo commeabant, hortatus est ut ex more institutoque Romam simul convenire, & divina mysteria celebrare vellent, ut refert Theodoretus *lib.* 2. *cap.* 23. At mercatores non erant procul dubio sacerdotio insigniti. Ergo divina mysteria laici celebrare possunt.

Respondeo nomine *divinorum mysteriorum* solemnes liturgiæ orationes sine consecratione Eucharistiæ intelligi par esse. 1. Enim Socrates rem istam enucleatius narrans, observat id spectasse ad preces: " Hortabatur, inquit, ut propria quædam occuparent loca, ut in illis christianas preces obirent. " 2. Rufinus, ex quo uterque hanc historiam hausit, idem notat: " Ipsis, inquit, maximam partem dare ac monere ut conventicula per singula loca facerent, ad quæ Romanorum ritu orationis causa confluerent. " 3. Frumentius ipse Alexandriam venit, sacerdotem postulaturus ab Athanasio, qui eum ista dignitate exornavit. At opus sacerdote non fuisset, si omnes laici sacri mysterii partibus, ubi necesse est, possent defungi.

Objicies 7. S. Laurentius Sixtum pontificem, dum ille solus ad martyrium properaret, sic alloquitur apud Ambrosium *lib.* 1. *de officiis cap.* 45. *num.* 214. " Cui commisisti dominici corporis consecrationem, cui consummandorum consortium sacramentorum, huic sanguinis tui consortium negas. " Ergo diaconis committebatur corporis dominici consecratio.

Distinguo consequens: id est corpus Domini consecratum, populis scilicet distribuendum, aut perferendum ad absentes; concedo: id est consecratio ab ipsis facienda; nego. Certe cum immittitur particula hostiæ consecratæ in calicem, dicebatur olim, " Fiat consecratio corporis & sanguinis Domini accipientibus nobis in vitam æternam: " & etiam hactenus eodem fere modo loquitur apud nos sacerdos, qui profecto de hostia jam consecrata est intelligendus. De hoc vide præclaram observationem Benedictinorum *ad ipsum locum*.

Objicies 8. Moschus *in prato spirituali*, *cap.* 25. narrat diaconum quemdam monachum cum forte verba consecrationis, quæ didicerat,

super

ſuper panibus quos ferebat pronunciaſſet, conſecraſſe reipſa : conſecrationis autem factæ ab angelo monitum fuiſſe abbatem Joannem, qui poſtea Cæſareæ epiſcopus fuit.

Respondeo hoc fuiſſe ſingulare prodigium divinitus patratum ad demonſtrandam vim eccleſiaſticæ benedictionis : Deum autem, quidquid libet, facere poſſe : a nobis porro hic non diſputari de eo quod fieri extra ordinem poſſit, ſed quod juxta leges a Chriſto poſitas fiat. Adde quod in omnes Moſchi hiſtorias nemo prudens juraverit.

ARTICULUS II.

De miniſtro Eucharistiæ diſpenſandæ.

ASSERTIO I.

Episcopi, & presbyteri jure divino ſunt Euchariſtiæ diſpenſatores.

Probatur 1. Eos enim ſolos in perſona apoſtolorum alloquebatur Chriſtus Dominus, cum diceret, *Hoc facite*. At ipſe conſecraverat & Euchariſtiam ſingulis diſtribuerat.

2. Paulus 1. Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo*, inquit, *ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*.

3. Id ſtatuit ſynodus Tridentina, id ſemper in Eccleſia moris fuiſſe aiens, ut laici a ſacerdotibus communionem acciperent.

4. Id docet S. Thomas 3. *parte*, *qu.* 83. *ar.* 2.

ASSERTIO II.

Diaconi ex ſua inſtitutione ſunt miniſtri Euchariſtiæ diſpenſandæ.

Probatur 1. ex actis apoſtolorum *cap.* 6. Ibi enim diaconi creantur ad miniſterium menſarum. Atqui tunc in menſis communibus Euchariſtia ſumebatur. Ergo.

2. Ex omnibus paſſim veterum ſcriptis ac monimentis, ex quibus conſtat hanc fuiſſe orientis & occidentis diſciplinam :

ASSERTIO III.

Diaconi poſſunt etiamnum Euchariſtiam diſpenſare, ſi tamen accedat licentia epiſcopi aut presbyteri.

Pro-

PROBATUR 1. ex concilio Carthaginensi *can.*38. " Præsente presbytero
" corpus Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget.

PROBATUR 2. ex Alcuino, qui in libro *de divinis Officiis*, *in capite jejunii*, sic habet: " Si necessitas evenerit, & presbyter non
" fuerit præsens, diaconus pœnitentem suscipiat, ac det sanctam com-
" munionem.

Verum cum apud nos usu non amplius vigeat ista disciplina, & rei novitas scandalum movere posset, a solo episcopo licentia expectanda est, nisi obstet urgens necessitas, qualis censetur, si viaticum deferendum esset ad periculose ægrotantem absente presbytero.

ASSERTIO IV.

Nullus clericus diacono minor unquam in Ecclesia Eucharistiam distribuit.

PROBATUR. Quia nullum istius rei vestigium est.

ASSERTIO V.

Extra Ecclesiam Eucharistia olim commissa fuit non tantum clericis, sed & laicis deferenda ac tradenda aliis.

PROBATUR prima pars de minoribus clericis ex martyrologiis Bedæ, Adonis ac Usuardi, quæ testantur Tharsicium acolytum ac martyrem, cum corporis dominici sacramenta ferret, interemptum esse a paganis.

PROBATUR secunda pars de laicis ex historia Serapionis *supra relata*.

ASSERTIO VI.

Laici acceptam a sacerdote Eucharistiam propria manu sibi ipsi, tum in Ecclesia, tum privatim impertiebantur.

PROBATUR ex variis testimoniis Patrum. Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus *catechesi* 5. " Accedens ad communionem, inquit, non
" expansis manuum volis accede, neque disjunctis digitis, sed sini-
" stram veluti sedem quamdam subjiciens dextræ, quæ tantum re-
" gem susceptura est, & concava manu suscipe corpus Christi, dicens
" *Amen*.

Basilius *epistola ad Cæsariam*, " Sacerdos particulam tradit, detinet
" autem eam cum omni libertate is qui accepit, & sic ori admovet
propria manu.

Sanctus Ambrosius sic affabatur Theodosium post cædem Thessaloni-

cen-

censem, apud Theodoretum, *lib.* 5. *cap.* 17. " Qui, quæso, manus
„ injusta cæde resperſas extendere audes, & eisdem sacrosanctum cor-
„ pus Domini accipere? aut quomodo venerandum ejus sanguinem ori
„ admovebis?

Id tamen discriminis erat inter viros, & mulieres in occidente, quod viri nuda manu, mulieres vero subjecto linteolo (quod *dominicale* dicebatur) Eucharistiam acciperent: " Non licet mulieri, in-
„ quit, concilium Altissiodorense *can.* 36. nuda manu Eucharistiam
„ accipere. " Hinc Augustinus *serm.* 252. *de tempore*, " Mulieres quando
„ nitidum exhibent linteolum, ubi corpus Christi accipiant, sic corpus ca-
„ stum & cor mundum exhibeant.

ASSERTIO VII.

Nulli laico jam fas est in Ecclesia ita Eucharistiam sumere apud nos.

PROBATUR ex synodo Cæsar-Augustana *can.* 3. & Toletana I. *can.* 4. quæ id prohibent, & ex universæ Ecclesiæ consuetudine.

Ad Latinos porro duntaxat ista pertinent. Namque hoc ævo apud græcas nationes nonnulli, ac præsertim monachi, antiquum servant morem: de quo Arcudius & Allatius.

ASSERTIO VIII.

Posset eadem facultas ab Ecclesia aut summo pontifice alicui quodam privilegio restitui.

PROBATUR 1. quia quod vetuit Ecclesia certis de causis, in ejus semper positum est arbitrio: 2. quia id indulsisse fertur Pius V. Scotorum reginæ Mariæ Stuarciæ, cum ab Elizabetha Anglorum regina detineretur in vinculis.

QUÆ-

QUÆSTIO OCTAUA.

De subjecto Eucharistiæ.

CERTUM est Eucharistiam dari non posse, nisi iis qui baptizati fuerint: sed cum baptizatorum duplex ordo distingui queat; alter eorum qui extra peccatum sint, alter eorum quos in eo hærere noveris, sit

ARTICULUS I.

De iis qui extra peccatum sunt.

HIc disputatur an iis omnibus præberi Eucharistia debeat, aut possit, infantibus nempe, energumenis, amentibus, damnatis ultimo supplicio, omnibus morituris, aut etiam mortuis.

QUÆRES 1. an infantibus Eucharistia administranda sit.

RESPONDEO 1. infantes olim in utraque Ecclesia sacramento Eucharistiæ donatos fuisse: id autem apud Latinos obtinuisse per decem & amplius secula, & etiamnum apud Græcos vigere.

Prima pars constat ex iis, quæ jam disseruimus de communione infantium.

Secunda ex Hugone Victorino, qui *lib.* 1. *de sacramentis cap.* 2. ejus moris mentionem facit. Obiit autem ille post decimum seculum. " Pueris recens natis, inquit ille, idem sacramentum in specie sanguinis est ministrandum digito sacerdotis.

Tertia ex libris ritualibus Græcorum & Arcudio *libro* 3. *de sacramento Eucharistiæ capit.* 11. " Communicare, inquit, pueros & infantes Græci faciunt. " Imo *cap.* 40. refert eos Latinis crimini vertere praxim contrariam.

RESPONDEO 2. id jam non licere apud Latinos.

PROBATUR 1. ex consuetudine Ecclesiæ XII. saltem seculo, quam instar legis haberi oportet.

2. Ex Sancto Thoma 3. *parte*, *quæst.* 70. *articul.* 9. " Dicendum, inquit, quod eadem ratio est de pueris recenter natis & de amentibus, qui nunquam habuerunt usum rationis: unde talibus non sunt sacra mysteria danda.

3. Ex concilio Tridentino *sess.* 21. *can.* 4. id autem cautum est ad majorem reverentiam.

QUÆRES 2. an energumenis dari debeat.

RESPONDEO 1. vulgarem olim fuisse in Ecclesia morem, ut a communione arcerentur.

PROBATUR, quia ante missam fidelium una cum catechumenis & pœnitentibus e templo ejiciebantur: de quo lege *canonem apostolicum* 78. " Si quis dæmonem habeat, inquit, ... nunquam cum fideli„ bus precetur. " *Libro* 8. *constitut. apopol. capit.* 7. " Dicat diaco„ nus, Exite energumeni, ac post exitum eorum dicat, Orate qui ba„ ptismum petitis. " Chrysostomus *homilia* 3. *de incomprehensibili Dei* „ *natura*, " Energumenos una cum fratribus orare non licet.

RESPONDEO 2. iis in extremo vitæ discrimine, etiam a disciplinæ severioris studiosis Eucharistiam fuisse concessam.

PROBATUR ex Eliberitano concilio *canone* 37. " Eos, inquit, qui „ a spiritibus immundis vexantur, si in fine mortis fuerint constitu„ ti, baptizari placet; si vero fuerint fideles, dandam iis esse commu„ nionem.

RESPONDEO 3. tum in Oriente tum in Occidente, alicubi saltem, etiam prioribus seculis & extra mortis periculum, datam iis fuisse, cum lucidis intervallis gauderent.

PROBATUR ex synodo Arausicana *canone* 14. quæ id sanxit, " E„ nergumeni jam baptizati, inquit, si . . . se solicitudini clericorum „ tradant monitisque obtemperent, omni modo communicent. " Et ex auctore *de prædictionibus*, apud Prosperum, *capit.* 6. qui refert puellam quamdam a dæmone fuisse liberatam per sorbitionem sacræ Eucharistiæ.

RESPONDEO 4. hanc etiam esse hodiernam consuetudinem, de qua S. Thomas *quæst.* 8. *art.* 9.

QUÆRES 3. quid de amentibus statuendum sit.

RESPONDEO 1. eos olim ad Eucharistiam admissos non esse: eadem enim eorum ratio est, quæ energumenorum.

RESPONDEO 2. iis in exitu vitæ constitutis præbitam fuisse Eucharistiam.

PROBATUR 1. ex synodo Arausicana I. *can.* 13. " Amentibus quæ„ cunque sunt pietatis, conferenda sunt. " Ex synodo Carthaginensi IV. *can.* 76. " Is qui in infirmitate pœnitentiam petit, ... si in „ phrenesim conversus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt: „ . . . & si continuo credatur moriturus, reconcilietur per manus im„ positionem, & infundatur ori ejus Eucharistia.

RESPONDEO 3. iis jam vulgo non esse tribuendam, nisi lucidum quoddam rationis intervallum appareat.

PROBATUR ex usu qui jam viget, & ex Sancto Thoma mox laudato.

RESPONDEO 4. amens aliquando rationis compos extitisset, nec

nec ullum videretur periculum, eum posse Eucharistiæ viatico muniri.

Probatur ex Sancto Thoma 3. *parte*, *quæst.* 8. *articul.* 9. " Si, quando erant compotes suæ mentis, apparuit in eis devotio hujus sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc sacramentum exhiberi, nisi forte timeatur periculum vomitus vel expuitionis.

Quæres 4. de iis qui ultimo supplicio damnati sunt, an Eucharistia donandi sint.

Respondeo 1. olim gravissimorum criminum reis denegatam fuisse non tantum Eucharistiam, sed & absolutionem, præsertim si morte duntaxat imminente veniam petere cœpissent: ex Cypriano *epistola ad Antonianum*, Pœnitentiam non agentes .... prohibendos omnino „ censuimus a spe communicationis & pacis; si in infirmitate atque in „ periculo cœperint deprecari.

Respondeo 2. utriusque sacramenti negandi reis ultimo supplicio damnatis morem apud Gallias obtinuisse ad annum 1376. quo eum abrogavit Carolus VI. quoad absolutionem, de quo Gaguinus *lib.* 8. Morinus *lib.* 10. *de pœnitentia cap.* 1.

Respondeo 3. hanc eamdem consuetudinem perstare in Gallia quoad Eucharistiæ sacramentum: de hoc fusius agit Isambertus, quem consule.

Respondeo 4. eumdem morem, quod spectat ad Eucharistiam, ad nostram usque ætatem apud Hispanos extitisse.

Probatur testimonio Dominici Soto *in* 4. *sentent. distinct.* 12. *quæst.* 2. & Sylvii 3. *parte*, *quæst.* 8. *art.* 6. An autem ista nunc consuetudo apud eos abolita sit, cum nonnulli recentiores affirment, penes eos sit historiæ fides.

Respondeo 5. apud Germanos ab omni ævo esse usitatum ut absolutionis beneficio illi non priventur.

Probatur ex synodo Moguntina anno 841. habita, *can.* 27. " Si „ omnibus de peccatis suis .... digne pœnitentibus communio..... „ in fine danda est, cur non iis qui pœnam extremam (in patibulo) „ persolvunt? " Et Wormaciensi anno 868. quæ *can.* 80. iisdem plane verbis idem decernit.

Respondeo 6. apud Italos obtinere insuper ut Eucharistia etiam reficiantur.

Probatur ex synodo V. Mediolanensi sub Sancto Carolo Borromæo.

Quæres 5. an mortuis dari possit aut debeat, si forte eam ante mortem suscipere non potuerint.

Respondeo id esse omnino a Christi mente & sacramenti institutione alienum, cum eo fine instituta sit a Christo Eucharistia, ut manducetur ac bibatur: quod præstare non possunt mortui. Et vero id damnarunt synodus Carthaginensis III. *can.* 6. " Placuit ut corporibus de-

„ functorum Eucharistia non detur. " Trullana *can.* 83. " Nemo mor„ tuorum corporibus Eucharistiam communicet : scriptum est enim, *Ac„ cipite & comedite* : mortuorum autem corpora non possunt accipere „ nec comedere.

ARTICULUS II.

De Peccatoribus.

PECCATORES de quibus loquimur, vel sunt publici, vel vulgo occulti : occultorum autem alii sunt quorum crimina novit sacerdos via solius secretæ confessionis, alii sibi aliunde noti : ii denique vel publice vel privatim Eucharistiam petunt : quibus positis,

QUÆRES 1. an publicis peccatoribus Eucharistiam dare minister publicus debeat.

RESPONDEO iis esse denegandam.

PROBATUR 1. ex Christi verbis Matthæi cap. 7. v. 6. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* 2. Ex usu veteris Ecclesiæ, que non tantum publicos peccatores, sed etiam publice pœnitentes summovebat ab Eucharistiæ sacramento. 3. Ex disciplina, quæ etiamnum obtinet. 4. Ex sanctis Patribus, Cypriano *epistola 60. ad Eucbratium* : " Consulendum me existimasti, inquit, . . . de histrione, „ . . . qui in artis suæ dedecore perseverat, . . . an talis debeat commu„ nicare nobiscum, quod puto ego nec majestati divinæ, nec evangelicæ „ disciplinæ congruere, ut honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagio„ ne fœdetur. " Chrysostomo, ut ostensum est in tractatu *de pœnitentia*, &c. 5. Ex decreto Innocentii XI. qui a sacris altaribus arceri voluit etiam eas mulieres quæ composito ad lasciviam habitu ad eucharisticam mensam accedunt.

QUÆRES 2. an Eucharistia occultis peccatoribus publice eam petentibus concedenda sit.

RESPONDEO ita esse.

PROBATUR 1. exemplo Christi qui Judæ ipsi proditori corpus suum & sanguinem dedit : 2. Ex consuetudine antiquioris Ecclesiæ, de qua sic Augustinus *homilia* 50. *inter* 50. " Nos a communione prohibere „ quemquam non possumus, quamvis hæc prohibitio nondum sit mor„ talis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo si„ ve seculari sive ecclesiastico judicio nominatum atque convictum. „ Quis enim utrumque audeat assumere, ut cuiquam ipse sit accusator „ & judex ? 3. Ex eo quod unusquisque jus habeat in famam suam, „ donec flagitium notum sit ac exploratum.

NEQUE opponas consultius esse ut peccator fama sua excidat, quam immane admittat sacrilegium, & Christus injuria afficiatur.

NAM

NAM ut ait Sanctus Thomas *in* 4. *sentent. distinct.* 9. *quæst.* 1. *art.* 5. " Dicendum quod licet pejus sit peccatori occulto peccare mortaliter sumendo corpus Christi, quam infamari; tamen cum nemo debeat unum mortale committere, ut proximus aliud non committat, eligendum est potius sacerdoti non prodere peccatorem, quam ut ille non peccet." Ut enim notat Augustinus *libro quæstionum in Genesim, capit.* 42. " Periculosissime admittitur hæc compensatio, ut nos faciamus aliquid mali, ne aliud majus malum faciat.

NEC est quod Instes posse hujusmodi peccatoribus hostias offerri non consecratas.

NAM ut ait *ibidem* Angelicus doctor, " Hostia non consecrata nullo modo debet dari pro consecrata, tum quia in sacramento veritatis non debet esse aliqua fictio, tum quia . . . daret sacerdos (hoc faciens) ei occasionem idolatrandi, " qui credit hostiam esse consecratam. Et sane hoc placitum proscripserunt non ita pridem eminentissimi synodi Tridentinæ interpretes.

QUÆRES 3. an tribui debeat peccatori occulto privatim eam postulanti, alia quam confessionis via noto.

RESPONDEO non esse tribuendam, quia in eo casu peccato ille nullum ad Eucharistiam jus habet, non quidem ratione status, quia ille cum Eucharistiæ sanctimonia omnino pugnat; neque etiam ratione famæ, cui nihil inde decedit: proinde potest ac debet sacerdos tunc prohibere ne indigno tantum ac tam venerabile sacramentum violetur.

QUÆRES 4. an denegari queat occulto peccatori, cujus facinus confessione secreta noveris.

RESPONDEO 1. S. Thomam *supra*, cum junior esset, censuisse quod denegari etiam in hoc casu posset.

RESPONDEO 2. nobis videri eam tunc non esse denegandam ob strictam sigilli confessionis religionem, & ne confessio in invidiam & odium veniat.

QUÆSTIO NONA.

De dispositionibus ad Eucharistiam suscipiendam requisitis.

MULTIPLICIS generis sunt dispositiones ad Eucharistiæ susceptionem necessariæ : aliæ enim ad corpus , aliæ ad animam pertinent .

ARTICULUS I.

De dispositionibus ad corpus pertinentibus.

DUÆ sunt corporis dispositiones , jejunium & puritas.

QUÆRES 1. an jejunum esse oporteat, qui sacram Eucharistiam sumere voluerit.

RESPONDEO 1. Christum quidem sacrum corpus suum apostolis post cœnam præbuisse ; sed id deinceps in legem non evasisse : sic enim Tertullianus *de corona militis cap.* 3. " Eucharistiæ sacramentum , in-„ quit, & in tempore victus & omnibus mandatum a Domino etiam „ antelucanis cœtibus , nec de aliorum manu quam præsidentium su-„ mimus . Gregorius Nazianzenus *oratione* 40. " Ille (Christus) pas-„ chatis mysterium discipulis in cœnaculo tradidit & post cœnam ; „ nos in templis & ante cœnam , " id est ante cibum , ut interpretatur Nicetas . Augustinus *epistola* 118. " Liquido apparet , inquit , „ quando primum acceperunt discipuli corpus & sanguinem Domini „ non eos accepisse jejunos : nunquid propterea calumniandum est „ universæ Ecclesiæ , quod a jejunis semper accipitur : neque enim „ quia post cibos dedit Dominus , propterea pransi aut cœnati fra-„ tres ad illud sacramentum accipiendum convenire debent . Namque „ Salvator , quo vehementius commendaret mysterii illius altitudi-„ nem , mysterium hoc voluit altius infigere cordibus & memoriæ dis-„ cipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat. At ideo non præ-„ cepit , quo deinceps ordine sumeretur , ut apostolis per quos Eccle-„ sias dispositurus erat, servaret hunc locum.

RESPONDEO 2. ineunte christiana religione fideles Eucharistiam mensis suis miscuisse, ut loquitur Augustinus ; ita tamen ut Eucharistiam cæteris cibis præmitterent . Hieronymus , seu quis alius , *in* 1. *Cor.* 11.

„ ubi apostolus de eo disserit : " In Ecclesia convenientes , inquit , „ oblationes suas separatim offerebant & post communionem , quæcun- „ que iis de sacrificiis seu oblationibus superfuissent , illi in Ecclesia „ communem cœnam comedentes pariter consumebant . " Chrysosto- mus *homilia* 27 *in eamdem epistolam* , " Statis diebus mensas faciebant „ communes & peracta synaxi post sacramentorum communionem om- „ nes commune inibant convivium , divitibus quidem cibos afferenti- „ bus , pauperibus autem & qui nihil habebant etiam vocatis, & om- „ nibus communiter vescentibus . " Idem sentit OEcumenius . Hæc convivia plena charitatis agapas appellabant.

Respondeo 3. ab apostolis manasse consuetudinem , quæ deinceps obtinuit , ut non nisi a jejunis Eucharistia perciperetur.

Probatur , quia id Sanctus Augustinus diserte affirmat *supra* , & synodus Trullana *can.* 29. Scilicet , ut ait Sanctus Augustinus *lib.* 4. *de baptismo contra Donatistas* , *cap.* 14. " Quod universa tenet Eccle- „ sia , nec conciliis institutum , sed semper retentum est , non nisi „ apostolica auctoritate traditum rectissime creditur. " Atqui mos ille de Eucharistia ante omnem cibum sumenda nulla lege conciliorum præscriptus universam Ecclesiam jam a primis seculis pervasit.

Testes sunt hujus ecclesiasticæ disciplinæ , ac speciatim de Africa , Tertullianus *lib.* 2. *ad uxorem cap.* 2. ajens " Non sciet maritus quid „ secreto ante omnem cibum gustes ? " Cyprianus *epistola ad Cæcilium* , " Numquid ergo dominicam post cœnam celebrare debemus ? „ Sanctus Augustinus *epistola* 118. " A jejunis semper accipitur. " Et concilium Carthaginense III. *can.* 29. " Ut sacramenta altaris nonnisi „ a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario , quo „ cœna Domini celebratur.

De Pontica diœcesi Basilius *homilia* 2. *de jejunio* , " Jejunantem in- „ tra sacrorum cancellos recipit Dominus.

De Orientali & Thracica Chrysostomus *sermone* 9. *ad populum Antiochenum homilia* 27. *in epist.* 1. *ad Cor.* " Tu priusquam communi- „ ces , jejunas , ut quomodocunque communione dignus appareas . " Et *epistola* 145. Synodus Trullana *supra* , *can.* 20. quæ laudat hanc in rem & confirmat canonem 29. synodi III. Carthaginensis. Socrates *lib.* 9. & Sozomenus *lib.* 7. *historiæ cap.* 19. " Apud Ægyptios multis „ in civitatibus præter consuetudinem communiter apud omnes con- „ secratam sub versperum convenientes ac jam pransi mysteriorum par- „ ticipes fiunt.

De Gallia synodus Matisconensis *supra* , Agapensis apud Gratianum *cap. Presbyter* , *distinct.* 99. Paschasius *lib. de corpore & sanguine Domini cap.* 20. & Strabo *cap.* 16.

De Hispania synodus Bracarensis *supra* , *can.* 15. Toletana VII. *can.* 2.

QUÆRES 2. quibus de caufis id ftatutum fit.

RESPONDEO S. Thomas 3. *parte*, *quæft.* 80. *art.* 8. impeditos fuiffe homines a fumptione hujus facramenti poft cibum & potum affumptum tripliciter. 1. Quidem, ut Auguftinus dicit, in honorem hujus facramenti, ut fcilicet in os hominis intret nondum aliquo cibo vel potu infectum: 1. propter fignificationem, ut fcilicet detur intelligi, quod Chriftus, qui eft res facramenti hujus, & charitas ejus debet 1. fundari in cordibus noftris: 2. propter periculum vomitus aut ebrietatis, quæ quandoque contingunt ex hoc quod homines inordinate cibis utuntur, ficut & apoftolus dicit 2. Cor. 11. *Alius quidem efurit*, *alius autem ebrius eft*.

QUÆRES 3. in quo jejunium illud confiftat.

RESPONDEO in eo pofitum effe, quod nihil omnino potus aut cibi, etiam ad inftar medicinæ, fumatur: nec refert, inquit Sanctus Thomas, utrum aliquid hujufmodi nutriat vel non nutriat vel per fe vel cum aliis.

QUÆRES 4. an ab omnibus Ecclefiis lex ifta jejunii femper fervata fit.

RESPONDEO nonnullos olim certis de caufis certifque in cafibus ab ea receffiffe.

1. Enim ætate Cypriani fideles quidam non folum ante lucem & omnem cibum facrum vulgo faciebant, fed & vefpere poft prandium: quod ille improbat *epift. ad Cæcilium*.

2. Tefte Socrate & Sozomeno *fupra*, nec non & Nicephoro *lib.* 12. *cap.* 34. " Ægypti & Thebaidos incolæ quolibet fabbato, ubi epulati effent & variis cibariis fefe faturaffent, fub vefperam oblatione facta myfteriis communicabant.

3. In Africa IV. feculo multi facerdotes poft cibum Euchariftiam paffim conficere non verebantur: quod vetuit fynodus Carthaginenfis III. *can.* 29. anno 397. *fupra*. Illud idem poftmodum irrepferat in Gallias, quod compreffit fynodus Matifconenfis II. *can.* 6. " Decernimus ut nullus presbyter confectus cibo.... facrificia contrectare, aut miffas.... concelebrare præfumat.

4. Utrobique, in Africa nimirum & Gallia, obtinuit deinceps, non improbante Ecclefia, ut faltem feria 5. majoris hebdomadæ Euchariftia poft cibos ufurparetur, ut conftat ex iifdem fynodis Carthaginenfi & Matifconenfi. Ejufdem moris meminit Auguftinus *fupra*, & quo pacto invectus fit aperit: " Nonnullos, inquit, probabilis quædam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipfam cœnam Dominus dedit, tanquam ad infigniorem commemorationem poft cibos offerri & accipi liceat corpus & fanguinem Domini ..... Hoc non arbitror inftitutum, nifi quia plures & prope omnes in plerifque locis eo die lavare confueverunt: & quia nonnulli etiam jejunium cu-

" fto-

„ ſtodiunt, mane offertur propter prandentes, quia jejunia ſimul, & „ lavacra tolerare non poſſunt; ad veſperam vero propter jejunantes. “ Ait autem conſuetudinem hac die ſe lavandi ortam eſſe ex baptizandis, qui ideo ſeſe lavabant, ne ſordidi ad fontes ſacro die Paſchæ accederent.

5. Illud idem de feria 5. majoris hebdomadæ etiam aliquando apud Græcos invaluiſſe videtur, quod emendavit ſynodus Trullana *can.* „ 29. Statuimus apoſtolicas ac paternas traditiones ſequentes non „ oportere in quadrageſimæ poſtrema ſeptimana 5. feria jejunium ſol- „ vere.

6. In Africa, Gallia & Hiſpania quondam ſibi ſumpſerunt ſacerdotes, ut poſt cibum ad exequias defunctorum myſteria celebrarent: quod prohibuit ſynodus Carthaginenſis III. *can.* 29. “ Si aliquorum promeridiano tempore defunctorum ..... commendatio facienda eſt, ſolis „ orationibus fiat, ſi illi qui faciunt, jam pranſi inveniantur. “ Idem prohibet ſynodus Nannetenſis ſeu Agapenſis *ſupra*.

QUÆRES 5. an nullo in caſu iſta lex relaxetur.

RESPONDEO 1. multiplicem eſſe caſum, in quo locum illa non habeat.

1. Eſt, ſi urgente morte viatici neceſſitas incumbat, aut ea ſit natura morbi diuturnioris, ut jejunium non ferat. Tunc enim ægroto etiam non jejuno dari poteſt Euchariſtia, quod 1. Eccleſiæ uſu receptum eſt: 2. definitum eſt etiam a ſynodo Conſtantienſi *ſeſſione* 13. 3. denique præſcriptum inſuper a S.Carolo Borromæo in concilio Mediolanenſi III. *tit.* 9.

2. Si quis ſacerdos poſt peractam conſecrationem inopina vi morbi correptus ſacrum abſorbere nequeat: ad illud enim perficiendum, tunc alter in ejus locum ſubſtitui poteſt ac debet, quia conſummatio ſacrificii juris divini eſt, quod eccleſiaſticis præceptionibus longe præponderat: id autem ſtatuit jam pridem ſynodus Toletana VII, *can.* 2.

3. Si ſacerdos inter communicandum advertat ſolam aquam fuiſſe miſſam in calicem quem abſorpſerit: tunc enim oportet ut vinum infundi curet, & illud, poſtquam conſecraverit, bibat: quod rubricæ præcipiunt.

4. Si quas hoſtiæ conſecratæ particulas ſuperſtites, etiam poſt ablutionem calicis hauſtam, ſacrificus obſervet.

QUERES 6. an carnis puritas neceſſaria ſit.

Obſervandum eſt hujuſmodi puritatem multiplicis generis eſſe: in carnis enim ſordibus admitti peccata vel lethalia vel venialia: aliquando autem contra nullum in iis peccatum, imo & laudabile officium eſſe: quo notato,

RESPONDEO 1. generatim neceſſariam eſſe ad hoc ſacramentum caſtita-

ſtitatem. Auguſtinus *ſermone 46. de verbis Domini*, " Qui audiunt me,
„ dicentem, quicunque non ſervaſtis caſtitatem, nolite accedere ad il-
„ lum panem, contriſtantur: & ego nollem hoc dicere: ſed quid fa-
„ cio? timeo hominem, ut taceam veritatem?

Respondeo 2. ſi quis pergrande nefas & peccatum lethale admiſerit, eum a ſacra communione aliquandiu eſſe prohibendum: quod judicio confeſſarii prudentis relinquendum eſt.

Respondeo 3. ſi quis pollutus ex levi negligentia venialem duntaxat labem contraxerit, par etiam eſſe ut a communione aliquandiu abſtineat, ut ſtatuit S. Thomas *quæſt.* 80. *art.* 7. *in corpore*: " Ex qua-
„ dam congruentia, inquit, impedit pollutio nocturna quantum ad
„ duo, quorum unum ſemper accidit, ſcilicet quædam fœditas corpo-
„ ralis: ... aliud autem eſt evagatio mentis quæ ſequitur pollutionem
„ nocturnam " Idem ſancit Gregorius magnus *in reſponſione ad Auguſtinum Anglorum apoſtolum*, erga conjuges qui voluptati ſerviunt in matrimonii uſu.

Respondeo 4. ſi nullum in ejuſmodi negotio peccatum intercedat, diſtinguendum adhuc eſſe ac videndum, num quis ſine conſenſu ullo iſtud invitus patiatur, an ultro exerceat quod licitum ſibi ſit, ut ſi quis conjux liberorum procreandorum cauſa matrimonii munus exerceat: quibus poſitis,

1. Statuendum eſt, ſi in his caſibus ad Euchariſtiam aliquis accedat, non fore peccatum mortale.

2. Quando animus liber non eſt, ſed langueſcit ac vagatur, aut turpibus etiam imaginibus detinetur, tunc non eſſe ad altare accedendum. Ita S. Thomas *in* 4. *diſt.* 9. *art.* 4. *quæſt.* 1. *in reſp. ad* 2. " Hebetu-
„ do mentis & immunditia corporalis ex quadam decentia honeſtatis
„ (a perceptione Euchariſtiæ impedit) quia indevotio quædam vide-
„ tur ſic accedere, niſi neceſſitas urgeat. " Et id profecto poſtulat ipſa Euchariſtiæ dignitas ac ſanctimonia.

3. Suo relinquendum eſſe judicio, qui ſua conjuge, non cupidine voluptatis, ſed ſolummodo liberorum procreandorum cauſa matrimonii munus exercet. Ita Gregorius magnus *in reſp. ad Auguſtinum*., Si quis
„ ergo ſua conjuge non cupidine voluptatis captus, ſed ſolummodo
„ liberorum procreandorum gratia utitur, ipſe profecto de ingreſſu Ec-
„ cleſiæ, ſeu de ſumendo corporis dominici myſterio, ſuo eſt relin-
„ quendus judicio; quia a nobis prohiberi non debet accipere qui in
„ igne poſitus neſcit ardere.

4. Vulgarem nihilominus fuiſſe quondam Eccleſiæ diſciplinam, & etiamnum eſſe laudabilem conſuetudinem, ut ante ſacram communionem per aliquot dies matrimonio abſtineant conjuges, idque ipſis eſſe conſulendum. Apoſtolus 1. Cor. cap. 7. *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi*. Sanctus Hieronymus

epiſto-

epistola 50. " Si panes propositionis ab his qui uxores tetigerant co-
„ medi non poterant : quanto magis ille panis qui de cœlo descendit
„ non potest ab his qui conjugalibus paulo ante hæsere complexibus
„ violari atque contingi ? " Sanctus Augustinus , seu quis alius ,
sermone in dominicam secundam adventus , " Castitatem etiam cum pro-
„ priis uxoribus fideliter conservate . . . . & . . . . ad altare domini-
„ cum secura conscientia poteritis accedere. " Synodus Bituricensis an-
no 1584. *canone* 8. " Moneantur conjugati nonnisi præparati ali-
„ quot dierum continentia ad Eucharistiæ sumptionem accedere , in-
„ star Davidis qui nonnisi antecedente trium dierum continentia pa-
„ nibus propositionis usus est . " Cathechismus ad Parochos *num. 61.*
" Postulat etiam tanti sacramenti dignitas , ut qui matrimonio juncti
„ sunt , aliquot dies a concubitu uxoris abstineant , Davidis exemplo
„ admoniti , qui cum panes propositionis a sacerdote accepturus esset,
„ purum se & pueros suos ab uxorum consuetudine tres ipsos dies es-
„ se professus est . " Sanctus Bonaventura *in* 4. *distinct.* 12. *quæst.* 3.
numer. 90. " Raro contingit quod homo conjungatur secundum illum
„ actum debitum exigendo , quin sit ibi aliqua culpa ; si autem solum
„ reddendo debitum, non credo quod debeat retrahi, nisi de congruo, vel
„ etiam causa prolis. " S. Carolus *parte* 4. idem sancit quod Cathechismus
ad Parochos.

5. Si istæ carnis sordes malitia dæmonis accidant , non debere illas impedimento esse sacræ communioni . Ita olim censuerunt Patres , & ita se gesserunt erga fratrem quemdam cui malus dæmon illudebat , quemadmodum videre est *in collationibus Patrum* , & Sanctus Thomas *ibidem :* " Si in nobis causa non præcesserit pollutionis , imo magis
„ contraria , & hoc frequenter accidat , & præcipue in diebus quibus
„ quis communicare debet, signum est quod diabolus homini fructum
„ Eucharistiæ percipiendæ auferre conatur : unde in tali casu consultum
„ fuit cuidam monacho, ut in collationibus Patrum legitur, quod com-
„ municaret, & sic diabolus videns se non posse consequi intentum, ab il-
„ lusione cessavit.

6. Si quis forte semel iis subjaceat ex debilitate naturæ , ei esse consulendum ut propter reverentiam sacramenti , non statim divinum corpus tangat . Id etiam sanxit angelicus doctor *ibidem* , " Si accidat
„ pollutio ex debilitate naturæ , ... si necessitas non incumbat
„ accedendi ad Eucharistiam) , videtur non exhibere reverentiam de-
„ bitam sacramento (qui accedit) : non tamen mortaliter peccat, sed ve-
nialiter.

7. Si talis immunditia sit perpetua , vel diuturna , quasi ex morbo quodam , aut alia ratione , illam non debere esse obici , quominus aliquis hoc alimento sese reficiat : ita sentit ac fere loquitur Sanctus Thomas *supra* , *quæst.* 80. *art.* 7. " Ex quadam congruentia impedit
„ pol-

„ pollutio nocturna quantum ad duo, quorum unum semper accidit, „ scilicet quædam fœditas corporalis, cum qua propter reverentiam „ sacramenti, non decet ad altare accedere, ... nisi forte talis „ immunditia sit perpetua, vel diuturna, sicut est lepra vel fluxus „ sanguinis &c. aliud autem est evagatio mentis, quæ sequitur pollu- „ tionem nocturnam.

RESPONDEO 5. si conjugum alter matrimonii officium non petat, sed debitum exsolvat, eum idcirco a sacris altaribus non esse removendum.

ARTICULUS II.

De dispositionibus animi requisitis.

JAm disputavimus *supra* de iis quæ impedire possunt fructus ex Eucharistia percipiendos ac præsertim de peccatis lethalibus ac venialibus.

Quocirca non quærimus, an aliis debeat esse immunis, qui communicare voluerit; sed an qui ista confessus fuerit, pœnitentiæ laboribus defungi debeat, antequam ad tremenda mysteria se sistat: in quo sane qui peccata duntaxat venialia purganda habuerit, valde secernendus est ab eo cui lethalia eluenda incumbunt.

QUÆRES itaque 1. qualis olim fuerit Ecclesiæ disciplina circa eos qui peccatis lethalibus se inquinaverant.

RESPONDEO moris id fuisse, ut inter peccata illa confessa, & sumptionem Eucharistiæ idoneum pœnitentiæ intervallum intercederet.

PROBATUR 1. ex apostolo 2. *Cor.* 1. qui ita egit cum homine Corinthio incesti reo.

2. Ex S. Joanne apostolo, qui eamdem agendi rationem usurpavit adversus unum adolescentem, qui post baptismum in latronem evaserat: quod refert Eusebius.

3. Ex Cypriano, qui longas ac graves pugnas ea de causa sustinuit contra lapsos, quod nollet eos ante peractam pœnitentiam ad Eucharistiam admittere: de quo vide ejus *epistolas* 10. 11. 54. & tractatum *de lapsis* &c. " Cum in minoribus peccatis, inquit, *epistola* 10. „ agant peccatores pœnitentiam, justo tempore, & secundum disci- „ plinæ ordinem ad exomologesim veniant, & per manus impositio- „ nem episcopi, & cleri jus communicationis accipiant; nunc crudo „ tempore . . . . ad communicationem admittuntur, & offertur no- „ men eorum, & nondum pœnitentia acta, nondum exomologesi fa- „ cta, nondum manu eis ab episcopo & clero imposita, Eucharistia „ illis datur.

4. Ex consuetudine veteris Ecclesiæ, quæ pœnitentes ipsos tribus etiam

etiam pœnitentiæ gradibus prioribus perfunctos a sacra mensa arcebat qui consistentes, & absque oblatione communicantes vulgo appellabantur.

5. Ex disertis Patrum testimoniis. Sanctus Augustinus *homilia* 27: " Est pœnitentia gravior atque luctuosior, in qua proprie vocantur
" in Ecclesia pœnitentes, etiam remoti a sacramento altaris partici-
" pandi, ne accipiendo indigne, judicium sibi manducent & bibant.
" Illa vero pœnitentia luctuosa est grave vulnus . . . . lethale, morti-
" ferum. " *Homil.* 41. " Qui violavit sacramentum (baptismi) male
" & perdite vivendo, & ideo remotus est ab altari, ne judicium si-
" bi manducet & bibat, mutet vitam, corrigat se, & reconcilietur;
" cum vivit, cum sanus est. " Et *homil.* 50. *inter.* 50. " Tres sunt
" actiones pœnitentiæ : . . . . una est quæ novum hominem parturit
" . . . . per baptismum : . . . . altera est cujus actio per totam istam
" vitam . . . subeunda est : . . . tertia est actio pœnitentiæ, quæ pro
" illis peccatis subeunda est, de quibus apostolus ait, *Quoniam qui ta-*
" *lia agunt, regnum Dei non possidebunt*. In hac ergo pœnitentia . . . .
" ascendat homo adversum se tribunal mentis suæ, ... & ab ipsa
" mente talis sententia proferatur, ut se indignum homo judicet par-
" ticipatione corporis & sanguinis Domini. " Sanctus Leo *epistola* 91:
" Mediator Dei & hominum Jesus Christus hanc præpositis Ecclesiæ
" tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, &
" eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum
" per januam reconciliationis admitterent.

QUÆRES 2. an eadem aut similis saltem cautio etiamnum erga criminum reos servanda sit.

RESPONDEO, si vulgo servetur, prudenter tamen, hoc fore juxta vota Ecclesiæ & summo peccatoribus emolumento, ut sufficienti nimirum tempore cor suum probent antequam ad Eucharistiam adeant.

PROBATUR 1. quia etsi disciplina pro varia ætate variaverit, mens tamen Ecclesiæ eadem semper fuit.

2. Quia nihil indignius videtur pietatis Christianæ, quam si quis flagitiorum cœno adhuc immersus statim prosiliat ad mensam angelorum : " Contra evangelii vigorem, ait S. Cyprianus *libro de lapsis*,
" contra Domini legem . . . laxatur incautis communicatio : irrita &
" falsa pax, periculosa dantibus & nihil accipientibus profutura. A
" diabolo aris revertentes ad sanctum Domini sordidis, & infectis ni-
" dore manibus accedunt, mortiferos idolorum cibos pene ructantes :
" exhalantibus etiam nunc scelus suum faucibus . . . . Domini corpus
" invadunt . . . vis infertur corpori & sanguini, & plus modo in Do-
" minum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum nega-
" verunt. . . Ante expiata delicta . . . pacem putant esse, quam qui-
" dam verbis fallacibus vendicant. Non est pax illa, sed bellum.

3 Ut

3. Ut ait S. Bernardus, seu potius Nicolaus Claravallensis *serm.* 8. *de B. Magdalena*, Explicans mysterium peccatricis, quæ unxit pedes Domini Jesu, & illius quæ unxit postea caput, quo vult adumbrari duplex pœnitentium genus, aliud eorum qui peccata sua deflere incipiunt, aliud illorum qui illa jam expiarunt, " Profecto difficillimus „ ac præsumptuosus saltus est, a vestigiis ad caput Domini transvolare.

Quæres 3. utrum piis hominibus ac sacerdotibus, qui peccatis venialibus tantum implicantur, utile sit aliquando ab Eucharistiæ sacramento recedere, ut pœnitentiæ laboribus, & majori humilitatis sensu sese purgent, ac famem acuant.

Respondeo optandum quidem esse, ut sic vivant homines ac præsertim sacerdotes, ut quotidie corpus Domini mereantur accipere, eosque esse hortandos ut ad illud quam frequentissime poterunt, modo digne, accedant: attamen utilissimum vulgo esse, si identidem recedant a tremendis mysteriis propter causas jam jam memoratas, illudque sanctorum virorum exemplis esse consentaneum. Vide vitam Chrysostomi; Hieronymum adversus Vigilantium; Ambrosium *in laudatione Theodosii;* Bernardum *in vita Malachiæ;* vitam S. Caroli Borromæi; vitam B. Francisci Salesii.

Addatur illud S. Bonaventuræ monitum *de profectu religiosorum cap.* 77. " Circa sacerdotes, inquit, potest hæc forma teneri, ut nec nimis „ raro, nec nimis continue celebrare, vel imprætermisse sacram ho- „ stiam studeant immolare: nimis enim continue celebrare, aliquam „ videtur notare irreverentiam, cum vix quisquam reperiatur tam de- „ votus qui semper eadem devotione ferveat, quod semper cum debita re- „ verentia illud faciat & cordis ardore, quin aliquando reperiatur quan- „ tulumcunque quod eum impediat.

TRACTATUS DE VENERABILI
EUCHARISTIA
FINIS.